Q. F. F. Q. S.

SYSTEMA METAPHYSICUM,


OMNIS
COGNITIONIS HUMANÆ
FUNDAMENTA CONTINENS,
SCIENTIFICE PERTRACTATUM,
ET
PERPETUIS ILLUSTRATUM
COMMENTARIIS HISTOR. POLEM.,
NEC NON
AD THEOLOGIAM ADPLICATIS.

TOMUS SECUNDUS,
PARTIS PRIMÆ SECTIONEM
POSTERIOREM
DE
GENERALIBUS ENTIS AFFECTIONIBUS
CONTINENS

AUCTORE
NICOLAO WALLERIO,
LOG. & METAPH. PROF. REG. & ORD. AC. R. SC. ST. MEMB.

Cum Grat. & Priv. S. R. M:tis Svec. & S. R. M:tis Polon. ac Elect. Saxon.

STOCKHOLMIÆ A. O. R. MDCCL.
Literis & impensis LAURENTII SALVII.



PARTIS PRIMÆ SEXTIO POSTERIOR.

DE PROPRIETATIBUS ET AFFECTIONIBUS ENTIS.

CAPUT I. DE AFFECTIONIBUS ENTIS IN GENERE.

§. 337.

Summaria enumeratio affectionum entis.

Ens præter essentiam simul comprehendere conceptus secundos, qui in essentia rationem sufficientem inveniunt (§. 322.), antea evicimus (§. 327.). Et simul ostendimus essentiam, tanquam conceptum entis primum (§. 322), & conceptus secundos contineri in notione entis (§. 319, 315.), quod cum intrinseca possibilitate reciprocatur & coincidit (§. 228.), ex qua tamen sola, nisi

 in

in ente infinito, non determinatur exiſtentia (§. 202.), quæ notioni entis non repugnat (§. 226.). Quando itaque exiſtentia enti competit finito, extra poſſibilitatem, hoc eſt, extra conceptum primum, ſeu eſſentiam, & ſecundos, in alio ente ſuam habebit rationem. Conſiſtit exiſtentia in aptitudine ad agendum vel patiendum (§. 207.), ideoque ſe actionibus vel paſſionibus exſerit, quæ variæ eſſe poſſunt & a variis determinatæ cauſis, eſſentiam rei, cui conveniunt illæ actiones & paſſiones, non conſtituentibus, neque in illa rationem ſufficientem agnoſcentibus. Exempli loco ſit, ut alia innumera prætercam, eruditio in homine, quæ neque ex eſſentia ejus, neque ex iis, quæ ex illa unice fluunt, ſed ex aliis rationibus externis, quà inexiſtentiam ſuam determinantur. Dantur itaque in omni ente, præter eſſentiam, alia prædicata, quæ conceptus ejus ſecundos conſtituunt, & in ente actuali finito, adhuc alia, quæ rationem ſui ſufficientem extra illud ens in alio agnoſcunt.

§. 338.

Affectionis definitio. *Affectiones* entis ſunt quævis ejus prædicata, quorum ratio ſufficiens vel in ſola eſſentia, vel unà extra eandem continetur.

Ex. gr. Libertas animæ humanæ eſt ejus affectio, cujus ratio ſufficiens in ipſa ejus eſſentia con-

continetur. Eruditio autem eſt quidem animæ affectio, quæ tamen ex ſola ejus eſſentia non dependet, ſed in aliis extraëſſentialibus rationem ſui invenit ſufficientem.

Quamvis aliàs non placet omnibus hæc generalis affectionis acceptio, ſed ſtrictior potius arridet, qua pro iis ſolum ſumitur prædicatis, quæ tantum in eſſentia fundantur; non tamen prorſus inuſitatam eſſe laxiorem, quam tradidimus, hujus vocabuli notionem, vel ſolus *Chauvinus* in Lex. Phil. ſub tit. *Affectio* abunde indicat, obſervans affectionem ab afficiendo nomen habere, eo, quod ſubjectum, dum de illo prædicatur, afficiat, ſignificare vero modo præviam ad aliquid diſpoſitionem, modo reſpectum & relationem, modo quodvis accidens, modo proprium alicujus πάθος, ſeu attributum ex eſſe ipſius reſultans. *Chriſt. Donatus* Cap. IV Metaph. Uſualis §. 2. docet attributum generaliter denotare quodvis prædicatum, quod vere de ſubjecto aliquo dicitur, aut eidem attribuitur, ſive prædicatum iſtud de eſſentia ſui ſubjecti ſit, ſive extra illius eſſentiam, ſive ipſi per ſe, ſive ex accidenti conveniat. Nihil certe diſcriminis a noſtris in his Donati obſervare licet verbis, niſi quod vocabulo *attributi* utatur ille, ubi nos affectionis adhibemus terminum, quem tamen pro ſynonymo attributi habet Donatus l. c. §. 11. Confirmat porro hunc laxiorem affectionis ſignificatum uſus loquendi communis, quo per notionem confuſam τȣ̃ *afficere*, qua idem ſonat ac pertinere vel referri ad aliquam rem, dicere ſolemus illam relationem entium

com-

compositorum A & B, qua A dicitur majus τῷ B, afficere compositum A, quamvis ex ejus essentia non fluat. Pari quoque ratione colores, qui in essentia corporis opaci colorati non fundantur, corporis affectiones vocare solemus: Hinc apud Physicos originem trahit adpellatio affectionum sensibilium.

§. 339.

Affectionum divisio. Ex hac generali affectionis idea elucet alias esse affectiones, quæ ex sola essentia entis determinantur, seu in illa rationem inveniunt sufficientem; alias vero, quæ non in sola essentia, sed simul in aliis rebus, ab essentia diversis, rationem habent sufficientem. Illas *Essentiales*, has *Extraëssentiales* vocamus.

Sic divisibilitas est affectio cujuscunque corporis, & idcirco lapidis, per essentiale ejus prædicatum, extensionem videlicet, determinata. Quod vero idem lapis sit calidus, affectio est extraëssentialis, quia per essentiam ejus non determinatur.

§. 340.

Attributi definitio. Affectiones entis essentiales uno nomine *Attributa* adpellantur, quæ ergo ex sola essentia determinantur, seu in illa sola rationem inveniunt sufficientem (§. 339.).

Ex. gr. Facultas attendendi in anima humana est ejus attributum, quod ex essentia ejus, in conscientia sui & rerum externarum collocanda, unice determinatur: Ipsa vero attentionis di-

rec-

rectio, ad hoc vel illud objectum, ex essentia animæ non determinatur, sed aliunde sui postulat determinationem, nullum ergo in attributis habet locum.

Vocabulum attributi non in eodem apud omnes sumitur sensu, sed triplicem potissimum induit significatum. Accipitur enim 1:o) *pro quovis rei prædicato*, sive ex essentia fluat sive minus, quo sensu affectionis evadit synonymum (§. 338.). Tribuit hunc significatum *Chauvinus* in Lex. Phil. sub tit. *attributum*, Logicis præsertim, sine dubio, intendens *Claubergium*, qui, §. 21. Logices contractæ, attributum vocat, quicquid rei inest, ac de ea dici potest, quem sensum exinde probare conatur *Flenderus*, quod attributum ab *attribuere* descendat, quod *Ciceroni* idem est ac *tribuere*, adscribere alicui aliquid, i. e. dicere, seu prædicare de aliquo aliquid. Et hoc sensu veteres promiscue adpellarunt attributa hominis, intellectum, eruditionem, pietatem, cetera. 2:do) *Strictius à nonnullis quandoque sumitur attributum pro prædicato*, quod essentiam quidem consequitur, & a subjecto suo dependet; ita tamen, ut realem distinctionem ab eodem admittat, quatenus est in diverso prædicamento, perque veram & realem causam ipsi convenit. Cujus generis sunt, quæ in Physicis exponuntur, omnia accidentia propria. Tandem 3:tio) *attributorum nomine illæ insigniuntur affectiones*, quæ ex sola essentia determinantur. Nos ab ambiguitate vocabuli recedentes, probe gnari quantum detrimenti ex diversa unius termini acceptione capiat illa, de qua Philosophus solicitus esse tenetur, scientia, certis at-

que

que determinatis rerum ideis innixa: Nos, inquam, hujus conſcii non niſi tertium attributi ſignificatum in Metaphyſicis adprobamus, eumque conſtanter retinemus.

§. 341.

Attributorum ad conceptum relatio. Attributa ex ſola entis eſſentia determinantur (§.340.), quæ conceptum entis primum abſolvit (§.322.*a*); ſed, quæ ex primo conceptu determinantur, conceptuum ſecundorum nomine veniunt (§. 315.). *Attributa ergo entis ſunt ejus conceptus ſecundi.*

Hinc non male a nonnullis definitur attributum per conceptum entis ſecundum, quo indicare volunt attributa ex eſſentia unice determinari, ab ipſo tamen ente nonniſi noſtro concipiendi modo differre, minime vero realem ei inferre compoſitionem, cui conveniunt.

§. 342.

Attributorum cum ente nexus. *Poſito ente ponuntur ejus attributa, et poſitis attributis ponitur ens, cui conveniant.* Poſito enim ente ponitur eſſentia (§. 322.), quæ eſt conceptus entis primus §. 322.), quo poſito, ponuntur conceptus ſecundi (§. 317.). Sed attributa ſunt conceptus entis ſecundi (§. 341.). Poſito igitur ente, ponuntur ejus attributa. Q.E.U.

Sunt attributa affectiones, quæ ex ſola eſſentia determinantur (§. 340.). Determinatorum itaque claſſe continentur attributa, quorum determinans eſt eſſentia (§. 195.); ſed poſito determinato ponuntur ejus determinantia (§. 197.)

(§. 197.) Positis itaque attributis, ponitur essentia. Hac autem posita, ponitur ens (§. 332.). Positis ergo attributis, ponitur ens, cui conveniant. Q. E. A.

Quamvis adeo evidens sit, nullum dari neque concipi posse ens, quod suis careat attributis; non tamen defuerunt, qui hanc rem in quæstionem vocavêre, sed vix ullius ponderis argumentis, quæ recenset & confutat *Scheiblerus* L. 1. cap. 3. art. 1. Quam certum est ens gaudere essentia, tam certum quoque & evidens manet, illud suis instructum esse attributis, quod nemo negabit, nisi qui, sed absurde (§. 196.), putet dari determinans sine determinato.

Dicimus in conversa propositione, positis attributis poni ens, cui conveniant, quod non ita intellectum volumus, quasi posito quolibet attributo entis certæ speciei, poneretur ipsa entis species, quod falsum esse docebunt attributa communia mox explicanda: In genere igitur & non in specie interpretanda est nostra assertio, quod, positis attributis, necessario ponatur aliquod ens, cui conveniant; sunt enim attributa, ut statim demonstrabo, prædicata realia, quæ de nihilo & non ente prædicari nequeunt, enti & alicui unice attribuenda.

§. 343.

Posita itaque essentia entis, ponuntur ejus attributa. Posita enim essentia, ponitur ens (§. 332.), at posito ente, ponuntur ejus attributa (§. 342.). Ergo, posita essentia entis, ponuntur ejus attributa. *Nexus eorundem cum essentia.*

Usus Theol. Hoc enunciato rectissime utuntur Nostrates, Divina attributa *Christo* attribuentes: Posito enim, quod Scriptura S. ponit *Christum* esse Deum in omni vocis emphasi & potentia, non λεγόμενον nuncupativum, sed ἀληθινὸν verum, tum sequitur omnia, quæ Dei sunt, Ei quoque competere, qualia sunt vita indissolubilis, robur invictum, gloria, honor, gratiarum actio Apoc. IV. 9. 11. Hebr. VII. 16.

§. 344.

Hujus nexus ulterior expositio. *Attributa enti constanter competunt, neque illis privari potest.* Essentia enim omni enti constanter convenit, neque hac privari potest unquam (§. 329.). Sed posita essentia, ponuntur ejus attributa (§. 343.). Attributa ergo enti constanter competunt, neque illis privari potest unquam.

Ex. gr. Facultas libere agendi est attributum animæ humanæ, illa ergo ab hac nunquam separari potest, quamdiu anima manet anima.

Excitavit otiosa scholastiorum turba quæstionem: *anne attributa entis, per potestatem Dei absolutam, separari ab ente possint?* Quam generaliter propugnarunt *Petrus Michaël* et *Sanctus* apud *Chamierum* Tom. 2. Panstrat. Lib. 6. cap. 4. §. 30. *Keckermannus* L. 1. Syst. Log. p. 186, *Timplerus* L. 3. Met. cap. 3. Qu. 12. Neque ab horum absurda opinione abludit *P. Poiretus*, strenuus arbitrariarum essentiarum defensor, putans potentiam Dei non sat illustrem esse, si hac destitueretur potestate. Recte vero excipiunt

piunt saniores, Potentiam Dei ad contradictoria nunquam extendendam esse. Fingamus attributa entis, salva manente ejus essentia, ab eo separari posse, poneretur ergo eo in casu essentia sine attributis, adeoque esset essentia et simul non. Esset quidem per hypothesin, sed non tamen esset, quia, si esset, illa posita, ponerentur attributa (§. 343.). Hanc autem Deo inferre contradictionem, non est Ipsius extollere potestatem, sed potius Ei affingere imbecillitatem et imperfectionem. Effectus enim contradictorii contradictorias postulant vires, nulli enti, multo minus Perfectissimo, tribuendas. Homo ab homine mentaliter, h. e. per concipiendi modum, præscindit animalitatem, & rationalitatem. Sed num Deus actualiter hæc attributa ab homine, ipso manente salvo, separet? Contradictoria vere talia, quia non sunt ullius potentiæ objecta, nec ista subjici eidem posse putandum est.

§. 345.

Attributorum realitas. *Attributa entis sunt realitates & positivi quid inferunt.* Sunt enim attributa affectiones entis, quæ ex sola ejus essentia determinantur (§. 340.), adeoque prædicata, quæ enti vi essentiæ conveniunt (§. 338.). Est vero omne ens reale (§. 270.). Sunt itaque attributa prædicata entis realis. Ens autem reale eatenus dicitur, quatenus est res (§. 269.), ipsaque attributa ab ente, & per consequens, a re sunt inseparabilia, & ei constanter competunt (§. 344.). Sunt itaque attributa prædicata, quæ rem ingrediuntur, & per

per consequens realitatum veniunt titulo (§. 271.). Porro: Quia omne reale est positivum (§. 280.), & attributa, ut mox evicimus, sunt realitates, sequitur attributa positivi quid inferre.

Javellus L. IV. Metaph. q. 2. docet attributa entis esse quidem de ente demonstrabilia, non tamen realia. Sed si sunt de ente demonstrabilia, demonstrantur utique ex iis, quæ enti insunt, et ideo, quæ ei realia sunt. Non ergo finguntur de ente attributa, sed ei citra omnem mentis operationem competunt. Hinc certum est, Deum v. gr. angelum, hominem non ideo esse entia, vera, bona, perfecta, quia nos ita fingimus, sed, dole, ita esse nobis non cogitantibus.

§. 346.

Attributorum ab ente rationis & ficto discrimen.

Reali contradictorie opponitur ens rationis (§. 274.), cum quo coincidit ens fictum (§. 277.). Quare, quum vi principii contradictionis contradictoria simul esse nequeant, sequitur attributa non esse entia rationis & ficta (§. 345.).

Licet ergo attributa non sint entia rationis & ficta, sed realia et positiva, inde tamen non fluit illa aliquid realis vel positivi essentiæ, quod ab eadem realiter est diversum, seu novam & peculiarem quandam entitatem addere. Etenim hoc, quod adderetur, ens utique esset, suaque gauderet essentia, quæ iterum sua haberet attributa, de quibus idem dici posset, atque ita con-

contra omnem rationem processus in infinitum fieret. Recte itaque statuimus attributorum a parte rei, seu materialiter consideratorum, unumquodque esse ipsum ens, acceptum scilicet inadæquate, qua determinatam certamque perfectionem, seu essendi rationem; abstractive autem & formaliter consideratum non esse ipsam essentiam, sed intercedere aliquod discrimen a parte conceptûs nostri, quo nempe, sub diverso respectu, a nobis considerantur.

§. 347.

Attributa propria & communia.

Ubi ens consideramus in certas classes & species distributum, & simul perpendimus cuilibet enti suam competere essentiam (§. 329.), sua igitur attributa (§. 343.), quorum quædam huic classi & non alii conveniant, quædam pluribus sint communia. Distinguere solemus attributa in *Propria* & *Communia*. *Illa*, quæ alio nomine *Proprietates essentiales*, immo & *Proprietates*, adpellantur, sunt entis attributa, quæ per omnia ejus essentialia, simul sumta, determinantur. *Hæc* autem, seu attributa communia, quæ per unum vel aliquot essentialium, minime vero per omnia simul determinantur.

Ex. gr. Trianguli æquilateri attributum proprium est mutua æqualitas trium angulorum. Etenim quum essentialia dicti trianguli in eo versentur, quod tres, eædemque æquales, ad spatium includendum concurrant; Geometriæ tiro-

ronibus ignotum esse nequit æqualitatem mutuam trium angulorum ex omnibus determinari essentialibus, & per consequens dicti trianguli esse attributum proprium. Idem vero triangulum cum reliquis rectilineis hoc habet commune, quod omnes ejus anguli simul sumti sint æquales duobus rectis: Deducitur enim hoc ex illo solum essentiali, quod includatur triangulum illud tribus rectis lineis, non vero simul exinde, quod tres has rectas habeat mutuo æquales.

Propria quarti modi. Attributa propria à Scholasticis vocantur *propria quarti modi*, quæ soli alicui speciei, omnibusque ejus individuis semper convenire dicuntur. Exempli loco allegant *potentiam ridendi in homine*, per risum vero non modo sonum, quo os diducitur, quod corporis est, sed repræsentationem quoque absurditatis & deformitatis, ut Aristoteles loquitur, minoris cujuspiam quam observare tantum potest ratio, innuunt.

§. 348.

Exclusio medii inter proprium & commune. Quoniam quodlibet est vel non est (§. 63.), attributa vel ex omnibus rei essentialibus, vel ex quibusdam tantum determinantur; si prius, propria, si posterius, communia nuncupantur (§. 347.). *Omnia ergo rei attributa sunt vel propria, vel communia.*

§. 349.

Ratio sufficiens attributo. *Attributa propria rationem sufficientem inveniunt in tota rei essentia, seu, omnibus rei essentialibus, simul*

mul sumtis. Et inversim: *Quacunque affectio entis continet rationem sufficientem in omnibus ejus essentialibus simul sumtis, est ejusdem attributum proprium.* Attributa propria determinantur per omnia essentialia simul sumta (§. 347.); omnia igitur essentialia sunt determinantia, proprietates determinata (§. 195.), per consequens, omnia essentialia simul sumta continent rationem sufficientem attributorum propriorum (§. 198.). Q. E. U. *rum propriorum.*

Quicquid in essentialibus, simul sumtis, continet rationem sufficientem, ideo enti inesse intelligitur, quia talia eidem insunt essentialia (§.83.); per omnia igitur essentialia determinatur (§.194.), & ideo notionem attributi proprii tuetur (§. 347.).

Non sufficit ad attributum proprium constituendum, rationem sufficientem habere in essentia: hanc enim indolem possident omnia attributa (§. 340.), sive propria fuerint, sive communia; sed requiritur insuper ut hæc ratio contineatur in tota essentia, seu, in omnibus essentialibus simul, quo constanti charactere distinguuntur attributa propria a communibus. Nam

§. 350.

Attributa communia rationem sufficientem inveniunt in quibusdam essentialibus tantum. Et inversim: *Ratio sufficiens attributo-*

Qua

rum communium. *Quæcunque affectio entis in quibusdam tantum ejus essentialibus rationem continet sufficientem, est attributum commune.* Nam attributa communia per quædam tantum essentialia entis determinantur (§.347.). Quædam itaque illa essentialia sunt determinantia, quorum determinata sunt attributa communia (§. 195.). Quædam ergo essentialia sunt ratio sufficiens attributorum communium (§. 198.). Q. E. U.

Quod in quibusdam tantum essentialibus rationem habet sufficientem, ideo inesse intelligitur, quia insunt quædam illa essentialia (§. 83.). Per hæc itaque illud determinatur (§. 194.). Est ergo illius entis attributum commune (§. 347.). Q. E. A.

§. 351.

Proprietatis & essentiæ connexio. *Posito attributo proprio ponitur integra essentia, h. e. posito hoc ens possidere hanc proprietatem, ponendum quoque illud, hac simul gaudere essentia.* Proprietas enim quævis per totam determinatur essentiam (§. 347.). Est igitur integra essentia determinans, proprietas determinatum (§. 195.). Sed posito determinato, ponuntur ejus determinantia (§. 197.). Posito igitur attributo proprio, ponitur integra rei essentia.

Usus Theologicus. Eximium habet hic canon usum non per universam modo Philosophiam, sed

fed & Revelatam Theologiam, in qua Noftrates ex attributis Divinis, omnipræfentia, omnifcientia, æternitate, ceteris, quæ *Chrifto* & *Spiritui Sancto* in Scripturis tribuuntur, vi hujus canonis recte inferunt & *Chriftum* & *Spiritum fanctum* habere effentiam Divinam. Conftat nempe omnia Dei attributa effe Ei propria, nulla vero Ipfi effe cum creaturis communia. Quam ob rem recte ratiocinor: *Quicunque habet proprietates Divinas, poffidet etiam effentiam Divinam. At Chriftus & Spiritus fanctus ita; Ergo.*

§. 352.

Proprietatum ab effentia infeparabilitas.

Sublato attributo proprio, tollitur integra rei effentia. Attributum proprium per omnia rei effentialia, fimul fumta, determinatur (§. 347.). Eft itaque integra rei effentia, quæ omnibus effentialibus, fimul fumtis, abfolvitur (§. 320.), determinans, cujus determinatum eft quodvis attributum proprium (§. 195). Si igitur, fublato attributo proprio, non tolleretur effentia, fed falva nihilominus maneret, poneretur determinans, non vero determinatum. Quod abfurdum (§. 196.). Vere ergo ftatuimus, fublato attributo proprio, tolli integram rei effentiam.

Alii hunc eundem expreffuri canonem aliis quidem utuntur verbis, quæ tamen diverfum non fundunt fenfum. Sive enim dicas, *negatis proprietatibus tolli naturas*, five, *cui non competunt proprietates rei, ei non competere effentiam*, five nobis-

nobiscum, *sublato attributo proprio, tolli integram rei essentiam*, res eodem recidit.

Usus Theologicus. Pontificii, in Concilio Trident. Can. 13. sess. 5. decernentes neminem certum esse de sua fide, ex hoc canone absurditatis convincuntur: Teste enim Apostolo Hebr. XI. proprietas fidei est, certo sperare hæreditatem regni cælestis. Sed hanc tollunt Pontificii. Tollunt ergo ipsam Fidei essentiam, quam tamen salvam esse volunt, & ideo sibi ipsis & rei veritati contradicunt. Eodem modo, vi nostri canonis, recte argumentor: *Bonis nostris operibus non competit proprietas meriti, nequeunt igitur esse meritoria.* Major, quæ heic subintelligitur, propositio est noster canon, sua radians luce. Minor probatur, quia meriti natura ac ratio postulat α) ut opus, quo meremur, sit nostrum, β) ut sit indebitum, γ) ut sit utile et commodum illi, cui præstatur, δ) ut sit & pretio & dignitate æquale illi, quod pro opere nostro redditur. Opera autem bona non sunt α) nostra, sed Dei Ps. CXIX. 36. Phil. II. 13. Joh. XV. 5. 2 Cor. III. 5. β) Sunt debita Luc. XVII. 10. γ) nullam utilitatem Deo afferunt Job. XXII. 2. δ) Nulla est æqualitas inter opera nostra et vitam æternam Rom. VIII. 18.

§. 353.

Scholion generale. Posito attributo proprio poni essentiam & sublato tolli statuimus (§. §. 351. 352.), sensu tamen non formali, quasi conceptus rei secundus, qualis omne est attributum, esset simul primus, quod manifestam involveret contradictionem: non, inquam,

for-

formali, ſed materiali, quod attributum proprium et eſſentia, per quam illud determinatur, qua rem ipſam tam arcte inter ſe ſunt complicata, ut unum nequeat eſſe ſine altero. Ex. gr. attributum proprium trianguli æquilateri eſt æqualitas angulorum mutua. Poſita igitur vel remota angulorum æqualitate, ſimul ponitur vel removetur laterum æqualitas. Hinc tamen non ſequitur nos ſenſu formali confundere Determinans cum Determinato: Inveſtigaturo enim quænam prima ſint in ente determinantia, ſeu quænam ſint ejus eſſentialia, ſubſiſtendum omnino in iis prædicatis, quæ ſibi mutuo non repugnant, & quorum unum neque per alterum, neque per aliud prius in eadem re determinatur (§. 318. 320.). Alia namque prædicata, ut quivis videt, & ex demonſtratis intelligit (§. §. cit.), tamquam priora in ente poni nequeunt. Jam ex tribus lineis rectis et æqualibus conſtrui poteſt triangulum, numerus ergo rectarum ternarius & earundem æqualitas mutua inter ſe non pugnant ad figuram conſtituendam. Sin vero tres ſumantur anguli inter ſe æquales, ex iis ſolis datis, ut quilibet, vel parum in Geometria verſatus novit, triangulum conſtrui nequit. Etſi igitur viciſſim ex ſuppoſita trium angulorum æqualitate in triangulo demonſtrari poteſt trium laterum æqualitas; illa tamen hypotheſis non intelligitur poſſibi-

lis, nisi hujus possibilitate præsupposita, quæ ex ipsa intelligitur constructione. Quid ergo ex his efficitur aliud, quam essentiam, sensu formali consideratam, non determinari per attributum proprium, sed hoc potius per illam, etsi hoc posito, illa non possit non poni.

§. 354.

Reciprocari quid? Si posito A ponitur B, & vicissim posito B, ponitur A, dicuntur A & B inter se *Reciprocari*. Est ergo *Reciprocatio* mutua unius positio ex positione alterius.

In Logicis subjectum & prædicatum propositionis reciproca dicuntur, quando ita inter se permutari possunt, ut alterum alterius loco, salva veritate, poni queat. Ut in hac ex. gr. propositione: *Corpus est extensum impenetrabile*, & vicissim *extensum impenetrabile est corpus*. Hæc autem subjecti & prædicati permutatio aliunde originem non trahit, quam ex illa subjecti & prædicati indole, qua fit, ut, illo posito, hoc ponatur, & vicissim hoc posito, illud ponatur. Recte igitur in Metaphysica, ubi potius ad indolem rerum, quam terminorum qualitatem attendere debemus, definitur reciprocatio per mutuam unius positionem ex positione alterius.

§. 355.

Propriorum & entis reciprocatio. ***Attributa propria cum ente, cui conveniunt, reciprocantur.*** Posito enim attributo proprio ponitur integra rei essentia (§. 351.). Sed, hac posi-

posita, ponitur ens ipsum (§. 332.). Posito igitur attributo proprio, ponitur ens, cujus scilicet est proprium. Porro: Posito ente ponitur integra ejus essentia (§. 332.), sed hac posita, ponitur id, unde determinatur attributum proprium (§. 347.), seu ponitur attributi proprii determinans (§. 195.), quo posito, ponitur attributum proprium, tanquam ejus determinatum (§. 196.). Posito itaque ente, ponitur ejus attributum proprium. Consequenter ens & attributum proprium se mutuo ponunt. Inter se ergo reciprocantur (§. 354.).

Sic æqualitas omnium trium angulorum est attributum proprium trianguli æquilateri, cum hoc igitur reciprocam habet naturam, quam *Euclides* in corollariis ad V. & VI. propositionem Elem. I. demonstrat.

Usus Logicus. Ceterum ex theseos hujus demonstratione patet ratio, cur proprietas entis loco ejus essentiæ stare possit, hac ignorata, & cur ex attributo rei proprio accurata ejus condi queat definitio.

§. 356.

Attributi communis nexus cum essentia explicatur. ***Posito attributo communi, non nisi illud, vel illa essentialia ponuntur, per quod, vel quæ determinatur, h. e. posito huic enti hoc inesse attributum commune, non tamen simul poni potest illud simul possidere totam hanc essentiam, qua gaudet, sed illa tantum tenere essentia-***

tialia, per quæ attributum illud commune determinatur. Nam attributum commune non determinatur per totam essentiam, seu omnia essentialia simul sumta, sed tantum per unum vel aliquot essentialium (§. 347.). Non ergo tota essentia, sed unum modo vel aliquot essentialium sunt respectu attributi communis, ceu sui determinati, determinantia (§. 195.). Quam ob rem, quum, posito determinato, non ponantur nisi ejus determinantia (§. 197.); posito attributo communi, non nisi illud, vel illa essentialia ponuntur, per quæ determinatur.

Impingunt in hanc propositionem Cartesiani, putantes posita extensione poni corpus ipsum, seu integram corporis essentiam: Nam est extensio attributum corporis & spatii commune, illa ergo posita, non ponitur nisi illud essentiale, quod corpori æque ac spatio competit, minime vero integra corporis essentia, prout a spatii natura distinguitur.

§. 357.

Quando attributa communia cum proprio coincidunt.

Positis autem pluribus attributis communibus, quæ simul sumta sunt instar attributi proprii, ponuntur omnia rei essentialia. Quando enim plura attributa communia, simul sumta, sunt instar attributi proprii, per modum attributi proprii recte considerantur

tur. Sed posito attributo proprio, ponitur integra rei essentia (§. 351.). Positis ergo tot attributis communibus, quot simul sumta sunt instar attributi proprii, ponuntur omnia rei essentialia.

Sic quæ a Geometris in definitione quadrati allegantur notæ, sigillatim spectatæ, non sunt nisi attributa quadrato æque ac Rhombo, Rhomboidi, Trapezio, et Oblongo communia; simul autem considerata nulli alii competunt figuræ, & ideo sunt instar attributi proprii, ex quo, ut Logica docet, legitima conditur definitio. Definiunt enim quadratum per figuram 1:o. *Quadrilateram*, 2:do) *Æquilateram*, & 3:o) *Rectangulam*. Primum requisitum est commune omnibus figuris quadrilateris, secundum rhombo, æque ac quadrato competit, tertium cum oblongo habet quadratum commune. Omnia tamen hæc tria, simul spectata, nulli, præter quadratum, figuræ conveniunt, & ideo insunt ei instar attributi proprii, quod integram quadrati ponit essentiam.

§. 358.

Sublato attributo communi, tollitur simul rei essentia i. e. tolle unum attributum commune & non amplius manebit eadem essentia, eadem res. Attributum commune per unum vel aliquot essentialium determinatur (§. 347.), unum igitur, vel aliquot essentialium sunt determinantia, quorum determinatum est attributum commune (§. 195.).

Attributum commune tolli nequit, nisi tollatur essentia.

 Si

Si itaque sublato attributo communi, unum vel aliquot essentialium, per quæ determinatur, nihilominus manerent salva, poneretur determinans, non vero determinatum, quod, per ante demonstrata (§. 196.), est absurdum. Quam ob causam vere statuimus, sublato uno attributo communi, tolli simul illa essentialia, per quæ determinantur: sublatis autem uno vel aliquot essentialium amplius manere nequit idem prædicatorum essentialium numerus, consequenter nec eadem essentia, nec idem ens: Illa enim in sequentibus docebo eadem esse, quæ salvo quovis respectu, sibi mutuo substitui possunt. Essentia igitur uno vel altero essentiali destituta, in locum integræ essentiæ substitui nequit.

Usus Physicus. Errant itaque Cartesiani, in extensione essentiam corporis ideo ponentes, quod, illa remota, removeatur corpus: Quodvis enim attributum commune hoc fulget privilegio, quod a suo subjecto removeri nequeat, nisi simul tollatur subjectum ipsum; Nemo tamen, nisi rerum ignarus, ideo affirmabit attributum rei commune esse ejus essentiam.

Usus Theologicus. Peccant etiam contra hanc assertionem Monotheletæ, qui docuerunt unam tantum dari in *Christo* voluntatem, divinam nimirum, humana negata: Est enim voluntas attributum animæ humanæ, ceterisque spiritibus suo sensu commune, quo sublato,

lato, tollitur, vi præsentis canonis, ipsa essentia animæ humanæ, & ideo, quum hæc sit essentialis hominis pars, tollitur ipsa humana natura. Si ergo *Christus* voluntatem humanam non haberet, verus non esset homo, quod sacræ Scripturæ et speciatim Historiæ passionis *Christi* è diametro adversatur.

§. 359.

Quod vel unico entis attributo repugnat, id etiam repugnat essentiæ ejusdem entis. Quod enim attributo repugnat, simul affirmat, & simul negat idem attributum (§. 43.), & proinde, vi principii contradictionis (§. 53.), tollit ipsum attributum: Est vero attributum vel proprium vel commune (§. 348.), & sublato unico vel attributo proprio, vel communi, tollitur rei essentia (§. §. 352. 358.). Quod itaque vel unico entis attributo repugnat, essentiam illius entis tollit, seu, quod eodem redit, essentiæ repugnat.

Quod repugnat attributo repugnat essentiæ.

Suo constabit loco attributa, re ipsa, identificari cum essentia entis, unde, quia quæ re ipsa eadem sunt, mutuam admittunt substitutionem, satis & denuo evadit perspicuum, nihil repugnare attributo, nisi quod etiam simul repugnet essentiæ. Ex. gr. Angulum externum esse majorem utrolibet angulorum internorum & oppositorum in triangulo rectilineo, est hujus triangulorum generis attributum per 16. El. 1. Huic autem attributo repugnat quod bini in triangulo anguli sint actu ipso recti per 17. El.

1. Ergo etiam idem repugnat essentiæ dicti trianguli.

§. 360.

Corollarium. Prona hinc fluit consequentia, quod repugnat attributo entis, id ei enti esse absolute impossibile, seu, illi enti nequaquam competere posse (§. 326.).

Sunt compositio & extensio essentialia corporis atttibuta, quibus facultas cogitandi absolute repugnat. Recte itaque, vi præsentis consectarii, concludimus absolute impossibile esse, ut facultas cogitandi corpori competat.

§. 361.

Ens Metaphysicum qualia habet attributa. *Omnia entis Metaphysici attributa sunt ei propria.* Ex notione entis Metaphysici evicimus (§. 342.) illud habere attributa, ergo aut communia aut propria (§. 348.). Si illud, attributa entis Metaphysici per quædam ejus essentialia determinarentur, aliisque entibus essent communia (§. 347.). Præter ens igitur Metaphysicum darentur alia entia, quæ illud suo ambitu non comprehenderet. Ens itaque Metaphysicum non esset universalissimum, quod quum sit absurdum (§. 10.227.), liquet attributa entis non esse communia, sed propria.

Idem directe exinde colligitur, quod attributa enti Metaphysico attribuenda, ex tota ejus essentia, quæ conceptu primo absolvitur, fluere de-

demonstravi (§. 342.), & ideo non posse non esse ei propria. Spectant huc unitas, veritas, bonitas, perfectio, cetera, quæ æque late patent ac ens ipsum.

§. 362

Corollarium. Quodvis ergo entis Metaphysici attributum cum illo reciprocatur (§. 355.).

Hinc est quod veteres Metaphysici dicant attributa entis esse ei reciproca, quam assertionem, ut veritati congruam, universali heic stabilire volui demonstratione, particulariter suis ostensurus locis, quodlibet entis attributum cum illo reciprocari.

§. 363.

Divisio attributorum entis Metaphysici. Hæc entis Metaphysici attributa distinguere solent Philosophi in *Simplicia* seu *Unita*, & *Conjuncta*, seu *Disjuncta*. Illa absolute ac sine oppositorum disjunctione de ente reciprocantur. Hæc non nisi cum disjunctione cum ente retrocurrunt.

Sic ex communi & recepta dudum sententia, attributa entis simplicia sunt, unitas, veritas, perfectio, bonitas. Disjuncta vero esse, idem vel diversum, necessarium vel contigens, &c.

Fundamentum divisionis. Ens in sua inferiora & superiora per convenientiam & disconvenientiam attributorum distingui, suo loco ex his independenter demonstrabitur. Hinc ergo non obscurum arbitror, quædam esse

attributa omni enti communia, per quidditatem entis, generalissime accepti, determinata; quædam vero non omni enti communia, sed uni inesse, cujus oppositum in altero deprehenditur. Inferiora ergo entis contradictorie opposita, siquidem de suo superiore, per principium exlusi medii prædicantur, si enunciatione disjunctiva conjunctim efferuntur, constituunt sui superioris attributum (§. 340.). Adparet igitur fundamento non destitui distinctionem attributorum in simplicia & disjuncta. Ita necessarium & contingens sunt inferiora entis, generalissime accepti, sibi mutuo opposita, de omni itaque ente prædicari nequeunt singulatim, sed cum conjunctione membri oppositi. Recte hinc dicimus omne ens esse vel necessarium vel contingens, & hoc ipsum esse attributum entis disjunctum.

§. 364.

Affectiones esse vel essentiales vel extraessentiales antea docuimus (§. 339.); de essentialibus, seu attributis, hactenus egimus, sequuntur Extraessentiales, quas *Accidentia* vel *Modos* nuncupamus. Sunt ergo *Accidentia* ejusmodi entis affectiones, quæ non per essentiam unice, sed simul per alias res, ab essentia diversas, determinantur, seu, quæ rationem sufficientem, cur actu insint, in essentia minime habent, sed rationes, inexistentiam earum determinantes, adhuc requirunt alias, ab essentia diversas.

Definitio accidentis s. modi.

Ex. gr. Eruditio in homine est ejus accidens, vel modus, nam per essentiam hominis unice non

deter-

determinatur; si enim determinaretur, esset attributum hominis (§. 340.), eidemque constanter competeret (§. 344.); quod tamen experientia absonum docet. Habeat vero necesse est rationes inexistentiam sui determinantes (§. 88.), quæ itaque non ex essentia hominis, sed aliunde derivandæ. Quia tamen, ut quivis intelligit, & suo mox docebitur loco, eruditio homini haud competere posset, nisi naturalem, seu essentialem, ille teneret recipiendæ eruditionis dispositionem; recte statuimus eruditionem præter essentiam hominis, naturalem ejus complexam dispositionem, rationes determinantes, adhuc alias, ab essentia diversas postulare, diligentiam nimirum & occasionem utendi bonis informatoribus, perlegendique cum attentione libros, a viris solida eruditione compositos, nec non reliqua ejusmodi externa incitamenta & conamina.

Æquivocatio accidentis. Accidens, quod heic explicamus, triplicem apud Eruditos habet acceptionem. Nam 1:o) *opponitur substantiæ*, seu essentiæ existenti, ideoque natura sua subjecto inest. Vocaturque alias *Accidens prædicamentale*, quod ambitu suo, secundum Aristotelicos, complectitur novem eorum ultima prædicamenta. 2:do) *Opponitur essentiæ rei*, abstractive & præcisa existentia spectatæ, strictiusque sumtæ pro primo rei conceptu. Hoc itaque sensu sub se comprehendere accidens omnes entis affectiones, sive attributorum nomine veniant, sive minus. Dicunt ergo Scholæ Aristotelicæ Patroni, accidens esse, quod est extra conceptum primum. 3:tio) *Opponitur essentiæ*

tiæ & attributis simul, vel, ut alii loqui amant, opponitur essentiæ latius acceptæ pro omni eo, quod rei necessario inest. Atque hoc ultimo sensu heic loci accipitur Accidens, quod alioquin *Prædicabile* nuncupatur. De hoc accidenti agit *Aristoteles* L. I. Top. Cap. V. §. 8. & seq. quod ibidem contradistinguit generi, definitioni & proprio, & quod recte sic definit: συμβεβηκὸς ἐστιν, ὃ ἐνδέχεται ὑπάρχειν τινὶ καὶ τῷ, καὶ μὴ ὑπάρχειν. Accidens est, quod potest uni & eidem subjecto inesse & non inesse. *Porphyrius* in Isag. Cap. VI. addit, quod accidens possit adesse & abesse sine interitu subjecti: συμβεβηκός ἐστιν ὃ γίνεται, καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς ὑποκειμένε φθορᾶς. Accidens dicitur, quod abest vel adest sine subjecti interitu. Cujus definitionis hic est sensus: Accidens dicitur, quod ita tribuitur subjecto, ut, manente essentia ejus, possit vel affirmari vel negari de illo subjecto. Sic sive dicas hominem esse rudem sive eruditum, manet tamen essentia hominis integra & illæsa. Illustri *Wolfio* §. 67. Log. Lat. & §. 148. Ontol. ideo displicet vocabulum accidentis, quod putet illud æquivocationi esse obnoxium, placet vero vocabulum *modi*, quod tamen haud minori laborat ambiguitate. Nam 1:o) *Quandoque tam late sumitur modus, ut sub se comprehendat & attributa & accidentia:* sic Peripatetici, unitatem, veritatem, & reliqua communissima entis attributa, modos nuncupant. 2:do) *Accipitur stricte pro quavis affectione extraëssentiali tantum*, quo sensu cum accidente prædicabili coincidit,

Æquivocatio Modi.

& qui-

& quibusdam vocatur modus non essentialis. 3:o) *Pro eo quod rei singulari ita est affixum, ut nec esse sine ea, nec concipi possit.* Sic sessio Petri ita Petrum afficit, ut sine illo concipi non possit. 4:o) *Pro accidente, quod substantiæ opponitur*, seu, pro accidente prædicamentali, ut *Rœttenbeccius* in Log. V. & N. Q. 300. recte monet. Non ergo existimaverim modi vocabulum termino accidentis, ob minorem illius æquivocationem esse præferendum. Promiscue itaque his utar vocabulis, sub una tamen eademque constanti notione, quam hac expressimus §:pho.

§. 365.

Posita essentia rei, non statim ponuntur hæc vel illa ejus accidentia. Si enim, posita essentia, accidentia simul ponerentur, per essentiam determinarentur accidentia (§. 194.); hæc ergo in illa rationem invenirent sufficientem (§. 198.), quod tamen horum repugnat definitioni (§. 364), ideoque absurdum (§. 53). Posita ergo essentia rei, non statim ponuntur ejus accidentia. *Posita essentia non ponuntur accidentia.*

Posita ex. gr. actualitate entis, anima rationali & corpore organico compositi, i. e. posita actualitate hominis, non statim ponitur eruditio, seu hominem esse eruditum.

Insigne ergo exhinc patescit inter attributa & accidentia discrimen, quum illa statim ponantur, posita essentia (§. 343.), hæc autem & poni & non poni possint, illæsa in utroque casu manente essentia.

§. 366.

§. 366.

Accidentium inconstantia.

Accidentia enti, cui competunt, inconstanter insunt. Vi principii exclusi medii (§. 64.) manifesto liquet, omne quod enti inest, aut constanter aut inconstanter eidem inesse. Fac accidentia enti constanter inesse, posito igitur ente, simul ponerentur accidentia: illa enim constanter copulata dicimus, quorum uno posito, alterum simul poneretur. Sed posito ente, ponitur ejus essentia (§. 332.). Hac ergo posita, accidentia ponerentur. Verum enim vero posita essentia rei, non statim ponuntur hæc vel illa ejus accidentia (§. 365). Constanter ergo enti inesse nequeunt accidentia, insunt itaque nonnisi inconstanter.

Ex. gr. Calor & frigus sunt lapidis accidentia, sed potest lapis nunc esse calidus, nunc frigidus, prout in his vel illis circumstantiis fuerit collocatus, salva tamen manente ejus essentia.

Recte itaque ex *Aristotele* & *Porphyrio* (§. 364.) docent veteres Philosophi accidens & adesse & abesse posse. Quare si aliquod accidens quibusdam inseparabile dicitur, respectus habetur ad actualem separationem, viribus naturæ naturaliter instituendam, quæ haud raro physice est impossibilis, licet potentia majori sit possibilis.

§. 367.

Cui competant accidentia.

Non-existenti nulla competunt accidentia. Non-existens est possibile

le merum (§.211.), quod possibilitatem absolutam sine existentia habet (§. 148.), absolvitur itaque non-existens absoluta possibilitate. Sed quicquid huic inest constans est (§ 229.). Si ergo accidentia non-existenti competerent, essent constantia. Quod quum eorum evertat naturam (§. 366.), non-existenti attribui nequeunt accidentia.

Expedita et evoluta actionis & passionis theoria, quam tamen proponendi nondum est locus, idem hoc assertum directa, haud difficulter evinci poterit ratione: Omne enim accidens enti, cui accedit, infert aliquam mutationem, quatenus jam aliud fit, hoc scilicet accidente vestitum, quam antea erat: omnis autem mutatio actionem vel passionem involvit, prout suo patebit loco, actiones quo & passiones non-existenti competere nequeunt (§. 213.). Ergo non-existentis nulla sunt accidentia. Sic homo nondum existens vocari nequit eruditus, neque mortuo tribui potest eruditio, nisi animæ, post mortem corporis superstiti.

Qui non-ens sensu participiali sumunt pro non-existente, in hunc modum, præsentem exprimunt regulam: *Non-entis nulla sunt accidentia.* De cujus regulæ discrimine ab altera illa: *Non-entis*, sensu nominali, *nulla sunt prædicata*, modo egimus (§. 264.).

Occasio & usus canonis

Exinde quod *Aristoteles* L. IV. Metaph. Cap. IV. dicat ea, *quæ non sunt, quonam pacto loquentur, aut ambulabunt.* Et. L. V. Phys. text. 8. *impossibile est id, quod*

Theologicus. *non est moveri*, natum esse præsentem, canonem: *Non existentis nulla esse accidentia*, observat *Rixnerus* in usu Metaphys. p. 31. 32. Ad cujus intelligendum sensum varii varia monent, quæ omnia adferre & proponere minus duco necessarium, quum ipse canon, modo, quo eum expressimus, sua radiet luce. Satis namque patet hunc canonem de veris, quæ insunt, loqui accidentibus, non vero de accidentibus alterius entis, ad alterum vi intellectus, vel voluntatis, relatis. Quæ enim actu non sunt, possunt tamen idealiter in mente repræsentari, & eatenus cognosci, desiderari, amari, quæ omnia sunt accidentia mentis, re ipsa existentis, non vero ipsorum objectorum, quæ cognoscuntur, desiderantur, amanmantur. Sic quando Ioh. VIII. dicitur Abrahamum desiderasse & gestivisse videre Diem *Christi*, seu *Christum*, in carne, non humanæ *Christi* naturæ, nondum existenti, sed Abrahamo existenti tribuitur accidens. Præsenti ergo canone abutuntur Calviniani ad veram & orthodoxam de fide & incredulitate doctrinam, quantum penes ipsos, eliminandam & evertendam, hunc fere in modum argumentantes: *Non-existentis nulla sunt accidentia: Atqui fides a Deo ab æterno prævisa, tunc fuit non-existens, Neutra itaque tum causa esse potuit, cujus intuitu hominem vel ad vitam prædestinaret, vel perpetuæ damnationi addiceret.* Sed confundunt adversarii esse fidei & incredulitatis actuale, cum esse illarum cognito: Non dicunt Orthodoxi fidei & incredulitati, ab æterno prævisis, quatenus utraque est ejusmodi, competere, seu, inesse accidentia, scili-

ſcilicet vim cauſandi vel efficiendi aliquid; hoc enim modo in præſentis canonis veritatem manifeſto incurrerent, ſed contendunt ſine ulla præſentis canonis læſione, fidem & incredulitatem, ab æterno in intellectu Divino repræſentatas & prævifas, eſſe cauſam impulſivam prædeſtinationis & reprobationis, h. e. eſſe rationem decreti divini de prædeſtinatione & reprobatione. Quo ipſo fidei & incredulitati nullam tribuunt activitatem, ſed earum in intellectu Divino exiſtenti repræſentationi; unde non magis ſequitur fidei & incredulitati, nondum exiſtentibus, competere accidentia, quam reliquis omnibus poſſibilibus, in intellectu Divino & fundatis & repræſentatis. Videatur ſi placet Dn. D. *Joh. Muſæi* diſſertatio de æterno electionis decreto Cap. I. §. IV. ſeqq.

Potiori longe jure utuntur Noſtrates præſenti canone: *non-exiſtenti nulla competunt accidentia*, ad convellendum purgatorium, a Pontificiis effictum, quod, prout illud deſcribunt *Bellarminus* L. I. de Purg. Cap. I. *Georgius de Valentia* T. IV. Diſp. II. Q. 1. *Carolus Stengelius* Tract. de ſtatu animarum poſt mortem Cap. V. aliique Pontificiorum, *quod*, inquam, juxta hos *eſt locus ſubterraneus, inferno damnatorum vicinus, in quo, tanquam in carcere, poſt mortem fidelium animæ, quæ in hac vita non plene fuerunt purgatæ, ſed vel obſtrictæ adhuc reatu temporalis pœnæ, vel onuſtæ aliquibus peccatis venialibus ex corpore migrarunt, cruciantur pœna exquiſitiſſima & infernali, non tamen æterna, ut nimirum a reliquiis ſordium expurgatæ in cœlum tandem intromittantur.* Tribuunt ergo Pontificii ſuo purgatorio vim

cruciandi & expurgandi, accidentia scilicet rei existenti competentia. Ast non existit ejusmodi purgatorium, quum scriptura sacra illud prorsus ignoret, quæ etiam piis statim a morte promittit æternam beatitudinem, impiis condemnationem Es. LVII. 2. Joh. V. v. 24. Phil. I. 23. Apoc XIV. 13. Marc. XVI. 16. ubi in ultimo præsertim loco distinguuntur homines in binas oppositas classes, pios & impios, quorum cuilibet tribuitur oppositus & non nisi duplex post mortem Status: Purgatorium ergo, quod statum intermedium, vel tertium importaret, non existit. His accedit purgatorium Patribus & Scriptoribus antiquis fuisse incognitum, ut *Alphonsus de Castro*, ipse Pontificius, qui Concilio Tridentino interfuit. L. VIII. adv. hæreses in verbo indulgentiæ, concedit. Quam ob rem, quia non existentis nulla sunt accidentia frustra de purgatorii loco, aliisque similibus disputant Pontificii.

§. 368.

Accidentia non competunt nisi actuali.

Quia inter existens & non-existens non datur medium (§. 212.), huic vero nulla competunt accidentia (§. 367.); *non nisi enti actuali, minime autem potentionali conveniunt accidentia* (§. 292.).

Quamvis nullum ens nisi actuale capax sit accidentium, inde tamen non colligas præcor omni existenti competere accidentia. Certum quippe est modos esse prædicata inconstantia & mutabilia, nec proinde competere enti, nisi mutabili

bili & contigenti, minime autem Infinito & absolute Perfecto.

§. 369.

Modi non sunt prædicata Entis Metaphysici.

Accidentia ergo non sunt prædicata entis Metaphysici universalia. Quia ens, quod est Metaphysices objectum, tam late sumitur, ut comprehendat & actualia & potentionalia (§. 295.), sed enti potentionali nulla conveniunt accidentia (§. 368.) Convenirent tamen si essent universalia entis prædicata, secundum notissimam Logicorum regulam: quicquid competit generi, cuilibet ejus speciei tribuendum est. Accidentia igitur non sunt prædicata Entis Metaphysici universallia.

Cur de accidentibus in Metaphysica agendum?

Licet ergo in prædicatis entis Metaphysici accidentibus non concedatur locus, quatenus tamen de proxima ejus specie, ente scilicet actuali, valent, eorumque theoria indispensabilem habet in reliquis omnibus scientiis usum, vel eadem removendo, ut in Theologia Naturali, vel ponendo, ut in reliquis disciplinis; Metaphysices, quæ universalissima reliquarum disciplinarum tractat principia (§. 7. 8.), officium sine dubio erit generalem accidentium evolvere & condere notitiam, maximo huic & universali servituram usui.

§. 370.

Quid requiritur diver-

Accidentia prius inesse nequeunt enti, quam alia ista, ab essentia eius

ut accidens enti insit? *diversa, per quæ actualitas eorum determinatur, existunt.* Accidentia enim per essentiam entis unice non determinantur, sed simul per alias res, ab essentia diversas (§. 364.). Quamobrem si actualitas ac-accidentium prius poneretur, quam actualitas essentiæ entis, & reliquorum istorum ab essentia diversorum, ante poneretur determinatum, quam determinans (§. 195.). Sed determinatum poni nequit, nisi posito ejus determinante (§. 197.). Ergo nec actualitas accidentium poni potest prius, quam posita fuerit actualitas essentiæ entis, ceterorumque ab essentia diversorum, per quæ actualitas determinatur accidentium.

Certe si prius existerent accidentia, quam actu darentur, per quæ eorum determinatur actualitas, non opus esset, ut per alia ista, ab essentia diversa, determinarentur, quod & præsentis propositionis hypothesin everteret, & definitioni accidentium e diametro adversaret. Quis v. gr. dixerit prius lapidem esse calidum, quam existat ille, deturque eum actu positum esse in loco calido. Pari modo, eruditio non prius attribuenda est homini, quam ille existat, solida informatione instructus, & propria excitatus diligentia.

§. 371.

Idem ulterius exponitur. *Ubi itaque non datur rerum plurium concursus, ibi nec dantur accidentia*: Solius enim entis essen-

tia

tia non sufficit ad accidens determinandum (§. 365), sed requiritur ejus actualitas (§. 268.), actualitas quoque aliarum rerum ab essentia diversarum (§. 370.), ut adeo perspicuum sit non dari accidens, ubi non adest rerum plurium concursus.

Ita lapis ex. gr. nunquam erit calidus, nisi cum illo concurrat calor alterius entis, ignis scilicet, vel focalis, vel solaris, vel attritu cum alio corpore excitati.

§. 372.

Quæ entis interna prædicata?

Quicquid enti inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel accidentia, seu modos, est referendum. Quicquid enti inest, id aut per alia, quæ simul insunt, determinatur, aut per alia illa non determinatur (§. 63.). Quæ per alia, quæ simul insunt, non determinantur, aut aliis determinandis inserviunt, aut non (§. cit.). Quæ simul insunt, neque tamen a se invicem determinantur, sed aliis determinandis inserviunt, essentialia vocantur (§. 320.). Quod autem per essentialia determinatur attributi venit nomine (§. 340.). Quod per essentialia non determinatur & tamen inest, accidens vocatur (§. 364.). Nihil ergo competit enti, nisi quod vel inter essentialia, vel attributa, vel accidentia, sit numerandum.

Brevius. Omni enti essentialia conveniunt (§. 329.). Quicquid autem præterea enti com-

petit, id vel per ſola eſſentialia determinatur, vel per eadem ſola non determinatur (§. 63.). Si prius, habes attributa (§. 340.), ſi poſterius, accidentia (§. 364.). Quicquid igitur enti ineſt, id vel inter eſſentialia, vel attributa, vel accidentia locum habet.

Habemus igitur omnia intrinſeca entis prædicata, in certas diſtributa claſſes, unde quid haurire liceat commodi omnes loquuntur ſcientiæ, quæ ſine ſolicita hac prædicatorum entis diviſione, quam plurima laborarent confuſione. Id, ut ceteras, prolixitatis vitandæ gratia, taceam, ex Logicis abunde patet, in qua plurimæ comparent regulæ, tam in prima atque ſecunda, quam tertia mentis operationibus, huic innixæ diſtinctioni. Unde nec in definiendo, nec in judicando, nec in ratiocinando, hac vel ignorata, vel ſepoſita diſtinctione, tutus & a confuſione liber quis iverit.

Ceterum obſerves præſenti propoſitione non ſtatui, cuilibet, enti conjunctim competere, quæ enumeravimus, prædicata: mox enim evici accidentia non eſſe univerſalia entis Metaphyſici prædicata (§ 369.), ſed actualibus tantum competere (§. 368.), neque tamen iis omnibus, ſed finitis tantum; eſſentialia autem & attributa omni ineſſe enti (§. 329. 342.). Non ergo conjunctive ſed disjunctive interpretanda eſt noſtra theſis, id unice intendens, quod nihil enti competat, niſi quod ſit vel eſſentiale, vel attributum, vel accidens.

Qui tam late ſumunt eſſentialia, ut ſub illis, præter

ter essentiam, attributa quoque comprehendant, præsentem ita enunciare solent regulam: *Quicquid enti convenit, id ei convenit vel essentialiter, vel accidentaliter.* Abutuntur hac regula Nestoriani, *si*, inquiunt, *Filio Dei revera competit esse hominem id competit Ei vel essentialiter, vel accidentaliter, sed non essentialiter, quæ fuit hæresis Eutychis, Ergo accidentaliter. Ergo Filius Dei humanam naturam sua substantia non terminavit, seu illam sibi personaliter non univit.* Unde ἕνωσιν duarum in *Christo* Naturarum non aliter definiendam putavit Nestorius, quam per inseparabilem παρουσίαν vel παράστασιν & inhabitationem in natura assumta. Sed præterquam quod incarnatio Filii Dei sit *magnum pietatis mysterium* 1. Tim. III. 16. non interpretandum per nudam adpropriationem, sed per realem & Personalem unionem, ad quam exprimendam *Johannes* Cap. I. ait. *Verbum caro factum est:* Præter hoc, inquam, observes Nestorium non intellexisse regulæ, qua abutitur, sensum. Agit quippe præsens regula de prædicatis enti intrinsecis, seu, quæ ipsi enti, absque unione cum alio, insunt, non vero de prædicatis, per unionem ei tribuendis: Hinc quia non dicere licet τὸ esse hominis Filio Dei seu Ipsi Deo inesse, sed Ei per unionem tantum personalem competere; recte affirmo τὸ esse hominis Filio Dei neque essentialiter neque accidentaliter competere, sed ὑποστατικῶς, per unionem scilicet personalem; Nestorium ergo suæ hæreseos præsidium in præsenti verissimo canone haud invenisse.

Usus Theologicus.

§. 373.

Modus distingvendi accidentia ab essentialibus & attributis.

Quæ enti inconstanter insunt, seu, quæ modo insunt, modo non insunt, in accidentibus sunt referenda. Quicquid enim enti inest, id vel inter essentialia vel attributa vel accidentia est referendum (§. 372.), sed tam essentialia, quam attributa constanter enti insunt (§. 329. 344.), Accidentia autem inconstanter (§. 366.). Hæc ergo sola ex iis omnibus, quæ enti insunt, inconstanter eidem competunt.

Nihil in vita vulgari hoc modo distinguendi accidentia ab essentialibus attributisque magis est usitatum et commune. Hinc passim in vernacula nostra lingua accidens aliquod ab essentialibus attributisque discreturi dicere solemus: *Thetta är intet något vist, utan är gångande och kommande; thetta är et tilfälligt ting.* Philosophi vero est, quod in vita communi confuse & indeterminate proponitur, distinctis determinatisque enodare terminis, & quod sine demonstratione admittitur, demonstratione corroborare. Modum ergo huncce disterminandi accidentia ab essentialibus, in vita communi distincte non cognitum, distincte proposuimus, propositumque demonstravimus.

§. 374.

Idem ulterius explicatur.

Quæ enti constanter insunt, vel inter essentialia, vel attributa locum habent. Quod enti inest vel essentialibus, vel attributis, vel acciden-

tibus

tibus eſt adnumerandum (§. 372.) Sed quod conſtanter ineſt accidens eſſe nequit (§. 373.), illud ergo vel ad eſſentialia vel ad attributa pertinet, quibus utrisque conſtanter ineſſe convenit (§. 329. 344.).

In adplicatione hujus theſeos obſerves de eo heic agi, quod abſoluto ſenſu enti, ſive in ſtatu actualitatis, ſive poſſibilitatis ſpectetur, conſtanter competit, non autem de eo, quod in ſtatu actualitatis ſolum, & diverſis ejus circumſtantiis, a nobis deprehenditur conſtans: Hoc enim non ſemper eſſentiale, vel attributum rei, ſed accidens non nunquam eſſe poſſe, vel ipſa docet entis finiti actualitas, quæ tamen enti finito, quamdiu ejus a Deo ſuſtentatur actualitas, ſive in hac ſive in alia circumſtantia collocetur, conſtanter ineſt, etſi non niſi accidens ejus ſit, prout ſuo demonſtrabitur loco.

§. 375.

Quod accidens enti ineſſe queat?

Aliud accidens enti ineſſe nequit, quam quod eſſentialibus iſtius entis non repugnat. Accidens, quod enti ineſt, vel ineſſe poteſt, aut ejus eſſentialibus repugnat, aut non repugnat (§. 63.). Si repugnaret vel contradiceret, & nihilo ſecius vel ineſſet, vel ineſſe poſſet, de eodem ente idem ſimul affirmaretur & negaretur (§. 43.), quod principio contradictionis e diametro adverſatur (§. 53.), & proinde abſurdum (§. 54.). Aliud itaque accidens enti ineſſe nequit, quam quod eſſentialibus ejus non repugnat.

Sic

Sic lapidi non repugnat ut sit calidus, calidus ergo fieri potest lapis: repugnat vero eidem ut sit aëre specifice levior, & proinde in illo naturaliter adscendat. Lapis ergo in aëre naturaliter, i. e. libere, & nulla externa vi pulsus, adscendere nequit.

§. 376.

Ratio cur accidentia inesse possint. *Cur accidentia enti inesse possint ratio in essentialibus ejus continetur.* Nullum accidens essentialibus entis, cui inesse potest, repugnat (§. 375) Etsi per illa, qua inexistiam suam, non determinetur (§. 364.). Per essentialia igitur entis intelligitur cur accidentia eidem non repugnent, & ideo, cur inesse possint (§. 124.). In Essentialibus itaque continetur ratio cur accidentia inesse possint (§. 82.).

Perspicue itaque intelligimus quodlibet accidens aliquam in ente, cui inest, præsupponere aptitudinem, seu, possibilitatem, vel, ut alii loqui amant, dispositionem illud admittendi, qua secus habita & negata, quodlibet ens aptum foret ad quodvis assumendum accidens, eademque causa rei cuilibet eundem inducere valeret modum. Quo pacto brutum v. gr. quodcunque æque posset eruditionem sibi comparare ac homo: ignis lignum perinde liquaret ac metallum; Leones æque volarent ac aves, pisces in aëre æque natarent ac in aqua. Et ejusmodi alia. Quæ tamen omnia, quum unusquisque sua quasi sponte absurda fateatur, simul agnoscat necesse est omne accidens postulare in subjecto, cui

cui insit, aliquam inexistendi aptitudinem seu, dispositionem.

§. 377.

Hæ accidentium possibilitates aut per essentialia entis unice determinantur, aut simul per accidentia quædam præcedanea, resque alias externe advenientes. Accidentium possibilitates rationem inveniunt in essentia entis (§ 376.), est vero ratio vel sufficiens, vel insufficiens (§. 83.). Essentialia igitur entis exhibent rationem possibilitatis accidentium vel sufficientem, vel insufficientem; si sufficientem, tunc præter essentialia rei nihil desideratur amplius ad intelligendum cur hæ & non aliæ ei competant accidentium possibilitates (§. cit.), quæ hoc igitur casu per essentialia entis unice determinantur (§. 194.). si vero essentialia non nisi insufficientem rationem præstant possibilitatibus accidentium, præter essentialia aliquid requiritur amplius, cur hæ enti insint possibilitates et non aliæ (§. 83.). Quia tamen nihil est sine ratione sufficiente (§. 88.), præter essentialia aliud datur, quod cum illis conjunctum constituet rationem sufficientem possibilitatum accidentium. Illud vero præter-seu extraessentiale aut est enti internum aut externum (§. 63.); Si internum. attributum erit vel accidens (372.), attributorum autem ratio sufficiens in solis essentia-

Possibilitates accidentium unde determinantur.

ſentialibus continetur (§. 340.). Ratio, itaque in attributis ſita, nequit eſſe, quæ quæritur præter-eſſentialis. Remotis idcirco attributis in internis non remanent niſi accidentia, quæ ſi non ſufficiunt, vel ſi non ingrediuntur rationem poſſibilitatis modi; illud præter-eſſentiale, quod amplius requiritur, non erit internum, ſed externum: in ente alio, vel pluribus aliis ſitum. Hinc, quia ratio ſufficiens determinantibus conſtituitur (§. 198.), recte concludimus accidentium poſſibilitates aut unice per eſſentialia entis determinari, aut ſimul per accidentia quædam præcedanea, resque alias externas.

Accidentium poſſibilitates hoc admittere diſcriminis multiplex inſuper confirmat experientia. Etenim alias huic vel iſti enti tribuimus, quia his vel illis gaudet eſſentialibus, alias ideo ineſſe obſervamus, quia his vel iſtis affectum eſt accidentibus præcedaneis; alias tandem, quia in his vel iſtis circumſtantiis externis eſt collocatum. Ignoramus quidem etiamnum omnia corporis eſſentialia, ſcimus tamen vim gravitatis ei per modum eſſentialium vel attributi non ineſſe, ſed accidentalem poſſidere naturam. Competit hæc vis omni corpori, adeoque etjam plumbo, cujus eſſentiæ, quia ſubjecto quod plumbum dicitur, actu ineſt, non repugnat, per illam ergo agnoſcitur inexiſtendi poſſibilitas. Quod vero actu ipſo aquis ſubmergatur plumbum, aliud eſt accidens, cujus poſſibilitatem non ſola determinant eſſentialia plumbi, ſed

sed simul præcedaneum illud accidens, in vi gravitatis situm: nam si plumbum non majorem præ aquis haberet gravitatem specificam, nunquam in aquis descendere posset. Calor lapidis est accidens, cujus possibilitatem non sola determinant essentialia lapidis, sed simul causa aliqua externa, ignis scilicet focalis vel solaris, qui contingenter cum lapide conjungitur. *Habitus solida ratiocinandi*, quia actum involvit homini non essentialem, hominis est accidens, cujus possibilitas per facultatem ratiocinandi, essentiæ animæ insitam, intelligitur: *Eruditio* autem est accidens cujus possibilitas simul in illo accidente priore fundatur, & præterea in occasione eruditionem comparandi, quæ occasio licet inter res externas numeretur, abesse tamen nequit ad determinandam possibilitatem eruditionis: *Actus* porro *alios erudite informandi* accidens est, cujus possibilitas & per essentiam animæ, & per duo illa accidentia priora, nec non novam actum informationis exercendi occasionem, determinatur. Quomodo morbus aliquis, qui accidens hominis est, qua suam possibilitatem ex constitutione corporis humani, & simul una, vel pluribus causis externis determinetur? quo modo etiam unus morbus alterum generet? Medicorum est plenius proponere. Nobis sufficit, hæc omnia & sexcenta alia probare, quam proposuimus, thesin de diverso accidentium diversorum possibilitatis fundamento.

§. 378.

Accidentium ergo possibilitates, *Divisio* duas

possibili-tatis accidentium. duas admittunt classes, quarum *altera* illas continet, quæ per essentiam unice determinantur; *altera* illas complectitur, quæ simul in aliis rebus, ab essentia diversis, fundantur, in accidentibus nimirum præcedaneis, rebusque externis. Prioris generis possibilitates dicuntur *Proximæ*, quia in essentialibus proximam inveniunt sedem: Posterioris, *Remotæ* nuncupantur, quia per ambages quasi & anfractus ex essentia scaturiunt. Illas non incommoda denominatione *Immediatas* dixeris, quia ab essentia immediate fluunt; has autem *Mediatas* vocaveris, quia non nisi mediantibus præcedaneis accidentibus, rebusque externis intelliguntur possibiles.

Ex. gr. In partes dividi est lapidis accidens, cujus possibilitas ex sola extensione, lapidi, ut & reliquis corporibus, essentiali, unice determinatur, habetque ideo in lapide possibilitatem proximam, seu, immediatam. Sed *calefacere* est lapidis accidens, quod tunc demum locum habet, si aliud in lapide accidens, nempe calor, causa ignis externi excitatus, præcesserit: Habet itaque hoc lapidis accidens possibilitatem remotam. Plura qui illustrationis gratia desiderat exempla, adeat quæ ad præcedentem notavimus positionem.

§. 379.

Quæ accidentium Possibilitates itaque accidentium proximæ, quia ex essentalibus

bus unice determinantur (§. 378.), sunt *possibilitates sunt attributa* attributa entis (§. 340.), & quidem propria, si per omnia entis essentialia determinantur (§. 347.); communia vero, si ex quibusdam solum dependent essentialibus (§. cit.).

Verb. gr. Quadrati accidens est, quod sit per quatuor puncta, aequaliter distantia, circulo inscriptum. Hujus vero possibilitas est attributum, quadrato proprium: deducitur enim ex mutua quatuor rectarum, quibus ad angulos rectos includitur quadratum, aequalitate; omnibusque idcirco quadrati essentialibus. Divisibilitas quadrati per diagonalem in duo triangula aequalia, est attributum quadrati cum rectangulis, Rhombis & Rhomboidibus commune, non nisi ex eo dependens essentiali, quod latera opposita sint aequalia, vel, etiam si placet, parallela. Prout Geometricae palam faciunt demonstrationes.

§. 380.

Possibilitates accidentium remotae in accidentibus sunt referendae. Nam *Quae accidentia.* remotae accidentium possibilitates non unice per essentiam entis, cui competunt, determinantur, sed simul per alias res, ab essentia diversas, accidentia videlicet praecedanea, & res externas (§. 378.). Accidentibus ergo sunt accensendae hae possibilitates (§. 364.).

Sic possibilitatem actus calefaciendi, qui lapidi competit, esse possibilitatem accidentis remotam mox explicui ad §. 378. Sed est haec possibilitas accidens lapidis, nam per essentiam ejus unice non determinatur, sed simul per ca-

lorem, quem causa externa in lapide excitavit, & qui, quum inconstanter lapidi insit, inconstantem generat possibilitatem actus calefaciendi, nonnisi inter accidentia referendam (§.373.).

§. 381.

Scholion generale. Quas de accidentium possibilitatibus, modo proposuimus, theses, insignem præstant Logico usum in condendis definitionibus. Fit enim haud raro ut & essentialia & attributa rei ignoremus, & idcirco ex illis nullam condere possimus definitionem. Aut ergo nihil de re est sciendum, quod mentis nostræ indoli & fini plane repugnat; aut confugendum ad accidentia, quæ licet ipsa, ob suam inconstantiam non ingrediantur bonam definitionem, constantibus adornandam notis, ipsorum tamen in re definienda possibilitates recte adsumuntur, modo sint proximæ, non autem remotæ. In Physicis, ubi hactenus non licuit ad intimam & essentialem corporum penetrare constitutionem, sæpius occurrunt definitiones, ex proximis accidentium possibilitatibus desumtæ: Ita ut alia innumera taceam, definire possumus *aquam*, per humidum, quod in statu libero majorem caloris gradum acquirere nequit, quam qui respondeat numero 214 in Thermometro Farenheitiano. Calor est æquæ accidens, cujus possibilitas, ex essentia aquæ determinata, instar attributi consideratur.

Quo-

Quoniam vero lapis quoque & reliqua corpora calida fieri possunt, possibilitas caloris ex tota aquæ essentia non determinatur, & proinde ut attributum ejus commune recte spectatur. Ubi autem constans caloris allegatur gradus, ultra quem adscendere nequit aqua, abit in attributum aquæ proprium, ex quo, ut Logica docet, legitima erigitur definitio.

§. 382.

Quædam modorum possibilitates non sunt attributa.

Ceterum ex modo demonstratis cumulatissime intelligitur non omnes accidentium possibilitates, attributorum loco esse habendas. Quædam enim harum possibilitatum sunt nonnisi remotæ (§. 378.), quæ nôn attributorum, sed accidentium subeunt vicem (§. 380.).

Rei itaque veritati, & logico usui (§. 381.), non consulunt, qui sine discrimine pronunciant omnes accidentium possibilitates attributa esse.

§. 383.

Accidens perpetuum & temporarium.

Accidens nonnisi existenti competere (§. 368), affectionemque denotare diximus, cujus in ente inexistentiam, non sola determinant essentialia, sed simul aliæ res ab essentia diversæ (§. 364.), circumstantiæ scilicet & conditiones variæ, quæ aut semper adsunt, quamdiu ens existit; aut non semper, sed per certum tempus (§. 63.). *Si prius*, quoniam ex il-

 lis

lis conditionibus determinatur accidentis inexistentia (per hypoth. & §. 364.), positoque determinante ponitur determinatum (§ 196.); quamdiu ens existit, semper ponendum erit illud accidens; *Si posterius*, eodem, ut mox dictum est, modo liquet non semper, sed ad certum tempus adesse illud accidens. Recte hinc distinguimus accidens in *Perpetuum* & *Temporarium*, quorum illud determinatur a conditione, quæ adest cum ente, vel enti inest quamdiu illud existit. Hoc autem determinatur a conditione, quæ non semper cum ente adest, vel ei inest.

Proclivitas hominis ad peccandum, quia nec ex essentialibus nec ex attributis, quæ eadem habuit Adamus in statu integritatis ac incorrupto, determinatur, hominis est accidens, quod quia corruptionem primævam, homini, quamdiu in hac mortalitate existit, semper inexistentem, tanquam conditionem determinantem, præsupponit, eheu, nequit non esse perpetuum. In Physicis quamvis corporis essentialia plene nondum sciamus, novimus tamen gravitatem in illis non esse numerandam, neque ex illis unice determinari, recte ergo statui corporum accidens, quod tamen omni competere corpori, & maximo & minutissimo, & toti & parti, perque totam materiæ molem distribui, nec dari corpora absolute levia, vel gravitate sua penitus unquam privata, licet illa circa æquatorem decrescere deprehendatur, constans et perpetua docet Physicorum experientia. Est ergo gravitas

vitas perpetuum corporis accidens. Calor lapidis, nonnisi ex temporaria aliqua circumstantia, ignis scilicet efficacia, heic & nunc agente determinatus, lapidis accidens est non perpetuum, sed temporarium. In eundem computum veniunt eruditio aliaque ejusmodi accidentia, quæ ex conditionibus, temporis vicissitudini subjectis, determinantur.

§. 384.

Accidens proprium & commune.

Proximas accidentium possibilitates attributa esse, & quidem propria, si ex omnibus fluunt essentialibus, communia autem, si ex quibusdam determinantur, modo ostendimus (§. 379.). Fundamentum hinc habent Philosophi distingvendi inter accidentia *propria* & *communia*. *Illa* sunt, quorum possibilitates sunt attributa entis, cui competunt, propria. Hæc, quorum possibilitates sunt attributa entis, cui conveniunt, communia.

Ejusmodi accidens hominis proprium merito dixeris, *Musicum esse*, cujus inexistendi possibilitas dependet et ex anima rationali, qua harmoniam tonorum intelligere atque evolvere potest, et ex corpore organico, quo tonos audire et sensibus percipere, ipsaque tractare instrumenta valet: Fluit itaque ex omnibus hominis essentialibus, quæ anima rationali & corpore organico absolvuntur. Eodem modo *artem experimentandi* accidens hominis proprium jure adpellaveris, illa enim homini inexistere nequit, nisi is habeat & animam rationalem, qua

ars hæc disci & exerceri debet, & corpus organicum, organis sensoriis membrisque instructum, quibus objecta externa percipiat, & instrumenta præparet, præparataque dextre tractet & adornet. *E contra habitus demonstrandi* in homine, quâ suam inexistendi possibilitatem non aliud requirit, quam ratiocinandi & judicandi facultatem, quæ soli animæ, ut spiritui competit, corpori nunquam tribuenda. Non ergo ex tota hominis essentia dependet habitus hujus possibilitas, qui per consequens recte statuitur hominis accidens commune, quo reliqui spiritus finiti æque ac animæ humanæ excellere possunt.

§. 385.

Propria Scholasticorum explicantur. Præter alios, quibus allatæ (§. 383. 384) accidentium divisiones se commendant, usus, maxime inserviunt propriis, primi, Secundi & tertii modi, Aristotelicorum et Scholasticorum melius explicandis. Proprium enim, auctore *Porphyrio* in Isag. Cap. IV. quatuor dicitur modis. *Proprium primi modi* est, quod soli cuidam accidit speciei, sed non omni ejus individuo; ut homini musicum vel medicum esse. Proprium hoc re ipsa nihil esse aliud quam accidens, quod subjecto suo inesse & non inesse potest, palam faciunt mox demonstrata (§. 373.). & jam dudum a *Sechmanno* in Log. Aristor. L. I. cap. III. p. m. 63. aliisque accuratioribus est observatum. Esse vero idem illud, accidens ali-

aliquod proprium vel exinde patefcit, quod foli cuidam fpeciei convenire dicatur, ejusque proinde poſſibilitas ex omnibus ſpeciei iſtius eſſentialibus, more attributorum propriorum, determinetur.

Proprium ſecundi modi eſt, quod omnibus individuis alicujus ſpeciei ordinarie competit omni homini, ſed non ſoli iſti ſpeciei, *ut bipedem eſſe*, quod ordinario, competit omni homini, ſed non ſoli; ſunt etjam anceres, anates: &c. bipedes. Quamvis hoc exemplum mihi non ſatis videatur aptum ad exprimendam hujus proprii indolem, quum τὸ bipedem eſſe ſalvo toto compoſito, ab homine abeſſe nequeat; quatenus tamen pedibus ſuis mutilatus eſſe poteſt homo, eatenus facere videtur ad illuſtrandum hoc proprium, quod, quia *Javellus* Log. Tract. 4. cap. V. in ejus definitione, loco τȣ *competere*, adhibere vult accidere, ut hoc proprium a genere & conſequenter ab attributis communibus diſtingveret; quia etiam ſecernitur a proprio quarti modi, quod *Ariſtoteli* L. I. Topic. Cap. V. §. 7. ἁπλῶς ſimpliciter proprium dicitur, & *Porphylio*, vocatur κυρίως ἴδιον, nos vero cum attributis propriis coincidere oſtendimus (§. 347). Quod, inquam proprium ſecundi ſcilicet modi, diſtingvitur tum ab attributo communi tum proprio, ipſaque proinde eſſentia (§. 351.). Quam ob cauſam aliud eſſe nequit

 quam

accidens entis, cui competit (§. 372.), et quidem, quia ordinario omnibus speciei individuis convenire ponitur perpetuum potius quam temporarium (§. 383.)

Proprium tertii modi dicitur, quod soli speciei, omnibusque ordinarie individuis competit, sed non semper. Est itaque accidens (§. 373.), & quidem, quia soli competit speciei, ejusque proinde inexistendi possibilitas ex omnibus speciei deducta essentialibus, attributique idcirco proprii loco habenda est)§. 379.), & quidem, inquam, accidens proprium (§. 384.).

§. 386.

Accidentis proprii divisio. *Accidens proprium est vel perpetuum vel temporarium.* Nam accidens proprium est, cujus inexistendi possibilitas est attributum proprium (§.384.), sed sola hæc possibilitas ad inexistentiam accidentis non sufficit (§. 147.), verum insuper requiruntur conditiones ab essentia entis diversæ (§. 364.). Neque in definitione accidentis proprii (§. 384.). determinatur an hæ conditiones semper, vel minus, quamdiu ens existit, cum ente conjungantur. Quam ob rem pro duplici hac determinatione, in se verissima (§. 383.), Accidens proprium evadit vel perpetuum, vel temporarium (§. cit.).

Sic gravitas, quæ accidentaliter competit omni corpori, & quidem soli; mero enim extenso, seu,

seu, spatio, & spiritibus tribui nequit. Gravitatis, itaque possibilitas instar attributi proprii corpori inest, est idcirco gravitas corporis accidens proprium & simul perpetuum, ut ad §. 383. adnotavimus. E contra *musicum esse* est hominis accidens proprium (vide §. 384.), & simul temporarium, quia non semper musicus est homo.

§. 387.

Accidentis communis divisio. *Accidens commune, esse etiam vel perpetuum vel temporarium*, mutatis saltem mutandis, eodem plane ostenditur modo, quo eadem de accidente proprio mox demonstrata est divisio (§.386.).

Accidens hominis perpetuum est ad peccandum proclivitas, quam homo cum angelis malis communem habet, licet non eodem gradu, nec, Deo sit laus, eodem effectu. Accidens hominis commune temporarium est *dormire*, quod commune habet homo cum cane, bove, equo, ceteris, neque vel homini, vel animalibus semper competit.

§. 388.

Quod accidens cum suo subjecto reciprocetur? *Accidens, quod proprium est, et simul perpetuum, reciprocatur cum suo subjecto.* Posito enim ente, cui actu inest accidens, ponitur illius entis actualitas (§. 368.). Hac posita, ponuntur conditiones, quæ cum entis illius existenstia semper sunt conjunctæ, his iterum positis, & quia simul posito ente, ponitur e-

jus attributum proprium (§. 355.), illaque idcirco accidentis possibilitas, quæ per modum attributi proprii enti inest (§. 379.), his, inquam positis conditionibus, una cum possibilitate inexistendi, per modum proprietatis determinata, ponitur accidens (§. 364.), & quidem proprium (§. 384.), simulque perpetuum (§. 383.). Posito igitur ente, quod accidens admittit, ponitur ejus accidens, quod simul proprium & perpetuum est. Vicissim posito hoc accidente, ponitur entis attributum proprium (§. 384.) ipsaque proinde ejus essentia (§. 351.), & ens ipsum (§. 332.): Immo, quia simul perpetuum est hoc accidens (per hypoth.), illo posito, ponuntur conditiones, quæ enti tamdiu insunt, quamdiu existit (§. 383.), hoc est, ponitur ipsa entis existentia. Accidens igitur, quod simul proprium & perpetuum est, cum suo subjecto reciprocatur (§. 354.).

Hoc modo, recte dico: *omne corpus est grave*, & vicissim, *omne grave est corpus* (confer not. ad §. 386.). Non itaque universaliter verus est veterum canon: *accidens cum suo subjecto non reciprocatur*; quamvis omnino valeat de attributo proprio temporario, immo de communibus omnibus, quod vel ipsæ horum accidentium notiones, perspicue, ut opinor, propositæ & enodatæ, cuivis vel parum attendenti statim manifestant.

CAP-

CAPUT II.
DE
EODEM ET DIVERSO.

Quæ prædicatis conveniunt, seu, quod eodem redit, res duæ pluresve, quæ salvis prædicatis, utrobique deprehensis, sibi mutuo substitui possunt. *Eadem* dicuntur. *Identitatem* itaque collocamus in convenientia prædicatorum duarum pluriumve rerum mutua. *Identitatis definitio.*

Genuinam esse hanc identitatis notionem confirmat loquendi usus. Etenim si Sempronius v. gr. dicit esse sibi librum eo anno, ab eo auctore, de hac materia editum; Titius collatis his notis cum aliquo suorum librorum characteribus, mutuaque singulorum substitutione deprehensa, respondet, se eundem habere librum. Pari ratione Gravus, videns aliquem Upsaliæ virum, de quo dum hæsitat an idem fuerit, quem ante annum Stockholmiæ oculis suis observavit, collatis characteribus, quos viro Stockholmiæ viso competere observavit, cum iis, quos huic viro Upsaliæ jam commoranti, convenire animadvertit, & eorum deprehensa convenientia, sine ulla hæsitatione pronuntiat esse eundem virum. Similiter, si duo pondera A & C in æquilibrio constituta non in vecte, sed in bilance & loco ponderis A substitui posse pondus F, salvo permanente æquilibrio, pondera A & F

ca-

eadem dicimus. Ita in aliis omnibus, quæ allegari possunt, comparatum est exemplis. Abstrahamus notionem generalem, quæ in particularibus latet casibus; pro duobus libris, in primo casu; pro uno viro in diversis locis et statibus, in secundo, pro duobus ponderibus, in tertio, ponamus in genere *duo entia*; pro prædicatis particularibus, in exemplis primo & secundo enumeratis, statuamus prædicatum quodcunque; & pro æquilibrio, in casu tertio, ibidem prædicatum quodvis; deprehandemus eadem esse, quæ sibi mutuo possunt substitui salvo quocunque prædicato. Nemo heic aliquam, ut scio, faciet difficultatem, nisi qui ignorat quomodo universalia in singularibus lateant, indeque sine vitio abstrahantur; cui tamen omnem, qui animum ejus movet scrupulum, verior tollet Logica.

Neque abhorret hic identitatis significatus a mente veterum Philosophorum, licet obscurius loqui videantur. Ipse *Aristoteles* L. V. Metaph, Cap. IX. & XV. vocat illa eadem ταυτὰ, quorum materia est una, seu, quorum ὀυσία essentia est una, vel quæ conveniunt in tertio essentiali, ut mentem ejus explicat cum *Scheiblero* in Metaph. L. I. Cap. VIII. n. 5. *Musæus* Cap. XXIII. Metaph. pag. 647. in notis. Non tamen hanc strictam identitatis notionem ubique retinet Aristoteles, sed L. X. Metaph C. III. sumit illam pro convenientia in tertio, sive id sit essentiale, sive minus, eoque sensu dicit similia esse ταυτὰ eadem, æqualia quoque sub notione identitatis comprehendens. Hinc *Micrælius*

lius lin Lex. Phil. pag. 510. *Idem* vocat quod est unum in aliqua comparatione. Et identitatem esse convenientiam in aliquo, quando nempe res vel ad se ipsam refertur, vel ad aliam. Contendunt vero alii hanc identitatis notionem, qua aliquid, vel ad aliud, vel ad se ipsum refertur, relativam esse, & ideo inter consentanea cum *Rameis* numerari debere, eaque ratione Logicam, esse: Idem vero Metaphysice & fundamentaliter sumtum nihil importare aliud, quam negationem diversitatis, seu, divisionis. Quo sensu idem esset, quod non est divisum aut diversum ab altero, aut quasi altero. Et hoc sensu idem distinguant *in idem per se*, & *per accidens*. *Eadem per se* cum Aristotele dicunt, quorum essentia est una, ut Petrus & Paulus, quatenus uterque est homo. Volunt itaque illa per se esse eadem, quæ essentialibus conveniunt prædicatis. *Eadem per accidens* vocant, quando vel accidens cum accidente in eodem subjecto conjunguntur, vel subjectum cum accidente. Sed qui hæc debito mentis examinat acumine neque unum cum eodem, quod hi facere solent Philosophi, confundit, non potest non mecum fateri, hanc identitatem, quam negativam volunt & Metaphysicam, siquidem ab unitate differt, nihil involvere aliud, quam prædicatorum convenientiam.

§. 390.

Ex opposito *Diversa* sunt, quæ salvis prædicatis sibi invicem substitui nequeunt, seu, quæ prædicatis non conve- *Diversitatis notio.*

veniunt. Consistit itaque *Diversitas* in disconvenientia duarum pluriumve rerum mutua.

Omnium consensu, etjam *Aristotelis* L. V. Metaph. Cap. IX. Diversum opponitur eidem. Quam ob causam, quia oppositorum opposita est ratio, ut mox docebimus, liquet diversitatis notionem a nobis recte esse adornatam, et exempla, mox memorata ad §. 389. Si opposita proponuntur ratione, simul facere ad diversitatis notionem illustrandam.

§. 391.

Identitas omnimoda & respectiva. Definivimus Identitatem per convenientiam prædicatorum, duarum pluriumve rerum mutuam (§. 389.). Hæc vero convenientia aut omnia afficit prædicata, aut quædam tantum (§. 63.), si prius, *absoluta* vel *omnimoda* oritur *identitas*, in omnium singulorumque prædicatorum, quæ duabus, vel pluribus conveniunt rebus, mutua consistens convenientia. Si posterius, *Partialis & Respectiva* exsurgit identitas, quæ quorundam prædicatorum absolvitur convenientia, ceteris manentibus diversis.

An dentur, vel non dentur absolute eadem non dum expendendi est locus, nihil eorum hac definimus paragrapho, quæ terminorum saltem tradit significationes. Respectivæ identitatis varia occurrunt exempla, locum illa habet inter plura individua ejusdem speciei, & plures species

cies ejusdem generis. Sic Petrus, Paulus, Johannes, differunt quidem qua multa prædicata, quibus cujuslibet individuans constituitur natura; in eo tamen conveniunt, quód animam habent rationalem & corpus organicum, seu, conveniunt in notione hominis. Sic homo & brutum in multis secernuntur, sub eadem tamen animalis notione recte collocantur.

§. 392.

In identitate diversitas.

Non ergo repugnat dari duas pluresve res, uno respectu, seu, qua quædam prædicata eadem, alio autem introspectas latere, seu qua alia prædicata, diversas esse.

Corollarii hujus veritatem illustrant exempla, mox allata (§. 390.), aliaque innumera, quorum uberrimam segetem, qvemvis in promtu habiturum certi confidimus.

§. 393.

Omnimoda & respectiva diversitas definitur.

Occasionem hinc habemus distingvendi diversa, in *absolute*, seu *omnimode* & *secundum quid*, seu, *Respective* talia. *Illa* in nullo inter se convenire ponuntur prædicato. *Hæc* in aliis conveniunt, in aliis disconveniunt.

Absolute diversa vocat *Aristoteles* L. V. Metaph. Cap. IX. sine addito, diversa ἕτερα, Respective autem talia, differentia, seu, διάφορα adpellat. Quam denominationem interpretes multique alii retinent, putantes hoc modo hominem v. gr. & bestiam differentia esse, quia secernun-

nuntur per suas differentias, rationalitatem & irrationalitatem: Deum autem ab aliis non differre, sed diversum esse, quod etiam in differentiis ipsis, veluti rationalitate & irrationalitate, ceteris, ajunt. Ast hæc veterum assertio Philosophorum quousque valeat vel non, sequenti Theoremate statim explanabo.

§. 394.

Absolute diversa non dantur. *Duo plurave entia absolute diversa dari nequeunt.* Quoniam enim per hypothesin, sunt duo entia, in conceptu entis generali convenire debent, absolute autem diversa in nullo conveniunt prædicato, seu, nullum habent conceptum communem (§. 393.). Duo ergo plurave entia nequeunt esse absolute diversa.

Hæc ratione licet certum sit Deum a creaturis esse diversum, inter Deum tamen & creaturas non dari absolutam diversitatem ostendit conceptus entis, qui in analogia intrinsecæ denominationis acceptus, Deo & creaturis competit (§. 257.), & ideo infert eandem communem notionem, conjunctam licet cum inæquali modo eam habendi (§. 255.). Longe vero aliud est loqui de ente & non-ente, positivo et ejus privativo, rationalitate v. gr. & irrationalitate, inter se relata: Inter hæc enim dari absolutam diversitatem nemo facile negaverit (§. 263.); quæ tamen ad duo entia, inter se comparata, vel etiam ad duas pluresue entium realitates inter se collatas, quæ si non alio, generalissimo saltem conveniunt conceptu, nunquam est trahenda.

§. 395

§. 395.

Duo plurave entia absolute eadem dari nequeunt. Fingamus duo entia A & B absolute eadem esse, tunc aut erunt diversa, aut unum idemque; si hoc, non sunt duo, sed unum, quod hypothesin statim evertit; si illud, aut diversitas est aliquid aut nihil (§. 77.), nihil vero poni nequit nisi iterum tollatur hypothesis, est igitur aliquid, & proinde conceptibilis (§. 75.), postulatque idcirco aliqua prædicata in τοῖς A & B diversa (§. 74.), seu disconvenientia, quæ statim tollunt absolutam duorum entium identitatem (§. 391.). Liquet ergo, quod erat propositum.

Absolute eadem non dantur.

Aliter. Omne ens, quod salvis omnibus prædicatis alteri cuidam potest substitui, seu, quod ab altero, ne ex tantillo quiddem differt, est idem cum altero (§. 389.); ideoque alterum non est alterum nisi hactenus nomine. Atqui duo absolute eadem si supponimus, alterum alteri potest salvis omnibus substitui, nec alterum ab altero vel tantillum differt (§. 391.). Nam si qua parte differret, ea parte esset diversum (§. 390.), quod est contra assumtam hypothesin. Duo ergo obsolute eadem, reapse non sunt duo, sed unum idemque.

Propositionem hanc, quam evicimus, & sine exceptione veram agnoscimus, multi recentiorum,

ut *Canzius*, *Schubertus*, *Winklerus*, *Baumeisterus*, cum Principio Leibnitii identitatis indiscernibilium confundunt, quum tamen inter hoc & illam insigne detur discrimen, suo loco distinctius evolvendum. In antecessum vero observes præsentem propositionem, qua negavimus duo entia dari absolute eadem, respectum habere ad omnia prædicata, sive sint entibus interna, sive externa, sive qualitatum, sive alio quocunque nomine veniant; Principium autem indiscernibilium Leibnitii negat duo entia existere posse ex asse similia, i. e. qua qualitates solum inter se convenientia. Nostram propositionem universaliter veram agnoscimus, principium autem indiscernibilium Leibnitii lubrico superstructum esse fundamento, suo demonstrabitur loco.

Ceterum quam utile sit nostrum assertum ad unitatem Dei ostendendam, & per se patet, & in altera Metaphysices parte declarabitur uberius: Nam si certum est, est vero certissimum, non existere posse duo entia absolute eadem, neque dabuntur duo vel plures dii, absolute iidem; diversi autem, h. e. diversarum perfectionum dari nequeunt. Non itaque existit nisi unus Deus.

§. 396.

Quibus ratione identitatis repugnet existentia.

Entibus ratione identitatis non repugnat existentia, nisi fuerint illa omnimode eadem. Nam ratione identitatis sunt entia vel absolute vel respective eadem (391.). Si itaque entibus, ratione identitatis in genere, repugnaret existen-

ſtentia: nec reſpective nec abſolute eadem exiſtere poſſent. Entia autem neque abſolute, neque reſpective eadem ſunt abſolute diverſa (§. 393); Non ergo niſi hæc entia exiſtere poſſent. Quod quum abſurdum ſit (§. 394.), & ſimul conſtet duo entia abſolute eadem exiſtere non poſſe (§. 395.); ſequitur entibus, ratione mutuæ eorum identitatis non repugnare exiſtentiam, niſi fuerint omnimode eadem.

Quamvis a non-eſſe ad non-poſſe univerſalis haud valeat concluſio, quæcunque tamen nobis ſe offerunt exiſtentia, aliqua vel interna vel externa diverſitate deprehenduntur interſtincta, ut adeo rerum exiſtentium univerſitas ſuo modo præſentem illuſtrent poſitionem.

§. 397.

Quibus ratione diverſitatis repugnat exiſtentia.

Entibus, ratione diverſitatis eorum non repugnat exiſtentia, niſi ſupponantur omnimode diverſa. Nam ratione diverſitatis concipiuntur entia, vel omnimode, vel reſpective diverſa (§. 393). Quare ſi ratione diverſitatis in genere entibus repugnaret exiſtentia, neque duo vel reſpective vel abſolute diverſa exiſtere poſſent: Entia autem neque abſolute neque reſpective diverſa, ſeu, in nullo plane diſconvenientia prædicato, ſunt abſolute, ſeu, omnimode eadem (§. 391.) Non ergo niſi hæc entia exiſtere poſſent. Hujus autem impoſſibilitatem modo evicimus (§. 394.), & ſimul oſtendimus entia

omnimode diversa existere haud posse (§.394). Non ergo repugnat entibus existentia, nisi ponantur omnimode diversa.

§. 398.

Eadem determinantia inferunt determinata eadem. *Si determinantia sunt eadem, eadem quoque sunt determinata.* Ponamus A & B esse determinantia, C vero & D determinata, nempe quod per A determinatur sit C, quod vero per B sit D. Quoniam determinantia A & B sunt eadem (per hypoth.), B substitui potest in locum τȣ̃ A salvo determinato (§.389). Per B æque ac per A determinabitur C. Sed per B determinatur D (per hypoth.). Quare, quum impossibile sit ut idem simul sit & non sit (§. 53.), nempe ut determinatum in casu factæ substitutionis sit D & non sit D; necesse est ut determinata C & D sibi mutuo substitui possint, & idcirco eadem sint (§. 389.).

Sint ex. gr. duo triangula æquicrura, quæ ratione æqualitatis duorum laterum eandem habent naturam, ex uno eorum determinatur æqualitas duorum angulorum ad basin, ergo idem etiam ex altero determinabitur. Non ex alio sane quam hoc principio pendet universalitas propositionum Geometricarum, quæ in subjuncta demonstratione adplicantur quidem ad certam & individuam figuram, in charta vel tabula delineatam: quatenus tamen prædicatum propositionis non determinatur ex individuatione figuræ, sed ex generali ejus natura, eatenus idem

dem valebit prædicatum de qualibet figura, quæ sub eadem comprehenditur notione: ubi enim determinantia sunt eadem, determinata quoque eadem esse debent.

§. 399.

Per essentiam entis determinantur ejus attributa (§. 340.), est itaque essentia determinans, cujus determinata sunt attributa (§. 195.). *Quæ igitur eandem habent essentiam iisdem gaudebunt attributis* (§. 398.). *Essentiarum identitas infert identitatem attributorum.*

Sunt quippe attributa entis ab essentia ejus ita inseparabilia (§. 343. 344.), ut hac posita, illa non possint non poni. Eadem ergo essentia non potest non ponere eadem attributa: nam si non eadem, sed diversa poneret, esset omnino una essentia diversa ab altera, quod ipsam tolleret hypothesin, qua essentiarum posuimus identitatem.

Hinc, quia testo Apostolo *Johanne* I Ep. Cap. v: 7. in Divinis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt, ἕν εἰσι, h. e. unam eandemque habent essentiam; rectissime infero omnes tres Divinitatis personas eadem quoque possidere attributa. *Usus Theologicus.*

Sed præsenti, quod adstruximus, corollario abutuntur Pontifici, communicationem idiomatum, humanæ Christi naturæ factam, hoc negaturi argumento: *Quæ eandem habent essentiam, illa iisdem gaudent attributis. Sed humana natura in Christo non est ejusdem essentiæ cum Divina. Ergo humana natura in Christo non habet sibi communi-*

cata divina attributa, & Divinas proprietates. Verum respondemus plus heic esse in conclusione quam fuit in præmissis, ex quibus id unice sequitur naturæ humanæ non competere attributa divina essentialiter, quod nemo hactenus negavit: minime vero gentium inde fluit naturæ humanæ δευτέρως, seu, mediate, vi unionis cum Divina natura, Divinas proprietates non esse communicatas.

§. 400.

Quando eædem sunt accidentium possibilitates proximæ. Sunt accidentium possibilitates proximæ attributa entis (§. 379.), *posita igitur* identitate essentiarum ponitur simul identitas harum possibilitatum (§. 399.).

Ex. gr. Habent duo triangula æquilatera eandem Essentiam, quodvis ergo eorum per perpendiculum e vertice in basin resolvi potest in duo triangula æqualia.

§. 401.

Eadem determinata inferunt eadem determinantia. *Si determinata sunt eadem, eadem quoque sunt determinantia.* Sit quod per A determinatur C, quod vero per B determinatur sit D. Quoniam determinata C & D eadem sunt (per hyoth.); C in locum ipsius D salvo determinante substitui potest (§. 389.). Facta igitur substitutione, C perinde determinabitur per B ac per A. Determinantia ergo B & A sibi mutuo substitui possunt,

salvo

salvo respectu, quem habent ad determinata D & C. Sunt itaque determinantia eadem (§. cit.).

Ex. gr. Si duo pondera A & B, tanquam contrapondia, salvo æquilibrio, sibi mutuo substitui posse observamus, ex identitate determinati, quod hic est æquilibrium, colligimus ad identitatem determinantium, nempe ponderum A & B. Similiter tria latera æqualia in triangulo æquilatero determinant trium angulorum æqualitatem. Si ergo quam figuram tres habere angulos æquales deprehendimus, statim concludimus eandem tria quoque possidere latera.

§. 402.

Essentiarum identitas. Attributa entis per ejus essentiam determinantur (§. 340.), in numero itaque determinatorum sunt attributa, essentia vero determinantium classi est adsignanda (§. 195.). Sed ex determinatorum identitate sequitur identitas determinantium (§. 401.). *Quæ ergo eadem tenent attributa, illa etiam eandem eatenus habent essentiam.*

Non heic dicimus quodvis attributum, in entibus A & B idem, perfecte eandem in iis entibus inferre essentiam: dantur enim attributa communia, quæ integram non inferunt essentiam, sed illud solum essentiale, per quod determinatur. Studio itaque diximus illa NB. *eatenus* eandem habere essentiam, quatenus scilicet & quo respectu eadem habent attributa. Sed ut eo clarius, quod heic observo, patescat, de di-

distinctis attributorum classibus seorsim mihi agendum est.

§. 403.

Idem ulterius explicatur. *Posita identitate attributorum communium in duobus entibus A & B, integræ illorum essentiæ identitas non ponitur, sed illius solum, vel illorum essentialium prædicatorum, ex quibus attributa ista determinantur.* Nam attributa communia per totam rei essentiam, seu omnia ejus essentialia, simul sumta, non determinantur, sed tantum modo per unum vel aliquot essentialium (§. 347.). Non itaque tota essentia, sed unum vel aliquot essentialium sunt respectu attributi communis, ceu, sui determinati, determinantia (§. 195.). Quam ob rem, quum identitas determinatorum non quarumvis rerum, sed suorum saltem determinantium inferat identitatem (§. 401.); identitas attributorum communium non totius essentiæ, sed illorum modo essentialium infert identitatem, per quæ attributa illa communia determinantur.

Habent v. gr. homines & bruta idem attributum commune, facultatem puta sentiendi, non tamen eandem integram essentiam, sed illud solum essentiale idem, corpus videlicet organicum, ex quo facultas sentiendi derivatur.

§. 404.

Idem adhuc. *Quæ autem eadem possident attributa propria, illa quoque eandem integram*

gram habent essentiam. Nam attributa propria per integram rei determinantur essentiam (§. 347.). Est itaque sub hac hypothesi tota essentia determinans, attributum proprium ejus determinatum (§. 195.), sed posita identitate determinatorum, ponitur identitas determinantium (§. 401.). Posita igitur identitate attributorum propriorum, ponitur identitas totius essentiæ.

Usus Theologicus. Habet hic canon, in se verissimus, plures & insignes in Theologia usus, quorum potiores paucis commemorare placet. Recte ille adhibetur 1:o) *ad Deitatem Filii & Spiritus Sancti* contra Photinianos inferendam. Certum namque est omnia Deitatis attributa esse Ei propria. Testatur vero Scriptura sacra multis sane in locis Filio et Spiritui Sancto proprietates competere divinas. Habent ergo vi canonis nostri, essentiam Divinam. 2:o *Ad compescendam* veterum Basilidianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum & Manichæorum hæresin, qua fingitur *Christum venisse in phantasmate & sine substantia carnis fuisse.* Abunde enim probat tota Novi Test. Scriptura corporis Christi easdem esse, cum aliorum hominum corporibus, proprietates. Vi ergo præsentis canonis recte inferimus corporis Christi eandem esse essentiam, quæ aliorum corporum humanorum, falsamque per consequens esse memoratam opinionem. 3:o *Ad depellendum Swenckfeldii somnium,* qui, teste B. *Chemnitio* in Libr. de duabus Naturis in Christo sect. VII. qu. IV.

 statuit

statuit fictam esse adæquationem Divinæ & humanæ naturæ in Christo, ita quod humanitas Christi in gloria, ejusdem sit conditionis, virtutis & Majestatis cum natura Divina, atque adeo eadem habeat ut sibi propria attributa Divina. Quod si verum esset, vi canonis nostri sequeretur humanam Christi naturam esse ejusdem cum Divina essentiæ, quod oppido absurdum. Ceterum abutuntur nostro axiomate Reformati realem idiomatum Divinorum in Christo communicationem temere impugnantes. Argumentantur enim: *Quodcunque proprietates alicujus sibi communicatas, seu, eadem cum ipsius idiomata habet, id ejusdem est cum illo essentiæ. Sed natura humana Christi non est ejusdem cum Divina essentiæ. Ergo & naturæ Divinæ proprietates sibi communitatas, & eadem cum ista idiomata non habet.* Respondemus Reformatos male & intelligere & applicare nostrum canonem, qui non dicit proprietates, vi unionis communicatas, eandem ejus, cui communicantur, gignere essentiam, quam habet illud ens, cujus sunt proprietates, sed id solum infert proprietates unius essentialiter easdem cum proprietatibus alterius eandem parere essentiam. Nihil ergo hinc sequitur aliud, quam, quia Deus & homo non habent eandem essentiam, proprietates Divinas subjective, formaliter & habitualiter, uti loqui amant Scholastici, non esse proprietates humanas; minime autem inde fluit proprietates Divinas humanæ naturæ δευτέρως καὶ ἐμμέσως, per & propter unitam hypostatice Deitatem, non competere.

§. 405.

§. 405.

Si determinantia sunt diversa, diversa quoque erunt determinata. *Determinatorum diversitas.* Quia idem & diversum ita sibi invicem opponuntur (§ §. 389. 390.), ut, quod diversum non est, idem dici debeat. Ponamus jam diversa non esse determinata, licet diversa sint eorum determinantia, erunt itaque determinata eadem. Sed Si hæc eadem fuerint, debent etiam determinantia esse eadem (§. 401.), sed sunt diversa (per hypoth.), Nequeunt itaque determinata esse eadem. Per consequens, vi oppositorum, sunt sub data hypothesi diversa.

Idem directe ostenditur: sint determinantia A & B, determinatum ipsius A sit C, τȣ B sit D, sunt. A & B diversa (per hypoth.), determinans igitur A in locum determinantis B, salvo, quem habet ad determinatum D respectu, neque determinans B in locum determinantis A, salvo, quem tenet, ad determinatum C respectu, sibi mutuo, substitui possunt (§. 390.). Non ergo Per A perinde determinatur D ac C, neque per B perinde determinatur C ac D. Determinata itaque C & D sibi mutuo substitui nequeunt. Sunt igitur diversa (§. cit.).

Sic tria latera & quatuor latera, figuram aliquam includentia, sunt diversa determinantia, numerus ergo angulorum, qui hic determinati subit vi-

vicem, in utroque hoc casu est diversus, in priori scilicet ternarius, in posteriori quaternarius.

§. 406.

Attributorum diversitas. *Efficitur hinc essentiarum diversitatem inferre attributorum diversitatem.* Nam per essentiam determinantur attributa (§. 340.). Est itaque essentia determinans, attributa sunt determinata (§. 195.) Proinde quæ diversam habent essentiam, diversa quoque habebunt attributa (§. 405.).

Deus. ex. gr. et creatura essentias habent diversissimas, & proinde attributa eorum quam longissime a se mutuo sunt dissita. Homo & brutum diversa gaudent essentia, illius enim rationalitate eminet, hujus vero eandem excludit, Diversis igitur instructi sunt attributis, quæ ex essentiali hac proveniunt diversitate.

§. 407.

Attributorum partialis diversitas. *Quæ partim eandem, partim diversam habent essentiam, partim eadem partim diversa possident attributa, illa scilicet eadem, quæ ex iisdem fluunt essentialibus, illa autem diversa, quæ ex diversis determinantur essentialibus.* Quousque enim eandem habent essentiam, seu, eadem essentialia, eatenus etiam eadem habebunt attributa (§. 399.); quousque vero diversis instructa sunt essentialibus, eatenus etiam diversis gaudebunt attributis (§. 406.).

Possi-

Possident hanc naturam & indolem omnia genera inferiora, sub superiori comprehensa, omnes etiam species, sub genere inferiori contentæ. Quod suo in sequentibus docebitur loco. Sic homo & brutum, quatenus sub genere animalis continentur, eandem genericam habent essentiam, eadem generica attributa, quatenus vero considerantur ut entia certæ speciei, eatenus diversam habent essentiam, animam scilicet rationalem et ejus negationem, diversaque proinde attributa.

§. 408.

Diversitas possibilitatum accidentium.

Quoniam accidentium possibilitates proximæ sunt entis, cui competunt, attributa (§. 379.), quæ diversas habent essentias, diversis gaudent accidentium possibilitatibus proximis (§. 406.), & quæ partim diversam partim eandem possident essentiam, partim easdem, partim diversas tenent accidentium possibilitates proximas (§. 407.).

§. 409.

Proprietatum diversitas ex essentiarum pendet diversitate.

Idem attributum proprium pluribus diversæ essentiæ entibus competere nequit. Nam ubi idem attributum proprium pluribus competit entibus, habent illa eandem essentiam (§. 404), sed in præsenti propositione ponuntur entia diversæ esse essentiæ, quæ ergo idem attributum proprium habere nequeunt.

Aliter. Attributum proprium per integram

gram rei determinatur essentiam (§. 347.), est itaque integra rei essentia determinans, & attributum proprium ejus determinatum (§. 195.). Sunt vero essentiæ diversæ (per hypoth.). diversa itaque sunt determinantia, & per consequens, diversa etiam determinata (§. 405.). Determinata autem sunt heic attributa propria (per dem.). Diversitas ergo essentiarum infert diversitatem attributorum propriorum.

Absit ut cum reformatis hinc inferas, proprietates divinas non competere humanæ *Christi* naturæ, vi unionis hypostaticæ, quia diversæ sunt essentiæ natura humana & Divina: ostendit enim ipsa præsentis propositionis demonstratio eatenus negari pluribus diversæ essentiæ eandem competere proprietatem, quatenus eadem ex diversa essentia NB. *determinari* nequit, minime autem negat præsens theorema proprietatem unius competere alteri, vi unionis, eo enim in casu non determinatur proprietas ex essentia alterius, sed manet proprietas illius cujus est.

§. 410.

Accidens proprium quibus conveniat entibus. Facile hinc elicitur *Accidens proprium pluribus diversæ essentiæ entibus competere non posse.* Accidens enim proprium dicitur, cujus possibilitas est attributum proprium entis, cui illud competit (§. 384.). Pluribus itaque diversæ essentiæ entibus tribui nequit (§. 409.).

Ex.

Ex. gr. Ars musicam exercendi est hominis accidens proprium, prout antea (§. 385.) declaravimus; animalibus ergo brutis, aliisque diversæ essentiæ entibus competere nequit.

Accidens non certæ solum speciei et generi proprium esse potest, sed etiam certo & determinato enti singulari: Hinc in Logicis propositio exsurgit propria, cujus subjectum est ens singulare, prædicatum vero accidens subjecto proprium. Quorsum pertinet hæc propositio: *Moses eduxit populum Israëliticum ex Ægypto.* Vi igitur præsentis, quam demonstravimus regulæ recte inferunt Logici prædicatum hujusmodi propositionis de nullo alio ente singulari prædicari posse, & ideo illam propositioni universali æquipollere.

§. 411.

Idem attributum commune pluribus diversæ essentiæ entibus competit. Attributum commune nonnisi per unum vel aliquot essentialium determinatur (§. 347.). Attributum igitur commune, seu pluribus competens, non supponit nisi illud, vel illa essentialia eadem, unde determinatur (§. 403.), ceteris manentibus diversis (§. 406.). Attributum ergo commune pluribus respective diversa essentiæ entibus competit (§. 393.).

Attributum commune quibus convenit?

Observes essentias diversas sumi heic in tota sua latitudine, non vero in relatione ad idem attributum commune, quo respectu non possunt non aliquam inter se habere identitatem (§. 406.).

Fa-

Facultas ſentiendi eſt hominibus & brutis commune attributum, ex corporis dependens organiſmo, quo & illi & hæc inter ſe conveniunt. Ubi vero reſpectus habetur ad integram hominis ut & bruti eſſentiam, magna diverſitatis ratio utrobique ſe manifeſtabit, fundamentum quæ præbet præſenti noſtræ aſſertioni.

§. 412.

Quoniam accidens commune vocatur, cujus poſſibilitas eſt attributum entis, cui competit, commune (§. 384.); pluribus reſpective diverſæ eſſentiæ entibus competere poteſt:

Ejusmodi accidens commune eſſe habitum demonſtrandi in homine, antea ad §. 384. indicavi quod et animæ humanæ & reliquis ſpiritibus finitis, entibus ſcilicet reſpective diverſæ eſſentiæ recte tribuitur.

§. 413.

Identitatas interna & externa. Identitatem aliam conſtituimus *Intrinſecam*, aliam *Extrinſecam*. *Illa* abſolvitur determinationum, ſeu, prædicatorum rei internorum; *hæc* externorum convenientia: Quoniam enim identitas in genere eſt convenientia prædicatorum, ſeu, determinationum, duarum, vel plurium rerum mutua (§. 389.). Determinationes vero ſunt, vel internæ, vel externæ (§. 201.); identitatem in intrinſecam et extrinſecam recte diſpeſcimus.

Sic omnes homines, quia determinationibus internis, anima ſcilicet rationali & corpore organi-

nico; inter se conveniunt, intrinsecam inter se possident identitatem. Qui vero vel quà parentes, ex quibus prognati sunt, vel quà educationis modum, vel, quà propositum finem eundem vel ratione operis externi, vel quà natalem locum & tempus, vel quà ceteras ejusmodi determinationes extrinsecas, non nisi extrinsecus eos afficientes, conveniunt, illi extrinsecam inter se habere dicuntur identitatem, cujus tot constitui possunt species, quot dantur determinationum externarum classes. Non itaque solum est *Causalis*, quà plura conveniunt ratione efficientis & finis; nec solum *Effectiva*, quà ratione operis vel effectus conveniunt; verum etiam multis adhuc modis alia, cujus expositionem magis specialem respuit hæc generalis de identitate tractatio.

§. 414.

Omnimoda identitas in iis entibus, quæ & intrinsecas, & extrinsecas admittunt determinationes, identitatem comprehendit & intrinsecam & extrinsecam. *Omnimodæ identitatis amplitudo.* Absolvitur enim omnimoda, vel, absoluta identitas convenientia omnium & singulorum prædicatorum, seu, determinationum, inter duas pluresve res mutua (§ 391.). Quæ igitur entia, & intrinsecas et extrinsecas admittunt determinationes, omnim de eadem esse nequeunt, nisi & harum omnium & singularum possideant convenientiam. Absolvitur vero identitas intrinseca determinationum internarum, extrinseca autem externarum

rum convenientia (§. 413.). Omnimoda ergo identitas in iis entibus, quæ & intrinſecas & extrinſecas habent determinationes, & intrinſecam & extrinſecam comprehendit identitatem.

Extra dubitationis poſitum eſt aleam entia, quæ intrinſecis ſolum gaudent, extrinſecas vero omnes reſpuunt determinationes, qualia eſſent duo entia, quæ fingerentur infinita; certum, inquam, eſt hæc entia non intrinſecarum & extrinſecarum ſimul, ſed ſolum intrinſecarum determinationum convenientia, omnimode eadem conſtitui. Unde patet ratio, cur non omnis omnimoda identitas, ſed illa ſolum, quæ circa res finitas verſatur, & intrinſecam & extrinſecam complectatur identitatem.

§. 415.

Duo modi reſpectivæ identitatis. Entia igitur, quæ & extrinſecas & intrinſecas admittunt determinationes; ſed vel intrinſeca ſolum, vel extrinſeca ſolum conſtituuntur identitate, non ſunt omnimode eadem (§. 414.), ſed reſpective tantum (§. 391.), et per conſequens alio reſpectu ſunt eadem, alio diverſa (§. 392.).

§. 416.

Enti inſunt determinationes internæ. Enti competere certa prædicata, quæ vel eſſentialium, vel attributorum, vel accidentium veniunt nomine, ſuo jam evicimus loco (§. 372.), hæc itaque prædicata ſumuntur

ut

ut in ipſo ente determinata (§. 192.), ideoque determinationum (§. 200.), & quidem intrinſecarum veniunt nomine (§. 201.), *Competunt itaque enti determinationes internæ.*

Habere ens determinationes intrinſecas adeo certum & evidens eſt, ut, ſi illis deſtitueretur, in merum non-ens, cui nulla conveniunt prædicata (§. 264.), ſtatim abiret, quod omnes ſine ulteriori expoſitione largiuntur abſurdum.

§. 417.

Determinationum internarum enumeratio.

Intrinſecæ entis determinationes, ſunt vel eſſentialia, vel attributa, vel accidentia. Interna enim entis prædicata, quæ determinationum internarum veniunt nomine (§. 416.), ſunt vel eſſentialia vel attributa, vel accidentia (§. 372.). His ergo abſolvuntur intrinſecæ entis determinationes.

Quæ ad § 372, annotavi, heic quoque ſollicite ſunt tenenda, ne imperiti occaſionem, licet immerito, hinc ſumant varios animo fovendi & excitandi errores.

§. 418.

Identitatis intrinſecæ ſpecies.

Abſolvitur identitas intrinſeca determinationum internarum convenientia mutua, internæ autem entis determinationes ſunt vel eſſentialia, vel attributa, vel accidentia (§. 417.). Intrinſeca igitur identitas entium verſatur vel circa eſſentialium, vel attributorum, vel accidentium ſe-

paratam vel conjunctam convenientiam. Infert vero essentialis identitas, identitatem attributorum (§. 399.), non autem identitatem accidentium, ut mox visuri sumus. Recte igitur dispescimus identitatem intrinsecam in *Essentialem* & *accidentalem*. *Illa* constituitur indentitate, seu, convenientia essentialium, & per consequens, etiam attributorum. *Hæc* consistit in identitate, seu, convenientia accidentium.

Identitatem hanc essentialem habent inter se omnes homines, quatenus anima rationali & corpore organico inter se conveniunt omnes. Petrus vero & Paulus ratione muneris Apostolici, quod uterque eorum gessit, & quod eorum accidens est, accidentalem inter se habent identitatem, quà etiam gaudent homines, pietate, eruditione, vel alio quovis convenientes accidente.

§. 419.

Identitas accidentalis ex essentiali nonpendet. *Identitas essentialis non infert identitatem accidentalem, sed ejusdem modo possibilitatem vel proximam vel remotam.* Nam positis essentialibus, accidentia non ponuntur (§. 365.). Absolvitur vero identitas essentialis convenientia essentialium, quemadmodum accidentalis convenientia accidentium constituitur (§. 418.). Posita igitur identitate essentiali, non ponitur accidentalis.

Quo-

Quoniam tamen essentialia, cur hæc & non alia enti competere possint accidentia (§. 376.), rationem continent vel sufficientem vel insufficientem (§ 83.), h. e. vel ex essentialibus unice pendentem, vel simul ex aliis accidentibus præcedaneis derivatam, rebusque aliis externis (§. 377.). Si prius, proxima possibilitatis accidentium ratio continetur in essentialibus, si posterius, nonnisi remota in illis reperitur. Posita igitur identitate essentiali, ponitur identitas possibilitatis accidentium vel proximæ, vel remotæ.

Ex. gr. Posito licet, Sempronio & Titio eandem competere essentiam humanam, non inde tamen sequitur eos iisdem instructos esse accidentibus: potest enim Sempronius salva essentia humana esse aurifaber, Titius vero Musicus, licet quà possibilitatem, in essentia fundatam, & hic & ille artifex esse possit, vel etiam Musicus.

§. 420.

Identitas intrinseca ex essentiali non pendet.

Multo minus infert identitas essentialis identitatem determinationum extrinsecarum, quæ rem ipsam non ingrediuntur, sed eam externe tantum afficiunt (§. 201.), nec proinde unquam possunt ex essentialibus rei determinari.

Ita v. gr. nemo affirmabit duos homines, quia essentialibus conveniunt, ideo eodem loco, tempore, ex iisdem parentibus esse genitos, seu, alia

lia quavis determinatione extrinseca convenire; quin potius quivis dicet posse hanc convenientiam, quæ extrinseca audit, & adesse & abesse, salvâ nihilo minus manente essentiali, qua gaudent, identitate.

§. 421.

Eadem eidem tertio eadem sunt inter se.

Quæ sunt aliquo modo, scilicet vel intrinsece, vel extrinsece, vel essentialiter, vel accidentaliter, eidem tertio eadem, illa inter se eodem modo eadem sunt. Nam si quodcunque A est aliquo modo idem cum C & B, eodem modo idem cum eodem C, tunc, quia idem utrobique supponitur modus, idemque C, in quo conveniant A & B, non possunt non A & B eodem modo inter se esse eadem (§. 389.).

Unde jam in promtu est inferre. Petrus v. gr. accidentalem habet cum Johanne identitatem, ex ratione muneris Apostolici dependentem, eandem identitatem cum eodem Johanne habet Paulus. Petrus ergo & Paulus hoc sensu iidem sunt inter se, seu in munere Apostolico inter se conveniunt. Parimodo, Paulus habet essentiam humanam, quam eandem tenet Petrus. Habent ergo inter se Paulus & Petrus identitatem essentialem Eodem modo in Divinis: *Pater* possidet essentiam Divinam, *Filio* eadem competit, *Pater* ergo & *Filius* habent inter se identitatem essentialem. Observetur vero me in præsenti exprimenda regula notanter dixisse: *quæ aliquo modo eidem tertio sunt eadem, illa eodem modo inter se sunt eadem.* Nam non sequi-

quitur A eſt idem cum C quà intrinſeca, B vero eſt etiam idem cum C, ſed alio modo, ſcilicet quà extrinſeca tantum. Ergo A & B habent inter ſe identitatem: hoc enim in caſu A & B, neque quà intrinſeca, neque quà extrinſeca ſibi mutuo ſubſtitui poſſunt.

Alii hanc eandem regulam ita exprimunt: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* Non nunquam ita: *Quæ in uno tertio, ſunt idem, inter ſe ſunt idem.* vel, *Quæ identificantur alicui tertio, identificantur inter ſe,* vel etiam: *Quæ conveniunt eidem tertio, illa conveniunt inter ſe.* Ad quas interpretandas regulas, qui idem cum uno eodemque confundunt, variis utuntur limitationibus, quibus tamen omnibus eos ſalvam non conſtituere regulam pluribus monſtrat *Donatus* Reg. XXXVII. p. 117. Nam ſi dicerent valere regulam de tertio ſingulari ac incommunicabili: ut ſenſus ſit: *Quæ ſunt idem alicui tertio ſingulari ac incommunicabili, ſunt idem inter ſe.* Ut. v. gr. Gentium Apoſtolus & Paulus idem ſunt alicui tertio, huic ſcilicet homini, ergo idem inter ſe, ſi, inquam, hoc dicerent, quem ad modum dicunt, adderetur limitatio, quæ ex indeterminatis & univerſalibus regulæ verbis nequaquam exſculperetur, emergeretque propoſitio, quæ cum contractior eſt ipſa regula, atque adeo & ab eadem diverſa, tum nec omni ex parte vera: ſunt namque Divina & humana Chriſti natura idem ipſimet Chriſto, ut tertio ſingulari & incommunicabili, h. e. unum conſtituunt Chriſtum, ſed nemo ideo aſſeverare audebit, quod tamen per adſumtam regulæ limitationem ſequitur, Divinam & Humanam in Chriſto na-

turam esse unum idemque. Sic corpus & anima humana idem sunt homini, tanquam tertio singulari ac incommunicabili, h. e. unum constituunt individuum, nemo autem inde statuet, quod tamen vi regulæ, dicto limitatæ modo, statim fluit, corpus & animam esse unum idemque. Alii contra videntes hanc limitationem regulæ sensum non relinquere salvum, dicunt illam agere non tam de tertio singulari ac incommunicabili, quam potius de tertio non realiter, sed per mentis tantum conceptum, ex iis, quæ cum illo dicuntur eadem, composito, ut regulæ sensus sit: *Quæcunque idem sunt alicui tertio, atque id ipsum non realiter, tanquam realiter distincta, sed tantum quoad modum nostrum concipiendi, tanquam ratione solum distincta, atque adeo & idem reapse componunt, ea inter se quoque idem sunt.* Sed nihil hac nova explicatione obtinebunt aliud, quam *idem esse idem*, quod quidem nemo unquam negaverit, tamen quatenus cum principio identitatis coincidit novam & ab illo distinctam non dicit regulam. Omnes autem has ceterasque ejusmodi limitationes commode vitabimus, ubi idem cum uno eodemque non confundimus, sed illud in relativo suo sensu valere jubemus, quo maxime genuina et verissima est a nobis proposita regula.

Photiniani & alii Triadomastyges regulæ hujus sensum pervertunt, putantes ex illa sequi Spiritum Sanctum & Filium esse Patrem, adeoque non tres sed unam tantum esse personam Divinam, Si Pater, Filius & Spiritus S. ejusdem singularis ponuntur essentiæ. Eorum argumentum in forma Syllogistica ita sonat: *Quæ sunt eadem*

dem eidem tertio, illa ſunt eadem inter ſe, atqui Perſonæ Divinæ ſunt eædem eidem tertio, ſcilicet eandem habent eſſentiam. Ergo perſonæ Divinæ ſunt idem inter ſe, & per conſequens non eſt niſi una eademque perſona. Nos, miſſis aliorum explicationibus, ex genuino regulæ, qua conſtat major propoſitio, ſenſu non deductis, ſed ex confuſione unius & ejusdem deſumtis, contendimus in allato ſyllogiſmo quatuor eſſe terminos, illumque ideo, ut verior docet Logica, nihil concludere. Nam in præmiſſis hi adſunt termini 1:o) *idem eidem tertio*, 2:do) *idem inter ſe*, 3:tio) *Perſonæ Divinæ*, quibus in concluſione additur 4:to *idem inter ſe*, ſumto vocabulo idem non in ſenſu relativo, ut in præmiſſis, ſed in ſenſu abſoluto, pro uno eodemque. Quæ ergo diverſa acceptio non poteſt non quartum generare terminum & proinde ſyllogiſmum reddere vitioſum. Potius igitur vi noſtræ regulæ, in ſe veriſſimæ, utut ab Antitrinitariis non intellectæ, contra eosdem ita argumentamur *Quæcunque aliquo modo eidem tertio ſunt eadem, illa eodem modo inter ſe ſunt eadem. Atqui Perſonæ Divinæ eidem tertio, ſcilicet eſſentiali, ſunt eædem, Ergo Perſonæ Divinæ eodem modo inter ſe ſunt eædem, h. e, eſſentialem inter ſe habent identitatem.* Sed hac concluſione, quæ ex allata regula ſponte fluit, depellitur potius quam ulla ratione corroboratur Antitrinitariorum ſomnium, quo illi ſibi imaginantur tres perſonas non eſſe ejusdem eſſentiæ.

§. 422.

Diverſitatem eſſe diſconvenientiam *Diver-*

sitas intrinseca & extrinseca. prædicatorum, seu determinationum, quibus duæ pluresve res gaudent, suo jam vidimus loco (§. 390.). Sunt vero determinationes vel intrinsecæ vel extrinsecæ (§. 201.). Diversitatis ergo duæ exsurgunt species, quarum altera *Intrinseca* altera *Extrinseca* vocatur. *Illa* constituitur disconvenientia determinationum intrinsecarum; *hæc* extrinsecarum.

Ejusmodi diversitatem intrinsecam inter se habent homo & brutum, anima enim rationali gaudet ille, qua hoc destituitur, ille aliam habet corporis organici dispositionem, hoc aliam. Cajus vero & Titius homines vel diversis prognati parentibus, vel diversis loco & tempore existentes, extrinseca diversitate a se mutuo distermінantur.

§. 423.

Diversitas essentialis & accidentalis. Constituitur intrinseca diversitas determinationum internarum disconvenientia (§. 422.), quæ vero enti competunt internæ determinationes sunt vel essentialia, vel attributa vel accidentia (§. 417.). His ergo determinationibus se prodit interna diversitas. Sed diversitas essentialium infert simul diversitatem attributorum (§. 406.). Intrinseca igitur diversitas nonnisi in duas abit classes, quarum altera constituit *diversitatem essentialem*, ex essentialium disconvenientia resultantem; altera *accidentalem*

lem

lem efficit, quæ ex diſconvenientia accidentium originem trahit.

Sic eſſentiali diverſitate inter ſe differunt animalia & vegetabilia, quorum illa ſentiendi facultate gaudent, qua hæc deſtituuntur. Accidentalis autem diverſitatis exemplum præbent eruditi & rudes, eſt enim eruditio hominis accidens.

§. 424.

Oppoſita, contraria, contradictoria. *Oppoſita* dicuntur, quorum unum involvit negationem alterius, ſeu, quæ inter ſe mutuo pugnant. Quæ vero mutuam inferunt negationem, aut uni enti ſimul ineſſe nequeunt, ita tamen ut vel in diverſis entibus, vel in diverſis unius entis ſtatibus ſucceſſive exiſtere queant; aut nec in uno ſive ſimul, ſive ſucceſſive, nec in diverſis. Tertium non dari oſtendit principium excluſi medii (§. 64) Quam ob rem, quum illa ex uſu communi vocentur *Contraria* hæc *Contradictoria* dicantur; illa uni enti non quidem ſimul, ſucceſſive tamen ineſſe poſſunt. *Hæc*, quia conſtant prædicatis, ſe mutuo deſtruentibus (§. 47.), neque ſimul, neque ſucceſſive eſſe poſſunt (§. 53.).

Ita verb. gr. quod figura quadrilatera quatuor & habeat & non habeat angulos, contradictorium eſt. Quod vero anguli iſti ſint æquales & inæquales, contrarium dixeris, quoniam ſe mutuo ex eodem ſubjecto expellunt, ita tamen,

ut

ut figura quadrilatera, manente eadem laterum magnitudine, possit successive esse & æquiangula & non æquiangula. Eodem modo flavum colorem viridi & cæruleo contrarie opponunt Physici,

§. 425.

Relative & privative opposita. Oppositis, communi usu, adnumerari solent Relative & Privative opppsita, tanquam species, diversæ à contrarie & contradictorie oppositis; sed si quid adsequor, sub contrarie oppositis non inepte comprehendi possunt: nam *Relative opposita* dicuntur, quorum unius consideratio involvit considerationem alterius, ita tamen ut uni subjecto simul inesse nequeant. Sic cum Patrem adpello, ea denominatio considerationem liberorum involvit, sed pater non potest esse e suis liberis, nec liberi suorum ipsorum parentes. Quatenus ergo relative opposita uni enti simul inesse nequeunt, sub contrarie oppositis contineri possunt (§. 424.), *Privative opposita* sunt defectus realitatis in ente capaci, & realitas ipsa. Ita visus & cæcitas privative opponuntur. Sed defectus realitatis & realitas ipsa uni enti simul inesse nequeunt (§. 53.). Sub contrarie igitur oppositis commode comprehenduntur privative opposita.

Non

Non ignoro statui a Philosophis, præsertim veteribus, discrimen inter contrarie, contradictorie, relative & privative opposita, ad quod evolvendum in hunc fere modum argumentantur: Inter positivum & ejus negativum non datur medium (§. 279. 281.). Opposita ergo sunt vel positiva vel negativa, seu, propius ad mentem eorum, oppositio vel est inter duo positiva, vel inter unum positivum & alterum negativum. Si *prius*, quia positiva sunt vel *respectiva* vel *absoluta*; oppositio oritur vel *relativa* inter duo scilicet correlata, patrem v. gr. & ejus filium; vel *Contraria* ut inter nigredinem & albedinem. Si *posterius*, tunc vel negat oppositio in eo tantum subjecto, cui per naturam competere potest positivum, esse illud positivum, seu tunc vel relatione facta ad aliquod subjectum locum habet inter ejus realitatem & defectum; vel sine ulla relatione ad subjectum absolute & simpliciter inter positivum & ejus negativum, ut inter ens & non-ens locum invenit. Illud *Privativam* hoc *contradictoriam* constituere oppositionem dicunt. Fateor hoc oppositorum discrimen suo non carere fundamento. Sed si aliquanto generalius, quem ad modum nos fecimus, explicantur contrarie opposita, & extenduntur non modo ad duo positiva inter se, sive correlata fuerint, sive minus, quæ eidem simul inesse nequeunt subjecto, verum etiam ad alterum positivum, alterum negativum, quæ pari ratione eidem subjecto non simul, sed successive inesse possunt, si, inquam, hac generali notione exhibentur contrarie opposita, quem ad modum illa

illa exhibuimus (§. 424.), facile patet & relative & privative opposita, tanquam duas diversas species, sub contrarie oppositis comprehendi posse, & nihilo tamen secius inter se differre, ut species ejusdem generis. Sin vero quis adprobare maluerit veterum hanc arctiorem contrarietatis notionem, qua dicunt illam involvere oppositionem duorum positivorum, absolute spectatorum, quæ ita inter se distant, ut se mutuo e communi subjecto expellant; sciat ille nos hoc sensu nunquam dixisse relative & privative opposita sub contrariis contineri, sed separatam potius a contrariis constituere oppositorum classem.

§. 426.

De oppositis valent opposita. Ex definitione oppositorum hanc deducimus regulam: *de oppositis valent opposita.* Opposita enim sunt, quorum unum involvit negationem alterius (§. 424.). Quod igitur de uno oppositorum valet, ab altero est removendum, h. e. quod de uno oppositorum affirmatur, de altero negabitur.

Sic habere partes & non habere partes, simplex & compositum, opposita esse nemo nescit, apertiusque D. V. in parte Metaphysices altera docebitur. Quicquid ergo composito, ut composito tribuitur, a simplici ut simplici est removendum. Pari modo sapientiam & insipientiam opposita esse omnes facile largiuntur. Quicquid igitur sapienti, ut tali, tribuitur, insipienti est denegandum. Dixi, *ut tali*, nam si secundum

dum alios respectus, sibi non oppositos, duo considerantur homines, quorum alter sapiens, alter insipiens est, de iis, ut vel pueris notum, opposita valere nequeunt.

§. 427.

Quia de oppositis opposita valent (§. 426.), & de qualibet re valere debet ejus intelligibilitatis ratio sufficiens (§. 88.); perspicuum est *oppositorum, qua talium, oppositam esse debere eorum rationem sufficientem*, *Oppositorum opposita est ratio.*

Dixit *Aristoteles* L. VI. Top. cap. IX. §. 3. τῦ ἀντικειμένυ ὁ ἀντικείμενος λόγος. Oppsiti est opposita ratio. Ex quo originem traxit tritum illud: *oppositorum opposita est ratio*, præsenti, quod tuemur effato ex asse conveniens. Nam licet quidam per vocabulum: λόγος, in dicto illo Aristotelis intelligant definitionem & essentiam rei; quia tamen ex ipsa pendet ratio sufficiens eorum, quæ rei insunt, liquet & hos nobiscum pulchre consentire. Dicit quidem idem Aristoteles L. I. Top. Cap. X. §. 4. L. VIII. cap. I. §. 15. L. V. Eth. Cap. I. ἡ γὰρ αὐτὴ τῶν ἐναντίων ἐπιστήμη. *Contrariorum eadem est ratio*; hæc tamen nobis non sunt inimica, quum citatis locis non intelligat aliud Stagirita, quam quod cognito uno contrariorum, cognoscatur per oppositionem contraria alterius natura, & quod contrariorum eadem sit, sed inversa ratio. Sic. ex. gr. cognita compositi natura, per oppositionem statim intelligo simplicis indolem. Hoc vero non impedit quo minus compositi & simpli-

plicis opposita sit formalis ratio, de qua præsenti egimus enunciato.

§. 428.

Opposita unde elucescunt. Explicata igitur unius oppositi natura, statim intelligimus quid ab altero sit removendum, unde enata est regula: *Opposita, juxta se posita, magis elucescunt.*

Recte igitur statuit Aristoteles *rectum esse index sui obliqui* L. de anima cap. ult. & in 2. Rhet. cap. X. τ' ἐναντία παράλληλα μάλιστα φαίνεται. Jam vitium est habitus actiones suas legi difformiter dirigendi; Virtus ad bonum dirigitur finem, ergo vitium in malum tendit.

§. 429.

Oppositorum diversitas. *Opposita sunt etiam diversa.* Opposita vocantur, quorum unum involvit negationem alterius (§. 424.), sibi igitur mutuo, salvo omni respectu substitui nequeunt, sunt itaque diversa (§. 390.).

Recte itaque statuimus sapientiam v. gr. & insipientiam, virtutem & vitium, quæ sibi mutuo opponi indicavimus, diversa esse, diversasque habere affectiones.

§. 430.

Diversitas non opposita. *Sed non omnia diversa sunt statim opposita.* Disconvenientia enim prædicata, quibus constituuntur diversa (§. 390.), aut eorum unum involvit negationem alterius in altero, quod diversum dici-

dicitur; aut nullam involvit negationem (§. 63.); Si illud oppositorum nomine veniant necesse est (§. 424.); Si hoc, diversa quidem sunt (§. 390.), sed non opposita (§. 424.). Igitur non omnia diversa sunt statim opposita.

Scilicet in notione diversorum non determinatur an pugna sit prædicatorum, quæ in illis continentur, vel minus, pro duplici ergo hac addita determinatione, duas constitui debere diversorum species illico patet. Sic Theologia Revelata & Philosophia sunt diversæ disciplinæ, non tamen oppositæ, nam in altera non continetur, quod vere pugnat cum altera (§. 33.).

§. 431.

Quid distinctio sit? Hisce jam præmissis ad distinctionis naturam, plenius evolvendam, nos accingimus. Quo circa in genere observamus nos communi adpellatione, illa a se mutuo *distingvere*, quæ per diversos exhibentur conceptus, ut adeo *Distinctio* sit diversitas conceptuum inter plura.

Derivatur distinctio, secundum *Cellarium* in Orthograph. Lat. P. P. pag. 88. ἀ δὶς & στιγμὴ quod ἀστίζειν, stingvere, pungere. Unde distingvere erit quasi dispungere, seu binis punctis notare. Hinc quidam existimant formale distinctionis consistere in quadam *negatione*, qui unum plurium extremorum non esse alterum intelligitur, & proinde generaliter definiunt distinctionem per *identitatis plurium in conceptu aliquo negationem*. Hac inducti ratione, quod si

in negotio distinctionis unum non supponeretur inferre exclusionem alterius in suo conceptu, plura illa haud quaquam ulterius essent plura, sed unum idemque. Ideo per negationem illam formaliter tolli identitatem, proindeque distinctionem constitui affirmant. Monent vero non ideo putandum distinctionem, quia per negationem, tanquam formale suum, constituitur, esse non-ens, seu, nihil, sed habere sibi notionem respondentem, sat validam, quod nempe identitatem plurium proscribendo, singula eorum in esse, sibi proprio, quasi corroboret, & sic, quatenus inter res ipsas existit, aliquid positivum sit & reale conf. *Chauvini* Lex. Phil. sub tit. *distinctio. Donati* Metaph. Usual. Cap. XV. §. 55. Hæc omnia amicissime consentiunt definitioni, quam nos imposuimus termino *distinctionis*, eamque corroborant: Quoniam enim identitati opponitur diversitas (§. 390.), & opposita sunt, quorum unum involvit negationem alterius (§ 424.); negatio identitatis plurium in conceptu ponit diversitatem plurium in conceptu, nostraque proinde distinctionis definitio, hoc expressa modo, ab aliorum mox allata, non nisi verbis differt, quam nos maluimus adhibere positivam, quam negativam, ne quis verbis justo anxius inhærens putet distinctionem negativum denotare conceptum.

De cetero notetur heic agi de *distinctione Metaphysica*, in natura & indole rerum fundata, non autem de *Logica*, quam quidam a Divisione Logica distincturi, dicunt, per hanc responderi ad quæstionem: *quotuplex est?* per illam vero ad quæstionem: *quotupliciter sumitur?* vel, *quinam*

termini

termini veniunt sub isto nomine? Inservit ergo, secundum horum mentem, Distinctio Logica evitandæ confusioni & perplexitati, quæ facile oriruntur, dum modo sic, modo aliter capitur idem vocabulum; nisi bona præveniatur distinctione. Sic distinctionem adesse ajunt Logicam, quando in Logicis dicitur negationem v. gr. sumi pro *negatione propositionis*, & pro adverbio *negandi non*; alii vero, & quidem rectius, distinctionem Logicam latius sumentes, dicunt illam in præceptis tradendis esse occupatam, quibus distinctio Metaphysica, intellectui, circa rerum veritatem investigandam versaturo, in singulis ejus operationibus rite instituendis, inserviat, & cautæ atque circumspectæ disciplinarum tractationi conducat. Nos vero relicta hac distinctione Logica, in Logicis evolvenda, ad Metaphysicam, a qua paululum digressi sumus, propius considerandam, pergimus.

§. 432.

In distinctione pluralitas.

Distinctioni non est locus, nisi detur aliqua pluralitas, qua posita, ponitur distinctio, nexu tam indivulso: ut illa sublata, hæc quoque tollatur. Nam per principium contradictionis (§. 53.) non potest aliquid a se ipso esse aliud, eo quod ipsum sibi idem sit et extra se non positum. Quam ob rem, quia faciles largimur omnes, vel confusa solum distinctionis idea instructi, unum idemque, qua tale, a se ipso non distingvi, patescit distinctionem supponere alium & alium vel aliud, & aliud. h. e. aliquam pluralitatem,

qua remota oriretur unum idemque, & simul tolleretur omnis distinctio.

Quid pluralitas, vel multitudo, sit, suo plenius explicaturi sumus loco, in antecessum vero notetur, nos haud putare ad quamvis distinctionem requiri pluralitatem realem, sed sufficere haud raro mentalem, in diversis conceptibus, circa unam eandemque rem formatis, consistentem: Datur enim, ut mox exponetur, distinctio & realis & rationis.

§. 433.

Modus distingvendi res. *Quæcunque a se mutuo distingvuntur, differre debent vel intrinsecis, vel extrinsecis, Et vicissim Quæcunque vel intrinsecis vel extrinsecis differunt determinationibus, distingvuntur a se mutuo iis determinationibus, quæ in illis sunt diversæ.* Illa enim a se mutuo distingvuntur, quæ per diversos exhibentur conceptus (§. 431.); diversitas vero conceptuum, quæ inter res est, absolvitur disconvenientia prædicatorum, quæ illis quocunque modo competunt (§. 390.), adeoque vel intrinsecarum vel extrinsecarum determinationum discrimine (§. 201.). Quæcunque ergo a se mutuo distingvuntur, illa differre debent vel intrinsecis vel extrinsecis determinationibus.

Quæ vel intrinsecarum vel extrinsecarum determinationum gaudent diversitate, illa ob & per hanc diversitatem, diversis exhiberi pos-

posse conceptibus, quivis facile largitur, ad seipsum, quando diversos se habere conceptus dicit, adtendens. Hoc ergo modo a se invicem distingvuntur res. (§. 431.).

Non heic dicimus intrinseca & extrinseca simul requiri, ut unum ab altero distingvatur, sed tum hæc, tum illa, sigillatim spectata, sufficere putamus ad dignoscendum unum ab altero, seu, ad judicandum unum non esse idem alterum. Quare non copulativa, sed disjunctiva utimur expressione, præsentem exhibituri propositionem. Huic tamen rei obstare videtur tritum illud Veterum axioma: *Quibus principiis res constituitur, illis & distingvitur.* Vid. *Pererius* L. VI. Phys. cap. XII. *Fonsua.* L. V. Metaph. cap. VI. Q. V. sect. 3. unde subsumitur: *At res non constituuntur nisi intrinsecis, iisdemque non accidentalibus, sed essentialibus. Ergo nonnisi his a se mutuo distingvuntur. Non ergo accidentalibus, non extrinsecis.* Sed quamvis latiorem habere possit canon iste sensum, ut simul sub se comprehendat differentiam numericam, quam, ut suo videbimus loco, ingrediuntur accidentalia cum determinationibus extrinsecis, eoque modo ex dicto canone sequatur conclusio, nostræ assertioni omnino conveniens; quia tamen potissimum adplicatur ad indolem differentiæ specificæ eruendam, ut patet ex *Hunnii* Canon. Log. Cap. II. pag. 121. quæ omnino essentialis est; nostram in hac §:pho non ferit sententiam, qua in genere indagare voluimus omnia ista indicia, quibus unum ab altero constituitur diversum, sive specificam sive numericam afficiant diffe-

rentiam, de quibus tamen in sequentibus singullatim.

§. 434.

Distinctio Realis & rationis. Distincta diximus (§. 424), quæ diversos habent conceptus. Est vero conceptus vel Objectivus vel formalis, ille est res quævis, quæ ab intellectu concipi potest; hunc rei in mente repræsentatio absolvit (§. 74.). Distinctio itaque alia versatur circa diversos conceptus objectivos, alia circa diversos formales. Illa *Realis*, hæc *Rationis* dici solet. Illa ergo respicit diversa objecta, seu, res, quæ extra mentem nostram dantur; hæc refertur ad diversos, qui in mente nostra sunt, conceptus, de eodem objecto, seu eadem re formatos.

Ex. gr. Calefaciens & id, quod calefit, sunt extra mentem nostram diversæ res, diversaque objecta, inter illa datur realis distinctio. Inter albedinem & dulcedinem, licet uni subjecto, lacti, accidant, quatenus tamen in diversis objectis existere possunt, eatenus re ipsa unum idemque non sunt. Realis ergo inter illas locum habet distinctio. Rationis contra distinctio est inter essentiam Divinam & attributa Ejus, quæ quà rem ipsam coincidunt, & solum per diversos conceptus, a nobis formatos, distingvuntur.

§. 435.

Realiter, & rationis distinctorum *Realiter* ergo *Distincta* sunt, quorum unum non est alterum, citra intellectus nostri operationem, seu,

ſeu, quæ objective non coincidunt, absque relatione ad noſtros conceptus. *Ratione* autem *Diſtincta* ſunt, quorum re ipſa unum eſt alterum, per operationem tamen mentis diſtingvuntur, ſeu, quæ objective coincidunt, per diverſos tamen exhibentur conceptus. *definitio.*

Quam nos rationis vocamus diſtinctionem, alii *Notionalem*, alii *formalem* adpellare ſolent, eadem tamen nobiſcum ſignificatione. *Ariſtoteli* quidem non prorſus ignotum fuit hoc diſcrimen, quod inter realiter & ratione diſtincta intercedit; aliter tamen illud expoſuit Ariſtoteles, aliter Scholaſtici, quorum ſententia jam diu ubique obtinuit, ſtatuens *realiter diſtingvi* eſſe citra mentis operationem diſtingui, ſive citra hoc, quod mens aliqua, ut diſtincta concipit, diſtincta eſſe. *Ratione* autem *diſtingvi*, eſſe non citra mentis operationem diſtingvi, ſive citra hoc quod mens aliqua, ut diſtincta concipit, diſtincta eſſe. Sed ut magis eluceſcat, quænam ſint realiter diſtincta, ad indicia eorum & ſigna, clarius evolvenda, properamus.

§. 436.

Quæ eſſentias habent diverſas, ea diſtingvuntur realiter. Quia enim unius entis non eſt niſi unica eſſentia (§. 333.), quæ diverſas habent eſſentias, diverſa ſunt entia, eorum itaque unum alteri, citra omnem mentis noſtræ operationem ſubſtitui nequit (§. 390.) ſeu, quod idem eſt, eorum unum non eſt alterum. Realiter ergo a ſe mutuo diſtingvuntur (§. 435.). *1. Modus cognoſcendi realiter diſtincta.*

 Ut

Ut adeo infallibiliter hinc colligere liceat: homo & lapis, quia diversas habent essentias, distingvuntur realiter; Canis & leo, quia aliam speciei essentiam possident, realiter differunt; Petrus & Paulus, quia alia gaudent numerica essentia, quæ in diversitate omnimodæ determinationis consistit, realiter distingvuntur. Immo in ipso homine anima & corpus, quæ diversis constituuntur essentiis, realiter differunt.

§. 437.

Distinctio essentialis. Distinctio, inter entia diversæ essentiæ intercedens, dici solet *Essentialis*, immo & stricto sensu *Realis*

Hanc intelligit *Mendoza*, dum Disp. Metaph. VI. §. 4. & 5. statuit res non per modum, iis superadditum, nec per negationem, sed per propriam entitatem, sive essentiam distingvi, & provocat ad tritum & commune Philosophorum verbum: *Per eundem conceptum, quo res constituitur in se, distingvitur ab alio.* Inter criteria vero hujus distinctionis essentialis, seu, stricto sensu realis communiter numeratur. 1:o) Essentiarum diversitas, 2:o) Separata existentia, 3:o) Realis separabilitas. Primum statim exposuimus (§. 436.), secundum vero & tertium justæ explicationi mox subjiciemus.

Notetur de cetero me in sequentibus, omnis vitandæ confusionis causa, per distinctionem realem non intelligere nisi illam, quam in latiori explicuimus sensu §. 435.), minime vero hanc strictius acceptam, quam potius essentialem semper adpellabo.

§. 438.

§. 438.

Quoniam distinctio essentialis inter entia diversæ essentiæ obtinet (§. 437.), & quæ diversas habent essentias realiter distingvuntur (§. 436.), perspicuum *evadit distinctionem essentialem sub reali comprehendi.* *Distinctio essentialis est realis.*

§. 439.

Quæcunque actu sunt separata, ea differunt realiter, & in specie essentialiter. Quæ enim actu sunt separata, separatam habent existentiam, & separata sunt entia, atque ideo, quia unius entis non est nisi unica essentia (§. 333.), separatam, seu diversam habent essentiam. Sed posita essentiarum diversitate ponitur distinctio realis (§. 436.). Quæ ergo actu sunt separata, differunt essentialiter (§. 437.), & in genere realiter (§. 438.). *2. Modus Real. distinctionis.*

Bona itaque est collectio: Eqvus & canis sunt entia separata, ergo realiter differunt, anima & corpus sunt post mortem hominis actu separata, realiter ergo differunt.

§. 440.

Quæ differunt subjectis, seu, entibus, quibus insunt, ea distingvuntur realiter. Ponamus quæ differunt subjectis realiter non distingvi, eorum ergo unum erit simul alterum, & simul non alterum; erit alterum, quia realiter distincta esse ne- *3. Modus Real. distinctionis.*

negantur (§. 435.); non erit alterum, quia subjectis differunt (per hypoth.). Sed hoc manifestam involvit contradictionem (§. 43.), neutiquam, quia verissimum est principium contradictionis (§. 52), admittendam. Recte ergo statuimus ea, quæ differunt subjectis, quibus competunt, distingvi realiter.

Hinc recte infero: Albedo, quæ est in lacte, & quæ in papyro, differunt subjectis, ergo distingvantur realiter. Scientia, quæ est in Platone, & quæ in Aristotele datur, subjectis disterminantur, illa ergo ab hac realiter distingvitur. Pessime abuteretur hac regula, qui ita colligeret: *Omnipotentia Divina, quatenus & Divinæ & humanæ Christi naturæ competit, differt subjectis, ergo heic locum habet distinctio realis.* Sed nulla est heic subjecti diversitas, qvum Divina & humana Christi natura unum unitum constituant subjectum, cui eadem inest omnipotentia: Deinde competit quidem omnipotentia Divina humanæ Christi naturæ, vi unionis hypostaticæ, non tamen nisi Divinæ naturæ essentialiter inest,

§. 441.

4 *Modus Realis distinctionis.* *Quæ differunt ut producens & productum, sive productio fuerit effectiva, sive alia quæcunque realis, ea differunt realiter.* Effectivam productionem esse causæ efficientis, eamque ab effectu suo separatam habere existentiam & essentiam in parte Metaphysices altera D. V. demonstrabitur;

bitur. Ubi itaque est productio, ibi producens & productum differunt realiter (§. 439.). Quando autem effectiva non est productio, sed alia quæcunque realis, tunc nihilo secius aliud reipsa est producens, aliud productum, vel potius, eorum unum non est alterum (ut vel ipsæ notiones confusæ, quas de producente & producto habemus clare ostendunt:), differunt ergo inter se realiter (§. 435.).

Hoc modo, quia Deus & creatura, Parens & soboles, mens & conceptus, ab illa formatus, aliaque ejus generis plura, differunt, ut producens & productum, realiter ergo à se mutuo distingvuntur.

Usus Theologicus. In S. Sancta Trinitate, tres sunt, ut scriptura docet, Personæ, quæ quamvis non differant inter se ut causa efficiens ab effectu, sunt enim omnes ejusdem immensæ potentiæ & æternitatis; neque essentiarum diversitate, qvum omnes tres una eademque simplicissima subsistunt essentia; quia tamen *Pater* genuit *Filium*, & Hic ab Illo est genitus, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens, differunt inter se ut producens & productum, productione non effectiva, sed alia, reali tamen, nobis licet imperscrutabili. Differunt ergo realiter. Circa distinctionem personarum Divinarum inter se, peccant & in defectu & in excessu hæretici. In *Defectu*, Neo-Photiniani, omnem omnino personarum Divinarum distinctionem inficiantes, & unam saltem Divinam personam fingentes, cum ex eorum mente persona sit nihil

hil aliud, quam essentia individua intelligens. Sed essentia Dei numero est una. Ergo. Vide Catech. Racov. L. de cognitione Dei p. 12. *Ostoredum* contra *Tradelium* P. 2. cap. XII. Rationis tantum distinctionem, reali oppositam, veteres quosdam statuisse hæresiarchas, Arianos, scilicet, Eunomianos, Macedonianos, Noëtianos, Sabellianos, &c. dum Trinitatem solum in nominibus & non in rebus & subsistentiis sunt confessi, testatur L. 2. Hist. Eccles. cap. 29. *Ruffinus*, cum quibus faciunt anno Christi 1521. exorti Anabaptistæ. In *excessu* contra peccant, qui essentialem trium Deitatis personarum distinctionem defenderunt, ut Tritheitæ, seculo post natum Christum septimo suborti, quorum dux & auctor vocatur Johannes Grammaticus Philoponus, argutus disputator & Philosophus in Platonis & Aristotelis doctrina probe versatus. Inter hæc duo extrema mediam Orthodoxi defendunt sententiam, realem distinctionem inter Divinas personas propugnantes. Objiciunt adversarii: *Realis distinctio est inter rem & rem, atqui Divinæ personæ non sunt res & res, quia unam habent essentiam, Ergo inter Divinas personas non est distinctio realis.* Sed salva manet Orthodoxorum assertio, nam realis distinctio non obtinet modo inter diversa entia, seu res, ubi rei vocabulum strictius pro ente sumitur; sed locum etiam habet inter omnia, quorum unum objective non est alterum, quocunque demum id sit modo, quare quia persona Divina una non est altera, personæ Divinæ differunt realiter.

§. 442.

§. 442.

Quæcunque actu a se invicem separari possunt, ea differunt realiter. Ponamus hæc a se invicem non distingvi realiter, eorum ergo unum est alterum (§. 435.). Quorum vero unum est idem alterum illa a se invicem actu separari nequeunt, nam si separarentur, unum non esset alterum. Sed per hypothesin ponuntur hæc a se invicem actu separari posse. Realiter ergo differunt (§. 435.).

5. Modus Realis distinctionis.

Brevius. Quæcunque actu a se invicem separari possunt, eorum unum non est idem alterum, sed quorum unum non est idem alterum illa sunt realiter distincta (§. 435.). Quæcunque ergo actu a se invicem separari possunt, ea distingvuntur realiter.

Observes heic non sine ratione addi vocabulum *actu*, qvum mentalis separatio, quæ in abstractionibus locum habet, & qua unum etiam essentiale rei prædicatum separatim ab altero consideramus, nullam realem, sed mentalem tantum inferat distinctionem. Deinde cogites heic præcise sermonem non esse de separatione Physica & naturali, quamvis illa non excludatur, sed absolute de quavis possibili, & per quamcunque potentiam producibili. Tandem scias non *positivam* modo, sed & *negativam* heic indigitari separabilitatem, illa est, qua ambo post separationem pergant existere, hæc est, qua post separationem, alterutrum saltem superstes manet, altero pereunte. Hoc modo, quia positi-

ve

ve a corpore separari potest anima humana, ita ut pulvis redeat ad terram, unde fuit, spiritus vero ad Deum, qui ipsum dedit Eccles. XII. 7; realis datur inter animam & corpus distinctio. Sic separatio negativa est in hominis per peccatum corruptione, mente manente, sed imagine Dei, qua decorata fuit, deperdita. Est itaque inter mentem & inter imaginem Dei realis distinctio.

Caveas vero quam maxime ne hanc, quam evici, & jam illustravi propositionem converti posse arbitreris universaliter, ita ut, *quae realiter differunt, ea a se mutuo separari possint*. Nam quamvis lubens concedam in rebus finitis & creatis, quae realiter differunt, posse a se mutuo separari; tres tamen S. Sanctae Trinitatis personae realiter quidem sunt distinctae, sed a se invicem separabiles nunqvam dicendae.

§. 443

Accidentalium mutua & ab essentia reale discrimen. Accidentia enti, cui competunt, inconstanter insunt (§. 366.), seu, quod idem est, accidentia possunt actu separari ab ente, salva manente ejus essentia. Quivis etiam domestica edoctus experientia perspicit, posito uno accidente non statim poni alterum, ipsaque idcirco accidentia a se invicem esse separabilia. *Datur itaque realis distinctio tum inter essentiam entis & ejus accidentia, tum inter accidentia, ad se invicem relata* (§. 442.).

Ex. gr. Pietas & eruditio animae sunt accidentia, quae tum a se invicem, tum ab anima se-

para-

parari possunt, inter se ergo, & ab ipsa anima realiter differunt.

§. 444.

Distinctio, quæ inter ens & ejus accidens, vel etiam plura unius entis accidentia datur. *Accidentalis*. seu, *Modalis* adpellari solet. Nonnullis *Distinctio realis minor*. *Distinctio modalis.*

Hac ratione inter hominem & misericordiam ejus, nec non inter misericordiam & justitiam ejusdem, modalis locum habet distinctio.

Distinctionis hujus modalis non Aristoteles nec interpretes ejus, nec veteres, sed tantum recentiores scholastici meminerunt, quorum e numero est *Svarezius*, qui Disp. Metaph. VII, sect. I. n. 16. p. 161. 162. hac ratione de distinctione modali disputat: *Censeo simpliciter verum esse dari in rebus creatis aliquam distinctionem actualem, & ex natura rei, ante operationem intellectus, quæ non est tanta, quanta est interduas res, seu, entitates omnino distinctas, quæ distinctio, quamvis generali vocabulo possit vocari realis, quia vere est a parte rei, & non est per denominationem extrinsecam ab intellectu; tamen ad distingvendum illam ab alia majori distinctione reali, possumus illam adpellare. vel Distinctionem ex natura rei, vel propius* DISTINCTIONEM MODALEM, *quia versatur semper inter rem aliquam & modum ejus.* Deinde sect. II. n. 6. signum distinctionis Modalit statuit *Svarezius*, *separationem unius ab alio, in qua unum extremum potest manere sine alio, non tamen e converso.* His Svarezianis, ubi addimus Insignis *Musæi* in Metaph. cap. XXXIV.

§. 55

§. 55. & seqq. de distinctione modali ad mentem Scholasticorum agentis, pronunciatum, præsertim ubi §. 59. statuit *modum a re, cujus est modus, separari posse, re illa manente: nec minus separari posse duos modos ejusdem rei, ut pereunte uno, alter actu eandem rem efficere non desinat.* Ubi, inquam, hæc addimus, & simul perpendimus quod prius (§. 366.) de separabilitate accidentium, seu modorum est demonstratum; statim perspiciemus recte a nobis explicatam & definitam esse distinctionem modalem, Scholasticis usitatam. Scholasticæ huic Philosophiæ consensum præbet *Claubergius*, Cartesianorum solertissimus, qui §. 269. Ontosoph. Statuit, *Modalem distinctionem ex eo cognosci, quod rem quidem possumus clare percipere absque modo, ut mentem sine dubitatione, vel unum modum absque alio, uti dubitationem sine amore, at non vicissim absque re, cui inest, ut dubitationem sine mente.* Claubergium hoc loco per modos veri nominis accidentia intelligere, indicant quæ in eadem §:pho sequuntur verba, declarant allegata exempla, testaturque *Svicerus* in notis ad citatam §:phum, perspicue monens, per modum heic intelligi substantiarum accessoria, sive accidentia, quæ sua varietate statum & conditionem rei immutant. Ab his non dissentiunt *Scharfius* in Metaph. Exempl. L. II. cap. XVI. p. 213. *Welthemius* in Instit. Metaph. Cap. XXXVI. p. 1708. seq. *Hebenstreitius* in Instit. Phil. Prim. p. 924. aliique plures. Fateor *Donatum* in Metaph. Usual. Cap. XV. p. 102. longe diversum modali distinctioni imponere sensum, putareque illam esse inter rem & modum ejus inseparabilem, vel in-

inter modum & modum inseparabiles & sibi non oppositos; & hoc distinctionis genere inter se differre ens & ejus unitatem, unitatem & veritatem entis; Deum & Ejus omniscientiam, omniscientiam & omnipotentiam. Modalem ergo dari distinctionem inter ens & attributa ejus, & inter attributa inter se. Fateor, inquam, *Donatum*, & cum hoc *Canzium* in Ontol. Polem. §. 59. a Svarezio, ceterisque, antea citatis, facere divortium, in explicanda distinctione modali, illamque ideo non ad realem, sed ad distinctionem rationis referre; sed juxta fatendum est nos potiori jure retinere primitus receptam, quam tradidimus distinctionis modalis, definitionem, quam hunc novum ei adsignare significatum. Ceterum ex notione distinctionis modalis tradita & explicata facile confutantur quidam Calvinianorum, qui cum *Keckermanno* in syst̃em. Theol. p. 15. 59. *Sohnio* in Exeg. August. confess. p. 86. & *Massonio* distinctionem inter tres S. S. Trinitatis personas ponunt modalem. Hinc enim, quia distinctio modalis est inter ens & ejus accidentia, vel inter accidentia unius entis inter se relata, illud sequeretur absurdi, Deo, enti simplicissimo, competere accidentia, ipsasque tres personas, horret animus, non esse nisi mera unius entis accidentia, meros modos. Audiamus vero Keckermanni argumentationem: *Est omnis subsistentia modus, at tres Divinitatis personæ differunt ratione subsistentiarum. Ergo differunt per modum, consequenter modaliter.* Quamvis nondum sit locus enucleandi subsistentiæ notionem, dabimus illam D. v. in parte

Usus Theologicus.

Metaphysices altera; certum tamen & indubitatum est, prout ibidem demonstrabitur, subsistentiam ab entis Infiniti essentia esse inseparabilem, & ideo, utut illa in genere per modum explicetur, non tamen, quando ad Deum & tres in Divinitate personas applicatur, veri nominis modum seu, accidens esse, nullamque idcirco modalem hoc casu gignere distinctionem, prout hanc nos explicuimus. Deinde quis dixerit inter Petrum & Paulum dari modalem distinctionem, utut alia sit subsistentia humanæ naturæ Petri, alia Pauli propria? Nemo ergo hac Keckermanni argumentatiuncula movebitur ad fingendum discrimen inter tres S. S. Trinitatis personas modale.

§. 445.

Distinctio modalis est realis, sed non inversim.

Ex stabilita distinctionis modalis notione ultro fluit, *omnem quidem distinctionem modalem esse realem, sed non conversim, omnem realem esse modalem.* Distinctio enim inter ens & ejus accidens, vel etiam plura unius entis accidentia, est realis (§. 443.). Sed illa distinctio modalis adpellari debet (§. 444.). Modalis ergo, sub reali comprehenditur.

Demonstratum mox est essentialem distinctionem esse realem (§. 438.). Essentialem vero distinctionem cum modali non coincidere ostendunt earum diversæ notiones (§. 437. 444.). Ergo non omnis realis distinctio est modalis.

Con-

Contineri distinctionem modalem sub reali largiuntur etiam, quos ad §. 444. mecum consentientes citavi, in statuenda notione distinctionis modalis, quamvis quidam eorum illam opponant reali, sed arctius acceptæ, pro ea, quæ vel inter res diversæ essentiæ, vel inter modos diversarum rerum intercedit, fatentes illam comprehendi debere sub reali, in latiori suo accepta sensu, quo inter omnia valet, quorum unum non est alterum (§. 435.), & quo sensu nos præsenti positione diximus modalem distinctionem sub reali comprehendi.

§. 446.

Hinc porro intelligitur *realem distinctionem non statim esse essentialem*, nam præter essentialem distinctionem, quæ sub reali continetur (§. 438.), datur etiam modalis (§. 444.), sub reali itidem comprehensa (§. 445.). Non ergo omnis distinctio realis est essentialis. *Realis distinctio ab essentiali differt.*

Sic recte indicatum a nobis est dari reale discrimen inter personas S. S. Trinitatis (§. 441.), inde tamen non sequitur essentiis differre tres Deitatis personas, quum in una eademque simplicissima essentia subsistant, nec omnis distinctio realis sit essentialis. Unde, quia probavi neque modaliter differre tres Divinitatis personas (§. 444.), in aprico est positum præter distinctionem modalem & essentialem, dari adhuc aliam, sub reali complexam, quam, quantum valemus, uno alterove explicare conabimur verbo. *Usus Theologicus.*

§. 447.

Distinctio analogica. *Distinctio realis analogice sic dicta*, seu, *Distinctio Realis secundum Analogiam* est, qua unum non est alterum ob oppositas relationes, licet ejusdem alioquin sint essentiæ.

Hoc modo realiter inter se differre videntur tres in S. S. Trinitate personæ, quæ ejusdem quidem sunt essentiæ, nec ullo inter se distinguuntur accidenti, quia omni illo destituuntur; differunt tamen per oppositas relationes, seu, ut opposita relata, ita tamen ut *Pater* non sit *Filius*, nec contra. Locum ergo heic habere videtur distinctio Realis analogice sic dicta.

Non mihi ignotum est quibusdam placere latiorem distinctionis realis analogicæ ideam, sub qua etiam modalis comprehendatur; maluimus tamen distincta distinctis efferre terminis, præsertim ne *Keckermannus* cum sequacibus, audiens Orthodoxos sub analogica distinctione reali comprehendere distinctionem inter tres Divinitatis personas, ex latiori illius distinctionis acceptione putet se Orthodoxis conformia statuere, fingendo modalem in Divinis distinctionem.

§. 448.

Distinctio Rationis. Reali, quam huc usque breviter delineavimus, distinctioni opponitur *Distinctio Rationis*, quæ circa unam eandemque rem versatur, diversis exhibitam conceptibus, seu, notionibus (§. 435.). Obtinet ergo Ra-

Rationis distinctio, quando quæ in mente nostra sunt notiones, de eodem ente formatæ, aliæ aliis, salvis, quæ habent, omnibus, substitui nequeunt (§. 390.).

Varia hujus distinctionis acceptio.

Differre ratione non in eodem apud omnes sumitur sensu. Nam 1:0) *Quibus rationis vocabulum* pari passu cum essentia ambulat, distinctio rationis coincidit cum distinctione essentiali. Sic *Aristoteles* L. 1. Phys. dulce & album prædicari de eodem ait, & nihilo minus differre λόγῳ, seu ratione, h. e. non per operationem intellectus, sed per essentiam & definitionem, ut recte exponit *Suarezius* Disp. Met. VII. S. I. n. 14. p. 161. Et ad hunc sensum ait *Monolor*. de Univers. Cap. IV. universale & singulare differre λόγῳ, h. e. ratione ὀσίας. Sic & *Porerius* L. XIII. Phys. Cap. III. ait actionem & passionem distingui ratione, h. e. definitione. Conf. *Scheibleri* Metaph. L. I. cap. VIII. n. 39. 2:do *Quibus arridet ea solum dicere realiter distincta*, quæ essentiis differunt, & realiter distinctis ita opponere distincta ratione, ut quæcunque essentias non habent diversas, & nihilo tamen secius differunt, ratione distincta vocentur, ii, præter distinctionem rationis proprie sumtam, etiam sub illa comprehendunt & modalem & analogicam distinctiones, sub reali, ut vidimus, in latiori sensu sumta contentas. Hac significatione dixit *Damascenus* de Orth. Fide Cap. II. Personas Trinitatis differre ratione, h. e. non essentia, seu, essentiali discrimine. Hinc ergo nemo putabit Damascenum

Eunomianis, Arrianis, ceterisque hæresiarchis favisse, qui rationis discrimen, stricto sensu sumtum, inter tres Divinitatis personas finxêre. 3:o *Differre ratione* dicuntur, quæ in re sunt aliquid unum, apprehenduntur, tamen ut multa. Hoc ultimo modo nos sumimus distinctionem rationis, quando illam opponimus distinctioni reali, in sua acceptæ latitudine. Hoc etiam loquendi modo *Noëtiani* dicebant Personas divinitatis distingui ratione, ut *Epiphanius* refert L. II. Tom. I. Hæres. 57. Et proinde hanc locutionem admisit Ecclesia in Damasceno, reprobavit autem in Noëtianis.

§. 449.

Fundamentum distinctionis rationis. In Metaphysicis, quemadmodum in universa Philosophia, nihil sine ratione sufficiente est statuendum (§. 88.), rationesque assertorum non ex ipso cognoscente, sed ex indole rerum, seu objectorum, sunt desumendæ. Nulla ergo statui debet distinctio rationis, nisi quæ in re ipsa suum habeat fundamentum, h. e. de eodem ente non formandæ sunt notiones, quæ salvis omnibus, sibi mutuo substitui nequeunt (§. 448.), nisi in ipso illo ente, vel ejus ad alia relatione detur ratio formandi ejusmodi notiones.

Statim itaque ut nugatoriam, & nullius utilitatis rejicimus, quæ per solam fictionem fit distinctio, & vocari svevit *Distinctio Rationis ratiocinantis*, omni destituta in re fundamento, cujus-

jusmodi eſt, cum quis diſtinguit inter Tullium & Ciceronem. Solum ergo heic in cenſum venit diſtinctio, quam *rationis ratiocinatæ*, vocare mos eſt, & quæ aliis *Diſtinctio rationis eminentis* dicitur, nobis vero ſine adjecto, *diſtinctio rationis*, quæ in re ipſa, menti exhibita, aliquod habet fundamentum.

Scilicet ea certe eſt limitatæ mentis & imbecillium ejus facultatum indoles, ut in entis cujusvis adyta quaſi penetraturi, plures & diſtinctos nobis efformare cogamur conceptus, etiam tum, quando objectum ipſum, usque adeo ſimplicitatem amat, ut quamcunque reſpuere videatur pluralitatem. Neque enim intuitive & unico conceptu adæquato totam rei naturam poſſumus perſpicere. Opus itaque multarum ſubſidio idearum inadæquatarum habemus, quarum unaquæque aliquid rei repræſentet. Hactenus ergo nobis licebit, niſi penitus obtundamur, tanquam plura conſiderare, quæ in ſe minime ſunt plura, realiter ſcilicet diſtincta, paulatimque ea notionibus diſtinctis cognoſcenda ſiſtere, usque quo plenam, quantum detur, objecti cognitionem nobis acquiramus. Non tamen putandum eſt finitudini mentis humanæ ſolum deberi hanc rationis diſtinctionem, ſed habere illam, ut in ipſa theſi ſtabilivimus, in re ipſa validum ac firmum fundamentum, ultra quod ſi diſtinguendo progredi fas eſſet, plurimas & quidem, absque fine & norma, innumeras rei cujusdam partes concipere, conceptas iterum pro lubitu confundere, ac unam pro altera habere licite poſſemus, quo ipſo veritas tandem omnis in purum quoque ens rationis ratiocinantis,

tis, h. e. in purum non-ens abiret. Sic quippe non intellectus noster a rebus, sed hæc, vice versa, ab illo, mensuram, incongruum profecto in modum, caperent.

§. 450.

Distinctio formalis. Diximus quodvis ens rem esse, quatenus est aliquid (§. 268. 270.), indeque intulimus (§. 271.) quamlibet rem, licet in se unam, pluribus tamen constare prædicatis, quorum quodlibet realitatis, seu, formalitatis venit nomine. Quatenus ergo plures istæ unius ejusdemque rei realitates, seu, formalitates, qua suas notiones, quas de iis formavimus, sibi mutuo substitui non possunt, salvo omni respectu, eatenus inter illas *Formalis* statui solet *distinctio.*

Varia distinctionis formalis acceptio. Formalis hæc distinctio non ejusdem ab omnibus constituitur latitudinis: Quibusdam enim *absolute & in latissimo sensu* sumitur, pro omni distinctione, sive reali, sive rationis, quo sensu formalis distinctio eorum erit omnium, quæ diversos habent conceptus, sive demum præterea ipsa re sint distincta, sive minus. Hoc sensu formalem distinctionem accepit *Fonseca* L. V. Metaph. Cap. VI. Qv. 6. S. 2. p. 399. T. II. illam dirimens in *formalem essentialem*, sub qua omnem realem distinctionem comprehendit, ex essentiarum quacunque diversitate oriundam; & in *formalem puram*, qua rationibus formalibus objectivis secernuntur a se mutuo

tuo duo quælibet entia, non diversæ essentiæ. Hanc ergo distinctionem formalem puram statuit Fonseca inter tres personas Trinitatis. Existimat *Musæus* Cap. XXXIV. Metaph. §. 41. Aristotelis χωριςὰ λόγῳ pene coincidere cum formali distinctione, in hoc latissimo sensu accepta, nisi quod ex realiter distinctis fere ea intelligat Aristoteles, quorum unum ab altero nec actu separatum est, nec ita separari potest, ut utrumque seorsim existat: cum interim quæ separatim existunt, aut existere possunt, licet illorum etiam diversa sit formalis ratio, χωριςὰ τόπῳ vel aliis nominibus adpellaverit. Latissimum hunc formalis distinctionis sensum alii rejiciunt, statuentes formaliter distincta esse *sensu exclusivo*, ita, ut realem distinctionem a se removeant, quo casu distinctio formalis cum distinctione rationis prorsus coincideret, iisque competeret, quæ citra hoc, quod diversas rationes formales habeant, non sunt distincta. Huic acceptioni, inter alios, addictus est *Petrus Musæus* c. l. Nos vero eorum adprobamus sententiam, qui etiam relicta hac latiori significatione, contendunt formalem distinctionem, tantum versari inter plures realitates unius ejusdemque rei, quatenus per diversas exhibentur notiones. Hoc sensu dixit *Scharffius* in Met. Exempl. L. II. Cap. XVI. p. 213. distinctionem formalem inter ea locum habere, quæ unum sunt essentiale, & contingere quando una essentia continet plures realitates, formaliter extra se invicem positas. Scharffio consensum præbet Andr. *Thuronius*, olim Log. & Phys.

 Pro-

Profeff. Aboënfis in comp. Metaph. p. 258. opponens diftinctionem formalem, in fpecie dictam, diftinctioni rationis.

§. 451.

Requifita bujus diftinctionis Propofita diftinctionis formalis definitio (§. 450.) indicat non tam abfolutam de rebus conceptibilitatem, quam potius, quoad noftrum intellectum relativam, fundatam tamen in ipfa re, effe fundamentum dictæ diftinctionis, & ideo, quia verfatur circa realitates unius ejusdemque rei, quarum notiones fibi mutuo fubftitui nequeunt, non id inferre, quod vel inter ipfas illas realitates, inter fe collatas, vel inter quamlibet earum & rem, cujus funt realitates, reale detur difcrimen, quo pofito fequeretur unam earum objective non effe alteram (§. 435.), fed id folum importare, quod notiones, de dictis realitatibus a nobis formatæ, fibi mutuo fubftitui non poffint. Et proinde formalem diftinctionem recte comprehendi fub diftinctione rationis (§. 449.)

§. 452.

Diftinctio formalis nullam infert pluralitatem realem. *Formalis diftinctio nullam infert pluralitatem rerum, nec realitatem unius rei, objective fi fpectantur.* Verfatur enim formalis diftinctio circa unius ejusdemque rei diverfas notiones realitatum (§. 450.), quibus quum nulla rerum inferatur pluralitas (§. 273), in-

intelligitur neque formalem distinctionem inferre pluralitatem rerum.

Occupata est formalis distinctio circa diversas, unius ejusdemqne rei realitatatum notiones (§. 450.), quæ haud poscit quod una realitas objective non sit altera (§. 451.), sed solum, quod qua notiones suas sibi mutuo substitui non possint (§. cit.). Quare, quum nulla locum habeat pluralitas objectiva, seu, realis, nisi ubi unum non est alterum (§. 435.), sponte fluit formalem distinctionem, pluralitatem inter ipsas realitates, objective spectatas, h. e. prout rei reapse insunt consideratas, haud involvere.

Corruit itaque Scotistarum sententia, qua prout illam expressit *Job. de Rada*, insignis Scoti Sectator, Part. I. Controv. Theol. Contr. IV. n. 2. arbitratur formalem distinctionem esse ex natura rei, h. e, non prout nos illam antea explicuimus (§. 451. 449.), sed inesse ipsis rebus, secluso opere intellectus negotiantis, & ideo esse illam, quæ obtinet inter rationes formales rerum objectivas, quarum una, secluso actu intellectus, non est alia. Verum quæ ita citra actum intellectus, seu, nemine cogitante sunt distincta, non possunt realem fundare distinctionem (§. 435.), in nulla ergo re conjungi queunt, quin realem in ea compositionem faciant. Huic ergo obstat incommodo nostra demonstratio, perspicue ante oculos ponens realitates unius ejusdemque rei, quæ formaliter distinguun-

guuntur, objective nullam realem inferre pluralitatem, sed notionum saltem, quas nos de illis formavimus, involvere multitudinem.

§. 453.

Inter essentiam & attributa entis quale discrimen!

Ex his jam ubertim patet *inter entis essentiam & ejus attributa realem non dari differentiam, sed formalem.* Posita enim entis essentia, ponuntur ejus attributa (§. 343.), & quidem indivulso & inseparabili nexu (§. 344.). Non ergo potest essentia esse sine attributis, neque hæc sine illa, neque possunt attributa esse extra essentiam, aut hæc extra illa, qua rem igitur ipsam, essentia & attributa entis non sunt alterum & alterum quid, &, per consequens, realiter non differunt. (§. 435.).

Quia tamen non essentialia solum entis, quorum quodlibet est reale & rei nomine venit (§. 270.). sunt prædicata, quibus res continetur (§. 320.), & ideo realitatum nomine merito salutantur (§. 271.); Sed ipsa quoque attributa realitates sunt (§. 345.). Quia etiam essentialium alia est notio quam attributorum (§. 320. 340.); quà notiones suas sibi mutuo substitui nequeunt essentialia & attributa, etiamsi, ut mox demonstravimus, realiter unum sint. Intelligitur ergo inter essentiam & attributa entis formale dari discrimen (§. 450.).

Con-

Contra quosdam Thomistarum & Scotistarum, cum ipso Thoma, Iavello, Soncinnate, Fonseca, Svarezio, aliisque accuratioribus recte heic defendimus inter essentiam & attributa entis non dari reale discrimen. Cui rei ulterius corroborandæ hoc etjam accedit, quod alioqui daretur progressus in infinitum: Fingamus enim attributum entis ab Essentia ejus realiter differre, re ipsa ergo attributum non esset essentia, neque essentia attributum (§. 435.), consequenter, minimum in distinctione reali stricto sensu sumta (§. 437.), attributum esset ens, essentia pariter ens, &, quia cuilibet enti sua competit essentia (§. 329.), sua attributa (§. 342.), quodlibet attributum iterum resolveretur in essentiam & attributum, & sic porro in infinitum. Quam ob rem, quum essentia sit ratio sufficiens attributi (§. 340.), daretur progressus rationum in infinitum (§. 104.), qui tamen dari nequit (§. 105.). Locum ergo non habet realis distinctio, stricto sensu sumta, inter essentiam & attributa entis. Neque locum heic invenit *Distinctio Modalis*, qua unice ens a suis accidentibus discriminatur (§. 444.): attributa enim non sunt accidentia. Nec denique, quia essentia & ejus attributum non involvunt oppositas relationes, heic obtinet *realis distinctio analogica* (§. 447.). Removendæ itaque heic sunt omnes realis distinctionis species, prius explicatæ. Neque est *quod quis dicat essentiam constituere conceptum rei primum, attributa secundos, & proinde differre ut prius & posterius, consequenter realiter*. Nam quia posita essentia entis, attributa ponuntur (§. 343.),

343.), eique constanter insunt (§. 344.), impossibile est ut ullo temporis articulo concipiatur essentia absque suis attributis, quæ itaque tempore non sunt posteriora sua essentia. Neque hanc ob causam dicuntur conceptus secundi entis, sed quod per essentiam, ceu, conceptum suum primum, determinentur (§. 341.), h. e. pro modo nostro concipiendi, ex illa fluant, seu, in illa inveniant rationem sui sufficientem (§. 340.). Neque proinde magis proficies, *si putas ideo dari reale discrimen inter attributa & essentiam entis, quia omnia attributa realitates sunt* (§. 345.). Nam aliud est realitatem esse, aliud realiter ab ente distinctum esse: prius opponitur negationi & privationi (§. 280. 281.), posterius etiam alteri enti reali, ut patet ex antecedentibus.

Sed dicis tandem *nullius utilitatis esse hanc tantopere urgere doctrinam, quæ potius inter Scholasticorum otiosas subtilitates sit referenda*. Caveas, precor ne cum rerum ignaris proscribas omne, quod tradidêre olim Scholastici, qui plura, etiam a recentioribus neglecta, maximi nonnunquam momenti judicia nobis reliquere, quæ distincte expressa & evoluta multum adjumenti præstant veritati, uti decet, dignoscendæ & investigandæ. Est præsens materia, etsi ex scholæ Doctoribus hausta, maximæ sane utilitatis: Si enim tam esset verum, quam est falsum reale dari discrimen inter essentiam entis & ejus attributa, quid quæso futurum putas, dum hæc doctrina ad Deum, qui ens est (§. 242.), adplicatur? nonne posita realis distinctio inter essentiam & attributa realem Deo adfingeret compositionem, simplicissimæ Ejus inimicam naturæ?

turæ? Ita sine dubio. Vides itaque summæ necessitatis esse, quod de vero & genuino distinctionis modo inter essentiam & attributa entis statuitur.

§. 454.

Essentiæ & attributorum realis identitas. *Attributa entis re ipsa identificantur cum essentia ejus.* Illa enim re ipsa *identificari* dicuntur, quæ sunt reipsa unum idemque, seu, quorum unum re ipsa est alterum. Quam ob rem, quum realiter distincta sint, quorum unum non est alterum (§. 435.), & non-realiter distincta opponantur realiter distinctis (§. 424.), perspicuum evadit eorum, quæ realiter non distingvuntur, unum re ipsa esse alterum (§, 426.), proindeque re ipsa identificari. Demonstratum autem modo est attributa entis ab essentia ejus realiter non distingvi (§. 453.). Re ergo ipsa, cum essentia entis identificantur ejus attributa.

Alii hanc propositionem ita exprimere solent: *attributa implicant ipsam essentiam.* Ubi statim, & quidem recte observant id non fieri νοηματικῶς, seu, conceptibiliter, sed πραγματικῶς, seu, realiter. Formaliter enim & inter se & ab essentia differunt attributa (§. 453.), hoc ergo modo illam hæc implicare nequeunt. Sensu hinc materiali & Physico, uti loqui amant, *nihil invenitur in Deo, quod non est ipse Deus.* Seu, ut Scholastici dicere solent, essentia Divina identificat sibi omnia, quæ sunt in Divinis. Hoc modo

modo coincidit Justitia Dei cum Ejus Misericordia, distinctione tamen rationis per conceptus suos se mutuo excludunt. Sensu itaque hoc identico & reali perinde est in qua perfectione Dei essentiam Ejus collocemus, sive in infinitate, sive in spiritualitate infinita, sive aseitate, sive intellectione, sive in eo quod sit Ens Necessarium, continens in se rationem sufficientem existentiæ hujus mundi, sive in alia Dei perfectione; singulæ enim eandem simplicissimam exprimunt essentiam; sensu autem formali, h. e. pro nostro concipiendi modo, non est perinde in qua Dei perfectione ejus essentiam constituamus. Agendum enim heic est præmeditate, ut intentum finem eo melius & plenius obtineamus, Theologiam Naturalem demonstrative exhibituri.

Objectio solvitur. Sed ais: *Pugnat hæc asserta realis atttributorum & essentiæ entis identitas cum theoria attributorum, prius explicata, qua asseruimus duplicis generis esse attributa, propria scilicet & communia* (§. 347.). *Illa quidem, quia quolibet eorum posito, ponitur integra rei essentia* (§. 351.), *&, sublato tollitur* (§. 352.), *cum essentia identificari videntur; non tamen hæc, quorum quolibet posito, non ponitur integra rei essentia* (§. 356.), *essentiam implicare possunt.* Speciosum videtur hoc dubium, quod tamen nos non turbabit: Etenim primum scias in hac & præcedenti §:pho nos præcipue intelligere attributa entis in genere, h. e. Metaphysici, cujus omnia & singula attributa sunt propria (§. 361.), quæ cum essentia identificari concedis. Deinde cogites nos non

ex-

exclusa voluisse hujus vel illius entis attributa communia, sed inclusa potius: Nam ex universali, quâ in antecedenti §:pho usi sumus, demonstratione claret nullum attributum, sive proprium, sive commune fuerit, ab essentia sui entis realiter differre, & proinde, vi demonstrationis in præsenti §:pho, reipsa cum essentia identificari: nam facilis, sine dubio, concedis attributum commune identificari cum illo essentiali, vel, illis rei essentialibus, ex quibus pro nostro concipiendi modo determinatur (§. 356). sed quatenus unum rei essentiale separari nequit ab altero, salva manente rei essentia, eatenus simul largiri debes unum essentiale cum altero identificari, seu, constituere unam eandemque rem, & per consequens attributum commune quoque identificari cum essentia rei.

§. 455.

Non ignotum est unam eandemque unius entis virtutem, seu, facultatem, contrarias haud raro edere operationes, h. e. ejusmodi, quas efficere aliis, eadem virtute non præditis, omnino impossibile sit; quo minus vel res ipsæ agentes, vel etiam vires earum, quibus egerint, reali simul subsistent distinctionis generi. Oritur hinc *Distinctio virtualis*, in eo consistens, quod notiones unius ejusdemque facultatis, seu, virtutis, quæ in uno eodemque est ente, formatæ in relatione ad diversos, quos edit, vel edere potest, effectus, non possunt sibi invicem, salvis omnibus, substitui. *Distinctio virtualis.*

I Hu-

Hujus distinctionis exemplum præbet vis solis expansiva, calefactrix, indurativa, & liquefactrix, nam una eademque est vis solis, quæ expandit, calefacit, indurat & liquefacit, licet pro diversitate reali, quæ inter hos intercedit effectus, diversas sortiatur notiones. Pari modo idem Dei verbum & eadem Ejus efficacia, dum odorem mortis & vitæ gignit 2 Cor. II: 16. duplicis hujus respectus distinctionem virtualem fundat. In Deo *Justitia vindicativa*, qua nocentes ob delicta punit; & *Remunerativa*, qua facta creaturarum rationalium legi, a Se latæ, congrua, ex singulari gratia & benignitate, largiter compensat; ob hos diversos effectus, quorum intuitu formatæ sunt hæ notiones, nonnisi virtualiter differunt, qvum, quoad Deum una eademque simplicissima sit virtus, qua pro diversitate objectorum, vel punit, vel gratiam largitur. Neque absimili ratione inter se secernuntur reliqua Dei attributa ἐνεργητικὰ, seu, operativa, uti sunt, omniscientia, scientia media, Visionis, præscientia, benignitas, omnipotentia, omnipræsentia, cetera: Horum enim attributorum discrimen ex objectorum & effectuum, quæ edunt, diversitate depromitur. Attributa autem Dei ἀνενέργητα, seu, quiescentia, cujusmodi sunt: aseitas, immutabilitas, æternitas, simplicitas, cetera, formali solum distinctione a se removeri putaverim, quamvis non negem certo sensu de operativis quoque attributis formale valere discrimen.

Usus Theologicus.

Evoluta & explicata distinctionis virtualis notione, paucis quoque videndum, quousque alii,

præsertim ex Veterum schola, nostris consentiant cogitatis. Primus nobis occurrit *Hurtadus de Mendoza*, qui Disp. Metaph. VI. Sect. III. §. 26. 27. Distinctionem virtualem expositurus, duplex ejus constituit genus, *unum in ordine* ad effectus, aut prædicata extrinseca; *alterum in ordine* ad se seu prædicata intrinseca. *Prius genus* esse ait, *quo res præstat effectus plurium, & in una virtute continet effectus plurium virtutum.* Et hac præcipue de causa distinctionem virtualem dictam esse putat, Deo & creaturis communem. *Posterius genus* altius & nobilius esse prædicat, quod in solo Deo, nec, ut ille ipse, Mendoza scil. præ se fert, ultra tremendum S. S. Trinitatis mysterium reperitur. Ejusque rationem, consentientibus aliis, in hoc collocatam esse docet, *quod Ipse Deus in se habeat prædicata contradictoria, sub uno conceptu, ac sub alio, ita ut in se & in ordine ad suum intrinsecum esse, ita se Deus gerat, ac si esset compositus ex duobus entibus realiter distinctis.* Et hoc modo tres Divinitatis personas distingvi, quatenus illis oppositæ conveniunt relationes, Paternitas, Filiatio, Processus. Sed præterquam quod altius hoc & nobilius virtualis distinctionis genus ad realem distinctionem analogice sic dictam (§. 447.) pertineat, est etiam, ut recte monet cum *Musæo* in Metaph. cap. XXXIV. §. 63. *Hebenstreitius* in Phil. Prim. p. 926. rationi, sibi relictæ, ignotum & impervium, a Christianis Philosophis, sive Scholasticis doctoribus ad ductum Christianæ fidei, qua in unitate essentiæ Divinæ, tres personas profitemur, majoris lucis ergo traditum, tantum ergo, cetera, quan-

 tum

tum ipsum Trinitatis Dogma, mysterium esse longe maximum. Hoc itaque nobis, distinctiones, ad quas ratio, sibi relicta, pertingit, evolvere studentibus in censum distinctionum venire nequit. Potius ergo retinemus prius illud, quod Mendozæ adprobatur, distinctionis virtualis genus, a nostro de eadem distinctione enunciato non nisi qua verba diversum, cetera ex asse idem. Hinc etiam nostræ convenienter assertioni dicit *Musæus* l. c. in not. ad §. 61. p. 701. *Distinctionem virtualem esse, qua id, quod alias, secundum se simplex, adeoque re unum est idem, plures & diversissimæ naturæ effectus præstat, non secus ac si potentias, realiter distinctas complecteretur.* Musæo iisdem fere verbis adstipulatur *Scharffius* in Metaph. Exempl. L. II. Cap. XVI. Neque dissentiunt *Donatus* in Metaph. Usuali Cap. XV. §. 46. *Thummius* in comp. Metaph. p. 258. pluresque alii. Ut clarum adeo fit a nobis non immutatum esse termini usum, semel receptum.

§. 456.

Distinctio virtualis continetur sub distinctione rationis.

Per modum corollarii statim intelligimus *Distinctionem virtualem sub distinctione rationis comprehendi.* Locum enim habet distinctio rationis, quando notiones, de eodem ente formatæ, sibi mutuo salvis omnibus substitui nequeunt (§. 448.) Sed Distinctio virtualis est, qua notiones de eadem unius entis facultate, in relatione ad diversos effectus, formatæ, sibi mutuo, salvis omnibus

sub-

substitui nequeunt (§. 455.). Hæc ergo distinctio sub illa recte continetur.

Non tamen vicissim volumus omnem distinctionem rationis esse virtualem, modo enim evicimus (§. 453.) essentiam entis nonnisi formaliter differre ab ejus attributis, & per consequens, non nisi distinctione rationis (§. 451.). Quivis vero sua sponte facilis largitur essentiam ab attributis non differre, tanquam diversi effectus unius ejusdemque facultatis. Non ergo omnis distinctio rationis, statim est virtualis, sed hæc sub illa, tanquam species sub suo genere continetur.

§. 457.

Scholion generale. Præter enumeratas, & explicatas distinctionis rationis species, quidam huc etiam referre solent *Distinctionem modalem*, non prout illam (§. 444.) explicuimus, sed ut Donatus illam tradit (vid. not. ad §. cit.), quo sensu, qvum sub nostra formali contineatur (§. 453.), non debuimus illam, tanquam novam, distinctionis rationis speciem assumere. Huic cum *Canzio* in Ontol. Polem. §. 59. adjungere pariter solent *Distinctionem suppositalem*, quæ impedit quominus notiones de essentia & ejus suppositalitatibus inseparabilibus, commutari queant. Quo modo dicunt personalitates Dei ab Ejus essentia distingvi. Quia vero nemo aliquam personalitatum in Deo agnoscere potest pluralitatem, nisi qui

 simul

simul sciat tremendum Trinitatis mysterium, adparet hanc distinctionem suppositalem æque esse mysterii plenam, æque arduam, æque rationi, sibi relictæ imperviam, ac est ipsum hoc mysterium. Hanc ergo distinctionem, ne quid omisisse videamur, tantum nominare, pluribus autem explicare noluimus, intra Philosophiæ limites nostra coarctantes cogitata.

CAPUT III.

DE

QUALITATE ET QUANTITATE.

§. 458.

Ratio instituti. Etsi doctrina de qualitate & quantitate Veterum Categoriis, quas in Logicis tradere, & ad entia tantum finita restringere solent, comprehendatur; non tamen potuimus non recentiorum heic legere vestigia, qui Veterum Categorias, ad justum universalitatis gradum evectas, ob universalem earum usum, in Metaphysicis explicant. Mox patebit ex ipso Metaphysices objecto, quod ens esse probavimus (§. 10.), pendere de qualitate & quantitate doctrinam, illamque idcirco in Metaphysicis jure meritoque exponi debere. Taceo quantis tenebris multa Metaphysices dogmata, hac hac non præmissa theoria, involverentur: Ne-

mo enim non intelligit doctrinam de simili & dissimili, simplici & composito, toto & parte, mensura & mensurato, aliisque ejusmodi Metaphysices capitibus, sine qualitatis & quantitatis notitia digne explicari & tractari haud posse.

§. 459.

Omnis determinatio rei intrinseca, quae sine alio intelligi potest adsumto, *Qualitas* dicitur. *Quantitas* autem est determinatio rei intrinseca, quae tantum dari, sed sine alio adsumto intelligi nequit. *Dari* vero *tantum posse* dicitur, cujus notionem habere nequis, nisi ubi idem actu praesens intuearis, notionem adeo absentis excitare non potes, nisi id retuleris ad aliud homogeneum praesens, sive datum. *Qualitas & quantitas definiuntur.*

Recte hoc modo definit Illustr. *Wolfius* in Ontol. §.§. 452. 453, qualitatem & quantitatem. Certum enim est utramque involvere determinationem rei, non extrinsecam sed intrinsecam, hoc tamen discrimine, quod in qualitate intelligatur illa determinatio sine alio quodam assumto, in quantitate autem intelligi nequeat, nisi adsumatur aliud, ex quo illam determinate cognoscendi ratio pendet. Hinc qualitatis notio ita, teste experientia, animo infigitur, ut licet confusa fuerit, solis tamen verbis, vel termino, notionem confusam designante, reproduci & excitari possit. Ex. gr. coloris rubri notionem etsi nonnisi confusam habeas, si tamen artifici dixeris, globum te desiderare rubrum, mox sine alio quodam dato, ad quod globum desideratum

referat artis peritus, intelliget qualem desideres, eoque etiam quæstioni, ab artifice institutæ, *quali colore tinctus desideretur globus?* satisfit. Ast quantitatis opposita est ratio. Nam si artifici dixeris, te cupere globum, quantitate præditum, ejus te irrisioni merito exponės, Quis enim nescit globo aliquam tribuendam esse magnitudinem, sed quantam ex indeterminatis tuis verbis non dum intelligit artis gnarus. Quamprimum vero quantitatis globi rationem ad datam exprimis quantitatem, statim, quantæ eum velis magnitudinis, capit artifex. Quod si ergo verborum beneficio quantitatis notionem, alteri explicabilem, formare velis; quantitatem datam, illi homogeneam, pro unitate adsumas & illius ad hanc exprimas rationem.

P. *Bertius* in Log. Perip. L. I. Cap. VII. *Stratemannus* in Syſtem. Log. *Itterus* in synopſ. Log. *Saurius* in syntagm. Log. aliique plures ipſum *Aristotelem* L. Categ. Cap. VIII. secuti, definiunt terminum abſtractum per concretum, *qualitatem* scilicet *per id secundum quid quale dicitur*. Sed hæc definitio, explicans idem per idem, contra regulas peccat Logicales, quæ docent terminum concretum non ingredi debere definitionem abſtracti, nisi separata exhibeatur definitione: At heic vel plane non explicant quid sit *quale*, vel si illud explicare conantur, id multo majori involvunt confusioni, quam habet notio ejus confusa vulgaris. Ut adeo cum Dom. *Sanchiez* in log. Arist. comment. de Prædic. Q. 55. & *Bechmanno* in Log. Aristot. L. I. cap. VIII. hanc definitionem merito

rito rejiciendam esse judicemus. Nec majori præstantia se commendant definitiones qualitatis & quantitatis, a Thomistis vel in relatione ad consecutivum formæ & materiæ, vel unice ex consideratione entitatis accidentalis efformatæ; In his enim, nec justam deprehendes universalitatem, nec desideratam verborum & notionum partialium claritatem. Wolfianæ ergo, quas adduximus, nobis placent qualitatis & quantitatis notiones, nullo, quod Logica proscribit, laborantes vitio.

§. 460.

Inter qualitatem & quantitatem excluditur medium.

Quoniam determinatio entis intrinseca aut talis est, ut sine alio assumto intelligi possit, aut talis non est (§. 63.), sequitur *omnem determinationem entis intrinsecam aut qualitatem esse, aut quantitatem* (§. 459.), seu, inter qualitatem & quantitatem non dari mediam quandam determinationem intrinsecam.

Ex. gr. Ubi considero hominem, quatenus existit, determinatam habet corporis staturam, magnitudinem, determinatos virium animæ & corporis gradus, quæ omnes & singulæ determinationes eam habent indolem, ut non possint sine alio assumto intelligi. Quantitatum itaque in numero sunt, non qualitatum. Habet insuper homo animam rationalem, corpusque organicum, hujusque certam partium coordinationem, illiusque certas facultates, utriusque vero determinatam harmoniam; quæ singulæ ho-

minis determinationes fine alio, menfuræ loco affumto, intelliguntur, & qualitatum proinde non autem quantitatum claffi accenfentur.

§. 461.

Limites qualitatum & quantitatum.

Per immediatam hinc elicitur confequentiam *omnem determinationem entis intrinfecam, a quantitate diverfam, effe qualitatem* & viciffim: *omnem determinationem intrinfecam, a qualitate diverfam, effe quantitatem.*

Limites, intra quos qualitates & quantitates continentur, hinc haud difficulter agnofcere poteris, modo præfenti teneas animo, quod antea (§. 459.) adduximus, inter qualitates & quantitates, difcrimen.

§. 462.

Qualitatum extenfio.

Determinationum intrinfecarum numero continentur effentialia, attributa, & accidentia (§. 417.). Sunt vero qualitates determinationes rei internæ (§. 459.). *Omnes ergo determinationes internæ five effentialium, five attributorum, five accidentium nomine veniant, modo fine alio affumto intelligantur, qualitatum comprehenduntur numero.* (§. cit.)

Ex. gr. in anima humana, confcientia fui & rerum externarum, qua effentia ejus abfolvitur, eft qualitas, facultates intelligendi, ratiocinandi, attendendi, volendi, libere agendi, ad attributa pertinent, & qualitatum etjam continen-

tur

tur calculo. Habitus vero ratiocinandi & disputandi, eruditio, aliaque ejusmodi animæ accidentia, qualitatum etiam titulo insigniuntur.

§. 463.

Qualitates itaque in *Essentiales & Accidentales* recte dispescimus, quarum *illæ* versantur circa determinationes essentiales & attributa, quæ sine alio assumto intelliguntur; *hæ* determinationibus continentur accidentalibus, sine alio assumto intelligibilibus. *Qualitates essentiales & accidentales.*

Data heic opera sub qualitatibus essentialibus comprehendo attributa, quia hæc ab illis separari nequeunt (§. 344.), neque ab eis realiter differunt (§. 453.), sed re potius ipsa cum eisdem identificantur (§. 454.). Longe vero aliam habent accidentia indolem, illa namque inconstanter enti insunt (§. 366.), & reale ab essentia entis admittunt discrimen (§. 443.). Accidentia ergo non possunt non separatam ab essentiali constituere qualitatis classem.

Ceterum discrimen qualitatum in essentiales & accidentales illustrat & confirmat quoque usus loquendi communis. Nam ad quæstionem; *quale quid sit?* respondemus & per essentialia & per accidentia, modo sine alio assumto intelligantur. Ita, quærenti; *mens qualis est?* respondemus; *est cogitans.* Sciscitanti; *qualis est hic vir?* responsum dare solemus, *est eruditus*, Eruditio autem est accidens, quod sine alio assumto intelligere licet. Neque ab hoc vulgari loquendi more penitus deflectunt, quos superior tu-

lit

litætas, Philosophi. Docet namque *Stratemannus* in system. Log. p. 313. qualitatem haud raro latissime sumi, *pro omni eo, quo res aliqua determinatur, qua ratione non tantum accidentia* (scil. prædicamentalia, quæ, ut parte altera demonstrabitur, sub se comprehendunt & attributa & accidentia prædicabilia), *sed etjam substantiæ qualitatum nomine veniunt*. Eandem qualitatis latitudinem cum aliis concedit quoque *Saurius* in syntagm. Log. L. I. S. 2. Cap. II. p. 150. Hinc est quod *Chauvinus* in Lex. Phil. doceat qualitatem non raro vocari vel Essentialem, vel accidentalem, ad illam referens rationem, determinantem ipsam rei essentiam, huic vero adtribuens rationem, determinantem aliquod extra essentiam.

§. 464.

Qualitatum separabilitas ab ente, vel inseparabilitas.

Essentiam cum attributis constanter & inseparabiliter rebus inesse palam faciunt prius ostensa (§. 329. 341.), accidentia vero inconstanter & separabiliter rebus competunt (§. 366.). *Qualitates ergo essentiales constantes sunt, & a rebus ipsis separari nequeunt, accidentales vero inconstantem & a rebus ipsis separabilem possident indolem* (§. 463.).

Ex. gr. Facultas intelligendi, quæ animæ humanæ essentialis est qualitas, constanter eidem inest animæ, nec ab illa unquam separari potest. Eruditio autem, quæ accidentalis animæ est qualitas, more accidentium, inconstanter inest,

po-

poteſtque & adeſſe et abeſſe ſine animæ interitu.

§. 465.

Quoniam qualitas accidentalis conſtituitur determinationibus accidentalibus (§. 463.); in tot illa recte diſpeſcitur claſſes, quot ſunt accidentium, ſine alio aſſumto intelligibilium. Alia ergo accidentalis qualitas eſt *Perpetua*, quæ accidentibus perpetuis conſtat; alia *Temporaria*, quæ accidentibus abſolvitur temporariis (§. 383.); alia eſt *Propria*, quæ accidentibus propriis; alia eſt *Communis*, quæ communibus conſtituitur accidentibus (§. 384.), ubique ſine alio aſſumto intelligibilibus. *Qualitatum accidentalium ſpecies.*

Hoc modo gravitas, quæ omni corpori perpetuo ſed accidentaliter competit, eſt qualitas corporis accidentalis perpetua. Calor autem corporis eſt qualitas ejus temporaria. Ars muſicam exercendi in homine eſt ejus accidens proprium, efficitque qualitatem hominis propriam. E contra habitus demonſtrandi eſt accidens hominis commune, qualitatis communis nomine inſigniendum.

§. 466.

Dari attributa entis, in certas diviſi claſſes, & propria & communia, palam fecêre prius oſtenſa (§. 347.), illa ex omnibus rei eſſentialibus, hæc nonniſi ex uno vel aliquot *Diviſio eſſentialium in propria & communia.*

eo-

eorum determinantur (§. cit.); illa pluribus diversæ essentiæ rebus competere nequeunt (§. 409.), hæc competere possunt (§. 411.). Quam ob causam, quia attributa entis realiter ab essentia ejus non differunt (§. 453.), sed, re ipsa, cum eadem identificantur (§ 454.), liquet *dari*, quem ad modum attributa, *sic essentialia & propria & communia entium, in certas divisorum classes*, quorum illa pluribus non conveniunt entibus separatarum classium, hæc autem pluribus ejusmodi competunt entibus.

Idem etiam ex identitate & diversitate essentiali (§. 418. 423.) colligitur, posita enim essentialium identitate, & simul separata entium classe, quia identitas vel omnimoda est, vel respectiva (§. 391.), ponenda est vel omnium essentialium convenientia, vel quorundam tantum, ceteris manentibus diversis (§. 392.) Quæ eadem sunt separatis classibus essentialia, non possunt non esse etiam illis communia, siquidem illud, communi loquendi more, *commune* nuncupatur quod pluribus competit. Quæ autem diversa sunt essentialia separatis classibus, h. e. uni classi competunt & non simul alteri, non possunt non cuilibet classi propria esse, qvum illud vulgari sermonis usu proprium vocetur, quod pluribus non competit, sed uni & determinato enti, sive singulari, sive universali. Ut adeo abundo constet argumento nos recte dispescere essentialia in propria & communia.

Hoc modo essentiale, quod animantibus brutis & ho-

homini est commune, corpore organico absolvitur, anima autem rationalis est essentiale hominis proprium, brutis haud competens. Suo docebitur loco differentiam specificam, qua species inter se distant, semper absolvi essentialibus propriis; genericam autem notionem, quæ simul quamlibet ingreditur speciem, essentialia speciei communia constituere.

§. 467.

Qualitatum essentialium discrimen. Qualitates essentiales, quæ determinationibus essentialibus, sine alio assumto intelligibilibus, absolvantur (§. 463.), rectissime hinc dispescimus in *Proprias* & *Communes* (§. 466.) quarum illæ essentialia propria, hæc communia, quæ sine alio intelligi possunt assumto, complectuntur.

§. 468.

Numerus qualitatum. Quod igitur numerum qualitatum concernit, palam faciunt modo evicta, pro qualibet re tot constitui debere ejus qualitates, quot habet essentialia & attributa, quot etiam accidentia, sine alio assumto intelligibilia. Quodlibet enim rei essentiale, & quodlibet attributum, immo quodlibet accidens, quod sine alio assumto intelligi potest, qualitatis venit nomine (§. 462.).

Certus ergo sum quaternarium, ab Aristotelicis defensitatum, qualitatum numerum, ut adæquatum, adprobari haud posse. Scilicet non plures nec pauciores volunt esse qualitatum species,

cies, quam quatuor. 1:o) *Habitum & dispositionem.* 2:) *Potentiam naturalem et impotentiam.* 3:o) *Passionem & patibilem qualitatem.* 4:o) *Formam & figuram.* Ubi observant binas voces, quæ pro qualibet specie heic conjunguntur, non significare qualitates essentialiter, sed duntaxat accidentaliter, vel gradualiter, differentes, &, quia gradus non mutat speciem, non esse nisi quatuor species. Sed hanc suam sententiam nullo condigno probant, neque probare possunt argumento, immo *Aristoteles*, quem, tanquam Deum, fallere nescium, & erroris expertem venerantur, haud obscure indicat ipse se dubitare de quaternario hoc numero, a se posito: Ita enim L. Categ. cap. VIII. *Fortassis multo plures dantur qualitatum species, sed hæ sunt, quæ maxime fere in usu versantur.* Cæca scholasticorum turba arbitratur Aristotelem hæc verba modestiæ non dubitationis causa protulisse. Quidam tamen eorum hunc qualitatum numerum non adeo sanctum putarunt, quin sibi liceret aliquid in eo immutare. Sic *Marsilius Ficinus* quintam speciem qualitatis, scilicet *determinantem*, seu, *qualificantem* addere voluit; alii sextam, qualitatem nempe essentialem proferunt. *Picolomineus* *habitum* ad relationem, *potentiam naturalem* ad substantiam referre & redigere allaborat. Sed linquamus hanc controversiam, ut nullius utilitatis, suo tamen loco expositurі, quod in hoc quaternario numero ad Metaphysicam pertineat.

§. 469.

Qualitates Primitivæ Ens suo conceptu comprehendere prædicata, & quæ ab alio prio-

ri

ri in eodem ente non determinantur, & quæ ex his, tanquam prioribus determinantur, suo demonstravimus loco (§. 319.). Hoc fundamento nititur distinctio inter qualitates *Primitivas* & *Derivativas*. *Illæ* sunt, quibus aliæ priores in ente concipi nequeunt, unde ratio reddi possit, cur eidem insint, seu, unde determinentur: *Hæ* sunt, quarum reddi potest ratio ex qualitatibus aliis, quæ simul insunt, cur ipsæmet vel actu insint, vel inesse possint. Has iterum dispescere licet in *Necessarias* & *Contingentes*. Illarum ratio sufficiens in primitivis, cur actu insint, continetur. Hæ vero sunt, quæ in primitivis tantummodo rationem habent, cur inesse possint, sive proximam, sive remotam. — *& Derivativæ.*

Tradit hoc qualitatum discrimen Illustris *Wolfius* §. 460. Ontol. Lat. quod retinendum esse judicavi, non modo, quia fundamentum habere illud deprehenditur in interna rerum natura, sed quia multum quoque eis inservit, qui, in scriptis Wolfianis recte intelligendis, laudandam collocant operam.

§. 470.

Qualitates, quas vocavimus essentiales, sub se comprehendunt qualitates primitivas & derivativas necessarias. Qualitates autem derivativæ contingentes absolvuntur adpellatione qualitatum accidentalium. Quali- — *Ad quas pertinent qualitatum classes, antea explicatas.*

tates enim essentiales sub se continent essentialia & attributa rei (§. 463.): illa, quia prædicatis absolvuntur, quæ ab alio priori non determinantur (§. 320.), constituunt qualitates primitivas (§. 469.); Hæc, siquidem in essentialibus, cur enti insint, rationem habent sufficientem (§. 340.), derivativas necessarias efficiunt qualitates (§. 469.). Essentiales itaque qualitates sub se comprehendunt qualitates primitivas, & derivativas necessarias.

Contingentes autem, quæ dicuntur qualitates derivativæ, quia solum, qua inexistendi possibilitatem, a primitivis (§. 469.), i. e. essentialibus (per dem.) dependent, accidentium classi adnumerandæ sunt (§. 364.), & proinde cum qualitatibus accidentalibus coincidunt (§. 463.).

Quod ergo ad illustrandas qualitates essentiales & accidentales adduximus (§. 463.), inservit quoque distinctioni qualitatum, mox traditæ (§. 469.), ut adeo plura heic addere frustraneum judicemus.

§. 471.

Nota quid? *Nota* est quodvis prædicatum, seu quævis rei determinatio, sive intrinseca, sive extrinseca, qua una res ab altera distinguitur.

Nihil magis in vita communi est usitatum, quam rem unam ab altera, vel extrinsecis vel intrinsecis, discernere, quorum quodlibet notam, Suethice *Tecken*, *Märke*, adpellare solemus. Illa

la namque a ſe mutuo diſtinguimus, quæ per diverſos nobis exhibentur conceptus (§. 431); ubi itaque circa ſingularia verſamur entia & finita, conceptum eorum ingreditur omnimoda determinatio, tum ex intrinſecis tum ex extrinſecis haurienda (conf. 217.). Diſtinguuntur ergo hæc entia non intrinſecis ſolum, ſed extrinſecis etiam determinationibus. Hinc loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum diverſitas nobis præbet notam diſtinguendi unum ab altero, ubi vel ad interna non adtendimus, vel eorum nullam deprehendere licet diverſitatem. Hinc quoque in Arithmeticis notas numerorum vocamus externa illorum ſigna, in ſenſus incurrentia, quibus illa a ſe mutuo ſecernere ſolemus, quorſum pertinent literæ Alphabeti apud Hebræos, Græcos, Latinos, apud Arabes vero hæc jam uſitata ſigna: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 0. quæ tamen, ut quilibet, vel non adinonitus, intelligit, ipſam numerorum non ingrediuntur naturam, ſed externe tantum afficiunt & denotant. Eodem plane modo notæ in Muſicis ipſos non ingrediuntur tonos, ſed externe tantum ſignificant. Et quid multis? hominem ab homine non internis modo determinationibus, ſed & externis, veſtimentis, natalium loco, tempore, aliisque ejusmodi diſtinguere ſolemus. Minus ergo judicamus neceſſarium rei manifeſtæ plura addere ſpecimina.

§. 472.

Nota rei *Characteriſtica*, ſeu, *Nota* rei *Character*, eſt quævis ejus interna determinatio, unde agnoſcitur & ab alia dignoſcitur.

Nota characteriſtica quid?

Græcum vocabulum χαρακτὴρ a perf. paff. verbi χαράσσειν, vel χαράττειν, *fculpere*, *imprimere*, defcendens, vi vocis fignificat notam impresfam, vel infculptam, aut infcriptam. Dicitur hinc proprie de notis literarum, feu literis, æneæ vel ceratæ tabulæ infcriptis. Per metaphoram vero denotat quamlibet rei internam determinationem, qua agnofcitur & ab alia diftinguitur. Aliter quidem fumitur hoc vocabulum ab Apoftolo Paulo Hebr. I. 3. ubi Filius Dei dicitur χαρακτὴρ ὑποστάσεως τῦ πατρὸς, aliter, inquam, pro imagine, ab alio expreffa, ut exacte cum eo conveniat, quia eft Filius fubftantialis Patris imago, cum Pater in ipfo fe effigiarit, totam fuam effentiam & majeftatem Ei communicando, qua a Patre & Spiritu Sancto non diftinguitur; certum tamen, per confequens, eft, vocem χαρακτὴρ hoc etiam loco, quo folo in Novo T. occurrit, denotare prædicata Divinitatis, quæ omnia Deo funt interna, quibus etiam agnofcitur, & ab omni ente finito fufficientiffime diftinguitur. Putamus itaque in genuino fuo fenfu explicatam effe notam rei characterifticam, quam, ut ideam anguftiorem a latiori, diftinguimus a nota in genere (§. 471.), quamvis rei determinationam five externam, five internam, fub fe comprehendente. Hoc modo notam characterifticam, qua homo a brutis diftinguitur, non collocamus in loci, temporis, aliarumqve ejusmodi circumftantiarum diverfitate externa, fed in rationalitate, aliisque internis determinationibus diverfis, five fine alio asfumto intelligi poffint, five minus. Jufto itaque angu-

angustior mihi videtur notæ characteristicæ notio, quam tradit *Schubertus* in Instit. Metaph. §. 190. existimans illam adpellari *id, per quod res in se spectata, in præcisione a collatione cum alia re, ab aliis discernitur.* Nam secundum hanc definitionem sequeretur, e notarum characteristicarum numero exterminandas esse determinationes internas, quæ sine alio assumto intelligi non possunt, quæ tamen, teste experientia, facta rerum collatione, inserviunt discrimini earum evolvendo, quod data mox opera pluribus declarabo.

§. 473.

Notarum characteristicarum diversitas. Determinatio rei intrinseca notam ejus constituit characteristicam (§. 472.); sunt vero internæ rei determinationes vel essentiales, vel accidentales (§. 417.). Utræque ergo notarum characteristicarum veniunt nomine, & quæ idcirco sunt vel essentiales, vel accidentales.

Sic essentialis character hominis est rationalitas, qua ab animantibus brutis dignoscitur; eruditio autem accidentalis est, qua a rudi & indocto secernitur.

§. 474.

Notarum characteristicarum latitudo. Eodem liquet modo *notam characteristicam esse vel qualitatem, vel quantitatem.* Determinationes enim rei internæ sunt vel qualitates, vel quantitates (§. 460.); Notæ autem characteristicæ determinationibus rei internis continen-

 tur

tur (§. 472.). Illæ ergo sunt vel quantitates, vel qualitates.

Qualitates notas esse rei characteristicas, seu rerum discrimini eruendo & stabiliendo inservire, omnes, quantum constat, ultro largiuntur, nec minus hoc certum esse de quantitate experientia demonstrat obvia. Quis enim ignorat, nos diversa corporis magnitudine distinguere parvum Davidem a magno Goliatho; hominem puerum ab eodem adulto; equum parvum a magno, ejusdem alioquin formæ & coloris; globum ligneum exiguum, ab alio majori ejusdem materiæ; & sic in sexcentis aliis? nihil sane magis in communi vita est frequens, nihil magis usitatum. Neque est, ut cum *Schuberto* desideres notam characteristicam debere considerari in præcisione a collatione cum alia re: nam dicas mihi, precor, anne destinas notas hasce rebus, a se mutuo distinguendis? ita sine dubio. Nam hoc totidem affirmas verbis. Dicas itaque mihi, quæso, ulterius, quomodo unam rem ab altera distinguas? an sine ulla collatione mutua rerum? minime: Impossibile enim est unam rem ab altera distinguere, nisi utriusque habeas ideam, menti præsentem. Sed regeris *te intelligere collationem cum tertia re, tanquam mensura*. Sit hoc, licet non sequatur ex tuis verbis in allata definitione notæ characteristicæ; non tamen necesse est, quando res quantæ distinguendæ sensibus offeruntur externis, ut aliam adhibeas mensuram, quam quantum unum in relatione ad alterum. Et ubi eædem res quantæ sensibus tuis non sistuntur præsentes, non tamen ignoras alteram esse altera majorem, tum ite-

iterum, solum ex idea majoris & minoris, quam habes tibi perspectam, colligere vales alteram ab altera esse discretam. v. gr. si tibi dico duos mihi esse equos rubros, alterum tamen majorem & altiorem altero; nonne tunc statim judicabis illos a se mutuo esse distinctos? nonne etiam oblata occasione poteris duos istos equos a se mutuo dignoscere? Ita sine dubio. Sed tandem urges, *quamlibet notam characteristicam debere in se, sine alio assumto, habere intelligibilitatem, quia alias nec differentia alteri explicari, nec ens obvium a nobis agnosci poterit, nisi detur illud extrinsecum, sine quo intelligi nequit. Et quum quantitas hanc habeat naturam, sequitur illam non esse notam characteristicam.* Verum fateor, quantitatem in se & sine alio extrinseco assumto intelligi haud posse, inde tamen sequi nequit, illam non esse notam rei characteristicam, nisi ex tua hac nova notæ characteristicæ explicatione, quam non adprobo, argumentare volueris. Non enim nego, posita hac tua explicatione, quantitatem esse e numero notarum characteristicarum eliminandam, nego tamen id sequi, admissa, quam nos adprobavimus, definitione, usui recepto maxime accommodata.

§. 475

Quando notæ characteristicæ sunt constantes, quando inconstantes?

Qualitates essentiales constantes sunt, & ab ente, cui competunt, inseparabiles; accidentales autem inconstantes & separabiles (§. 46+.). Sed sub notarum characteristicarum numero continentur qualitates (§. 474.). Hæ ergo, si essen-

 tiales

tiales sunt, constantes; si vero accidentales, inconstantes exhibent notas characteristicas.

Tum in definitionibus condendis, tum etiam in judiciis accurate instituendis & a se mutuo disterminandis, maximæ est utilitatis nosse discrimen inter constantes & inconstantes notas rei characteristicas, quod, saltim generaliter consideratum, neminem fugere potest, modo non ignoret qua inter se distent ratione essentialia & accidentia.

§. 476.

Ratio quantitatum est qualitas. *Ratio, quam habent quantitates, in eodem ente obviæ, in qualitatum numerum est referenda.* Ratio, quam sensu heic mathematico sumimus, est mutua inter duas quantitates homogeneas relatio, qua adtendimus quoties una alteram continet, vel una in altera continetur. Illam itaque sine tertio homogeneo assumto intelligimus. Est vero hæc ratio, quia, per hypothesin, datur inter quantitates, in eodem ente obvias, determinatio quædam hujus entis interna (§. 201.), & quidem, per mox dicta, sine alio assumto intelligibilis. Qualitas ergo recte nuncupatur (§. 459.).

Sic quærenti quale sit triangulum? recte respondemus, vel æquilaterum, vel æquicrurum, vel scalenum, h. e. quod vel omnia ejus latera sint in ratione æqualitatis inter se, vel bina in ratione æqualitatis, tertium in ratione inæqualitatis, vel omnia tria in ratione inæqualitatis. Ut

adeo

adeo certum sit, nos etiam communi usu numerare rationem quantitatum inter qualitates. Nec quicquam heic occurrit difficultatis, modo non confundantur quantitates ipsæ cum earum ratione; illæ non possunt sine alio assumto intelligi, hæc vero sine ullo extraneo intelligi potest. Nam si ex. gr. dico A est ad B in ratione dupla, tripla, vel quadrupla, determinata quantitate ipsius A vel B, statim etiam quantitas ipsius B vel A ex mutua, quæ illas intercedit, relatione, sine tertio, ut patet, intelligibili assumto, determinatur. Ipsæ vero quantitates ipsorum A & B, seorsim spectatæ, non possunt sine tertio assumto intelligi, quum & majores & minores esse queant, salva manente eadem ratione. Sic si dico A esse ad B in ratione dupla, potest A esse 2. & tunc B est 1, si A est 4. B est 2. A.6. B. 3. A 8. B. 4. &c. est enim ubique eadem ratio dupla 2 : 1 ═ 4 : 2 ═ 6 : 3 ═ 8 : 4. Intelligis ergo quantitates ipsas esse mutabiles, salva manente eadem ratione, hanc ergo cum illis non esse confundendam.

§. 477.

Declarata, quantum satis videtur, qualitatum natura in genere, ad quantitatem plenius evolvendam nos conferimus, primum observantes *quantitatem esse vel essentialem vel accidentalem. Illa* continetur determinationibus essentialibus & attributis rei, quæ sine tertio assumto intelligi nequeunt; *Hæc* determinationibus absolvitur accidentalibus, quas sine extraneo

Quantitas essentialis & accidentalis.

trapeo quodam assumto intelligere haud licet. Omnis enim determinatio rei interna vel ad essentialia, vel ad attributa, vel ad accidentia pertinet (§. 417.); Omnis autem quantitas est determinatio rei interna (§. 459.); Quantitas ergo vel circa essentialia & attributa, vel circa accidentia rei versatur. Memoratum idcirco discrimen admittit quantitatis consideratio.

Objectiones solvuntur. Sed objicis: *Recte quidem statuitur determinationem entis internam vel in essentialibus & attributis, vel in accidentibus esse numerandam; quatenus tamen non omnis determinatio interna, sed illa solum, quæ sine alio assumto non est intelligibilis, quantitatis venit nomine* (§. 459.), *& nondum est ostensum dari determinationem essentialem, sine alio assumto non intelligibilem; eatenus nondum tuto colligitur quantitatem dari essentialem.* Ostendit vero adserti nostri veritatem principium exclusi medii, quo recte affirmamus determinationem rei essentialem, vel in se sine alio assumto gaudere intelligibilitate, vel non. Neutrum aliquid involvit contradictorii (§. 43.), utrumque igitur est possibile (§. 124.) Regeris: *Essentia enti constanter competit* (§. 329.) *& immutabiliter, quantitas vero omnis capax est & augmenti & decrementi, nulla ergo datur essentialis. Sic globus major & minor constitui potest salva manente ejus essentia.* Sed distinguas inter quantitatem *in abstracto consideratam*, quatenus nulli inesse concipitur enti, sed ipsa ut ens aliquod merum quantum exhibetur; & inter eandem in *concreto spectatam*, quatenus certo inest enti, ut ejus determinatio intrinseca, vel essentialis, vel

acci-

accidentalis. Priori ſenſu omnis quantitas, prout eam concipiunt Mathematici in Matheſi pura, augeri poteſt & minui. Poſteriori autem conſiderata ſenſu augeri nequit & minui, niſi fuerit accidentalis. Sic numerus laterum, quæ aliquam includent figuram, in abſtracto ſi ſpectatur, poteſt & major & minor ſtatui; ubi vero conſideratur ut triangulo eſſentialis, ternario neque major, neque minor eſſe poteſt. Sic impoſſibile quoque eſt, ut concipias globum non quantum, poſſibile tamen eſt, ut eum vel majorem, vel minorem in ſingulari, i. e. accidentaliter concipias. Quid de extenſione corporis judicas? eſtne corpori eſſentialis? ſine dubio. Sed quid eſt extenſio? involvitne partium multitudinem? Ita. At facile concedis multitudinem plurium eſſe quantitatem, ſimul ergo largiri debes extenſionem eſſe quantitatem, & quidem eſſentialem. Vides ergo dari quantitates eſſentiales, neque magis implicat quantitatem hanc vel illam in ſingulari dicere incrementi & decrementi capacem, & tamen conſideratam, ut huic enti eſſentialiter competentem, eſſe eſſentialem; quam contendere extenſionem poſſe augeri & minui, & tamen eſſe corpori eſſentialem. Tandem ſcias omnia entia finita, quibus unice competit quantitas, ut ſuo demonſtrabitur loco, non ſolum quà accidentia ſua, ſed etiam quà eſſentiam, quam poſſident, eſſe limitata, habere ergo determinatum & finitum prædicatorum eſſentialium numerum, fixum eorum gradum, quem tranſcendere non poſſunt. Hoc perpendens acutiſſimus Erh. *Veigelius* in ſua Phil. Mathem. ſect. 1. Def. 8. p. 32. dicit quantita-

titatem esse determinatam rationem entium finitorum.

§. 478.

Quantitas quando vel constans, vel inconstans. Essentiam & attributa constanter & inseparabiliter (§. 329. 344.), accidentia vero inconstanter & separabiliter (§. 366.) rebus competere, evincunt prius demonstrata. *Quantitates ergo essentiales constanter & immutabiliter, accidentales vero inconstanter & mutabiliter rebus competunt* (§. 477.).

Ad quantitates essentiales pertinent limitationes originariæ, quæ per essentiam rebus insunt finitis. Huc etiam referri debet extensio corporis, quia sine illa nullum est, nec esse potest corpus. Eodem modo certus & definitus gradus intelligendi in homine, quem per essentiam suam transcendere nequit, quantitas est essentialis, ipsique homini constanter competit, & inseparabiliter. Ubi autem eadem facultas ad habitum continuo exercitio deducitur, tunc diversi, quos in illo observare licet, gradus quantitatum accidentalium classi adnumerantur, quatenus ipse habitus inconstans est & separabilis. Eidem accensetur classi hæc vel illa corporis cujusdam magnitudo, quæ nunc major, nunc minor esse potest, salva manente corporis specifica natura.

§. 479.

Ratio quantitatum, *Ratio, quam habent quantitates essentiales in eodem ente obviæ,* *in*

in qualitatum essentialium numerum est referenda: Quam autem habent quantitates accidentales, in eodem ente quæ dantur, in qualitatum accidentalium veniunt computum. Est enim ratio, quam habent quantitates in eodem ente obviæ, qualitas (§. 476.). Si vero ratio ista datur inter quantitates essentiales, constanter & immutabiliter; sin autem inter quantitates accidentales locum habet, inconstanter & separabiliter enti competit (§. 478.). Est ergo illo casu qualitas essentialis, in hoc vero accidentalis (§. 464.).

quando est qualitas.

Notum est, quod in parte altera copiosius ostendetur, essentiam extensi ingredi partes extensas, quare quæ inter illas est ratio, qualitatis essentialis nomine recte venit. Hoc modo ratio æqualitatis, quæ inter tria latera in triangulo æquilatero datur, est eidem triangulo qualitas essentialis. Idem etiam ex Mechanicis illustrari potest. Sit aliqua machina composita, v. gr. horologium, ex pluribus rotis, aliisque partibus quantis essentialiter constans, sit quoque, quum variæ horologiorum dentur species, certa eorum species atque determinata. Jam vero ex Mechanicis novimus, ad omnem machinam, diversis constantem partibus, requiri certam atque determinatam partium rationem; alias enim, quod absurdum, ex quacunque ratione partium eadem construi posset machina. ex. gr. sint partes machinæ A, B, C. &c. ratione partium non observata, eadem specie componi qui-

ret machina, sive esset A ad B, ut unum ad duo, sive ut duo ad unum, sive ut unum ad tria, & B ad C ut unum ad quatuor, sive quatuor ad unum, sive 5 ad 8 &c. quod nemo non absurdum intelligit. Postulatur itaque ad certam & determinatam machinæ vel horologiorum speciem, certa atque determinata rotarum omnium & partium ratio, qua mutata, speciem non solum horologii mutari necesse est, sed & interdum, prout ratio variat, ex horologio non horologium evadere. Evidens itaque certam atque determinatam rationem partium, rotarumque inter se, certæ atque determinatæ machinæ qualitatem essentialem & quidem propriam (§ 467.) constituere. Ubi vero horologium movetur ponderibus, quæ ex funibus suspenduntur, tunc, quia longitudo funium major vel minor, æqualis vel inæqualis, est respectu horologii accidens, ratio, quam habent inter se longitudines funium, quibus diversa suspenduntur pondera, sive æqualitatis, sive inæqualitatis, est qualitas horologii accidentalis.

§. 480.

Qualitates eædem & diversæ. *Qualitates eædem* dicuntur, quæ eadem communi exhibentur notione. *Diversæ* autem, quæ una communi notione exhiberi nequeunt.

Eadem enim in genere diximus, quæ prædicatis sibi mutuo conveniunt (§. 389.), diversa autem, quæ prædicatorum involvunt disconvenientiam (§. 390.). Quam ob rem, quia ex Logicis constat, illa inter se prædicatis convenire, quæ una communi exhibentur notione, illa autem prædica-

dicatis differre, quæ una communi tradi nequeunt notione; manifestum evadit recte explicatas esse qualitates easdem & diversas. Et profecto si ad notionum vel identitatem vel diversitatem non adtenderemus, dijudicaturi an qualitates sint eædem, vel diversæ, impossibile plane foret ullum heic fixum ferre judicium, quod omne notionum, vel convenientiæ, vel disconvenientiæ innititur. Sic facultas intelligendi in angelo & in homine eadem est qualitas, quatenus una communi notione in utroque subjecto exhibetur, per potentiam scilicet distincte sibi res repræsentandi. Eadem ratione habitus demonstrandi, qui *Euclidi*, & ille, qui *Archimedi* competit, eadem est qualitas, cui eadem communis respondet notio. Voluntas vero et intellectus in homine sunt diversæ qualitates, quia eis diversæ conveniunt notiones.

§. 481.

Discriminis qualitatum earundem natura.

Internum qualitatum earundem discrimen, quod quidem in illis cadere potest, salva illa identitate, quantitas est. Cuilibet enti sua competit essentia (§. 329.), & quidem una, non multiplex (§. 333.), quæ non nisi una eademque exprimenda est, ut Logica docet, notione, seu definitione. Et quia vicissim definitione non exibenda sunt, nisi rei omnia essentialia, vel quæ loco essentialium esse possunt; liquet qualitates easdem, quatenus eadem communi definitione exhibentur (§. 480.)

præ-

tiales sunt, constantes; si vero accidentales, inconstantes exhibent notas characteristicas.

Tum in definitionibus condendis, tum etiam in judiciis accurate instituendis & a se mutuo disterminandis, maximæ est utilitatis nosse discrimen inter constantes & inconstantes notas rei characteristicas, quod, saltim generaliter consideratum, neminem fugere potest, modo non ignoret qua inter se distent ratione essentialia & accidentia.

§. 476.

Ratio quantitatum est qualitas. *Ratio, quam habent quantitates, in eodem ente obviæ, in qualitatum numerum est referenda.* Ratio, quam sensu heic mathematico sumimus, est mutua inter duas quantitates homogeneas relatio, qua adtendimus quoties una alteram continet, vel una in altera continetur. Illam itaque sine tertio homogeneo assumto intelligimus. Est vero hæc ratio, quia, per hypothesin, datur inter quantitates, in eodem ente obvias, determinatio quædam hujus entis interna (§. 201.), & quidem, per mox dicta, sine alio assumto intelligibilis. Qualitas ergo recte nuncupatur (§. 459.).

Sic quærenti quale sit triangulum? recte respondemus, vel æquilaterum, vel æquicrurum, vel scalenum, h. e. quod vel omnia ejus latera sint in ratione æqualitatis inter se, vel bina in ratione æqualitatis, tertium in ratione inæqualitatis, vel omnia tria in ratione inæqualitatis. Ut

adeo

adeo certum sit, nos etiam communi usu numerare rationem quantitatum inter qualitates. Nec quicquam heic occurrit difficultatis, modo non confundantur quantitates ipsæ cum earum ratione; illæ non possunt sine alio assumto intelligi, hæc vero sine ullo extraneo intelligi potest. Nam si ex. gr. dico A est ad B in ratione dupla, tripla, vel quadrupla, determinata quantitate ipsius A vel B, statim etiam quantitas ipsius B vel A ex mutua, quæ illas intercedit, relatione, sine tertio, ut patet, intelligibili assumto, determinatur. Ipsæ vero quantitates ipsorum A & B, seorsim spectatæ, non possuut sine tertio assumto intelligi, quum & majores & minores esse queant, salva manente eadem ratione. Sic si dico A esse ad B in ratione dupla, potest A esse 2. & tunc B est 1, si A est 4. B est 2. A 6. B. 3. A 8. B. 4. &c. est enim ubique eadem ratio dupla 2 : 1 = 4 : 2 = 6 : 3 = 8 : 4. Intelligis ergo quantitates ipsas esse mutabiles, salva manente eadem ratione, hanc ergo cum illis non esse confundendam.

§. 477.

Quantitas essentialis & accidentalis.

Declarata, quantum satis videtur, qualitatum natura in genere, ad quantitatem plenius evolvendam nos conferimus, primum observantes *quantitatem esse vel essentialem vel accidentalem. Illa* continetur determinationibus essentialibus & attributis rei, quæ sine tertio assumto intelligi nequeunt; *Hæc* determinationibus absolvitur accidentalibus, quas sine ex-

trapeo quodam assumto intelligere haud licet. Omnis enim determinatio rei interna vel ad essentialia, vel ad attributa, vel ad accidentia pertinet (§. 417.); Omnis autem quantitas est determinatio rei interna (§. 459.); Quantitas ergo vel circa essentialia & attributa, vel circa accidentia rei versatur. Memoratum idcirco discrimen admittit quantitatis consideratio.

Objectiones solvuntur. Sed objicis: *Recte quidem statuitur determinationem entis internam vel in essentialibus & attributis, vel in accidentibus esse numerandam; quatenus tamen non omnis determinatio interna, sed illa solum, quæ sine alio assumto non est intelligibilis, quantitatis venit nomine* (§. 459.), *& nondum est ostensum dari determinationem essentialem, sine alio assumto non intelligibilem; eatenus nondum tuto colligitur quantitatem dari essentialem.* Ostendit vero asserti nostri veritatem principium exclusi medii, quo recte affirmamus determinationem rei essentialem, vel in se sine alio assumto gaudere intelligibilitate, vel non. Neutrum aliquid involvit contradictorii (§. 43.), utrumque igitur est possibile (§. 124.) Regeris: *Essentia enti constanter competit* (§. 329.) *& immutabiliter, quantitas vero omnis capax est & augmenti & decrementi, nulla ergo datur essentialis. Sic globus major & minor constitui potest salva manente ejus essentia.* Sed distinguas inter quantitatem *in abstracto consideratam*, quatenus nulli inesse concipitur enti, sed ipsa ut ens aliquod merum quantum exhibetur; & inter eandem in *concreto spectatam*, quatenus certo inest enti, ut ejus determinatio intrinseca, vel essentialis, vel

acci-

accidentalis. Priori sensu omnis quantitas, prout eam concipiunt Mathematici in Mathesi pura, augeri potest & minui. Posteriori autem considerata sensu augeri nequit & minui, nisi fuerit accidentalis. Sic numerus laterum, quæ aliquam includunt figuram, in abstracto si spectatur, potest & major & minor statui; ubi vero consideratur ut triangulo essentialis, ternario neque major, neque minor esse potest. Sic impossibile quoque est, ut concipias globum non quantum, possibile tamen est, ut eum vel majorem, vel minorem in singulari, i. e. accidentaliter concipias. Quid de extensione corporis judicas? estne corpori essentialis? sine dubio. Sed quid est extensio? involvitne partium multitudinem? Ita. At facile concedis multitudinem plurium esse quantitatem, simul ergo largiri debes extensionem esse quantitatem, & quidem essentialem. Vides ergo dari quantitates essentiales, neque magis implicat quantitatem hanc vel illam in singulari dicere incrementi & decrementi capacem, & tamen consideratam, ut huic enti essentialiter competentem, esse essentialem; quam contendere extensionem posse augeri & minui, & tamen esse corpori essentialem. Tandem scias omnia entia finita, quibus unice competit quantitas, ut suo demonstrabitur loco, non solum quà accidentia sua, sed etiam quà essentiam, quam possident, esse limitata, habere ergo determinatum & finitum prædicatorum essentialium numerum, fixum eorum gradum, quem transcendere non possunt. Hoc perpendens acutissimus Erh. *Veigelius* in sua Phil. Mathem. sect. 1. Def. 8. p. 32. dicit quanti-

titatem esse determinatam rationem entium finitorum.

§. 478.

Quantitas quando vel constans, vel inconstans. Essentiam & attributa constanter & inseparabiliter (§. 329. 344.), accidentia vero inconstanter & separabiliter (§. 366.) rebus competere, evincunt prius demonstrata. *Quantitates ergo essentiales constanter & immutabiliter, accidentales vero inconstanter & mutabiliter rebus competunt* (§. 477.).

Ad quantitates essentiales pertinent limitationes originariæ, quæ per essentiam rebus insunt finitis. Huc etiam referri debet extensio corporis, quia sine illa nullum est, nec esse potest corpus. Eodem modo certus & definitus gradus intelligendi in homine, quem per essentiam suam transcendere nequit, quantitas est essentialis, ipsique homini constanter competit, & inseparabiliter. Ubi autem eadem facultas ad habitum continuo exercitio deducitur, tunc diversi, quos in illo observare licet, gradus quantitatum accidentalium classi adnumerantur, quatenus ipse habitus inconstans est & separabilis. Eidem accensetur classi hæc vel illa corporis cujusdam magnitudo, quæ nunc major, nunc minor esse potest, salva manente corporis specifica natura.

§. 479.

Ratio quantitatum, *Ratio, quam habent quantitates essentiales in eodem ente obviæ,* *in*

in qualitatum essentialium numerum est referenda: Quam autem habent quantitates accidentales, in eodem ente quæ dantur, in qualitatum accidentalium veniunt computum. *quando est qualitas.* Est enim ratio, quam habent quantitates in eodem ente obviæ, qualitas (§. 476.). Si vero ratio ista datur inter quantitates essentiales, constanter & immutabiliter; sin autem inter quantitates accidentales locum habet, inconstanter & separabiliter enti competit (§. 478.). Est ergo illo casu qualitas essentialis, in hoc vero accidentalis (§. 464.).

Notum est, quod in parte altera copiosius ostendetur, essentiam extensi ingredi partes extensas, quare quæ inter illas est ratio, qualitatis essentialis nomine recte venit. Hoc modo ratio æqualitatis, quæ inter tria latera in triangulo æquilatero datur, est eidem triangulo qualitas essentialis. Idem etiam ex Mechanicis illustrari potest. Sit aliqua machina composita, v. gr. horologium, ex pluribus rotis, aliisque partibus quantis essentialiter constans, sit quoque, quum variæ horologiorum dentur species, certa eorum species atque determinata. Jam vero ex Mechanicis novimus, ad omnem machinam, diversis constantem partibus, requiri certam atque determinatam partium rationem: alias enim, quod absurdum, ex quacunque ratione partium eadem construi posset machina. ex. gr. sint partes machinæ A, B, C. &c. ratione partium non observata, eadem specie componi qui-

ret machina, sive esset A ad B, ut unum ad duo, sive ut duo ad unum, sive ut unum ad tria, & B ad C ut unum ad quatuor, sive quatuor ad unum, sive 5 ad 8 &c. quod nemo non absurdum intelligit. Postulatur itaque ad certam & determinatam machinæ vel horologiorum speciem, certa atque determinata rotarum omnium & partium ratio, qua mutata, speciem non solum horologii mutari necesse est, sed & interdum, prout ratio variat, ex horologio non horologium evadere. Evidens itaque certam atque determinatam rationem partium, rotarumque inter se, certæ atque determinatæ machinæ qualitatem essentialem & quidem propriam (§ 467.) constituere. Ubi vero horologium movetur ponderibus, quæ ex funibus suspenduntur, tunc, quia longitudo funium major vel minor, æqualis vel inæqualis, est respectu horologii accidens, ratio, quam habent inter se longitudines funium, quibus diversa suspenduntur pondera, sive æqualitatis, sive inæqualitatis, est qualitas horologii accidentalis.

§. 480.

Qualitates eædem & diversæ. *Qualitates eædem* dicuntur, quæ eadem communi exhibentur notione. *Diversæ* autem, quæ una communi notione exhiberi nequeunt.

Eadem enim in genere diximus, quæ prædicatis sibi mutuo conveniunt (§. 389.), diversa autem, quæ prædicatorum involvunt disconvenientiam (§. 390.). Quam ob rem, quia ex Logicis constat, illa inter se prædicatis convenire, quæ una communi exhibentur notione, illa autem prædica-

dicatis differre, quæ una communi tradi nequeunt notione; manifestum evadit recte explicatas esse qualitates easdem & diversas. Et profecto si ad notionum vel identitatem vel diversitatem non adtenderemus, dijudicaturi an qualitates sint eædem, vel diversæ, impossibile plane foret ullum heic fixum ferre judicium, quod omne notionum, vel convenientiæ, vel disconvenientiæ innititur. Sic facultas intelligendi in angelo & in homine eadem est qualitas, quatenus una communi notione in utroque subjecto exhibetur, per potentiam scilicet distincte sibi res repræsentandi. Eadem ratione habitus demonstrandi, qui *Euclidi*, & ille, qui *Archimedi* competit, eadem est qualitas, cui eadem communis respondet notio. Voluntas vero et intellectus in homine sunt diversæ qualitates, quia eis diversæ conveniunt notiones.

§. 481.

Discriminis qualitatum earundem natura.

Internum qualitatum earundem discrimen, quod quidem in illis cadere potest, salva illa identitate, quantitas est. Cuilibet enti sua competit essentia (§. 329.), & quidem una, non multiplex (§. 333.), quæ non nisi una eademque exprimenda est, ut Logica docet, notione, seu definitione. Et quia vicissim definitione non exibenda sunt, nisi rei omnia essentialia, vel quæ loco essentialium esse possunt; liquet qualitates easdem, quatenus eadem communi definitione exhibentur (§.480.) præ-

præcisis subjectis, quibus insunt, tanquam entia eadem, qualitatibus inter se convenientia (§. 384.), considerari posse. Sed quicquid ens interne determinat, seu, quicquid enti inest (§. 201.), vel qualitas est, vel quantitas (§. 460.). Entia ergo ista nullo alio interno discrimine inter se distare possunt quam quantitate, quæ, quum qualitas non sit (§. 461.), salva, quæ supponitur, qualitatum identitate, in illa cadere potest, diversa. Perspicuum itaque hinc evadit, quod demonstrandum erat, internum qualitatum earundem discrimen, quod quidem in illas cadere potest, salva illa identitate, quantitatem esse.

Ex. gr. Calor æstatis & hyemis eadem est qualitas, quatenus ei, ut novimus, una communis respondet notio; æstivum tamen ab hyemali distinguere solemus, certa utriusque quantitate, quam notissimo instrumento, quod Thermometrum vocamus, determinare solemus. Nec alia desunt exempla, quibus præsens illustratur thesis. Ponamus, quod experientia duce ponere omnino licet, Graccum & Sempronium, ejusdem ætatis & institutionis juvenes, omni, qua possunt, adhibita attentione, certam suo intellectu conari eruere propositionem theoreticam, v. gr. Prop. XVI. El. XIII. Ponamus etiam Graccum 15 minutis primis eandem intelligere propositionem, quam post 30 demum minuta suo intellectu capit Sempronius, licet & ille & hic omnem dictis temporibus continuaverit attentionem; recte colligimus facultatem

in-

intelligendi in Gracco esse duplo majorem eadem in Sempronio, seu illam se ad hanc habere ut duo ad unum, seu, esse in ratione temporum inversa, utramque ergo admittere aliquam definitam, qua una ab altera discrepet, quantitatem, quæ tamen communem harum qualitatum naturam non immutat.

§. 482.

Termini vel Limitis definitio. Per *Terminum* vel *Limitem* id intelligimus, quod alicujus rei est extremum, seu, ubi id, quod hactenus ponebatur, cessat & desinit, vel incipit quod antea non erat: Vel etiam cum Illustr. *Wolfio* in Ontol. Lat. §. 468. *Limes* est id, ultra quod nihil in re concipere licet, ad eandem pertinens.

Sic Linea A — B, quæ ut extensio longa ponitur, quà longitudinem incipit & desinit in punctis A & B, ultraque nihil concipere licet, ut ad hanc lineam pertinens; nam quoad latitudinem est ipsa sibi terminus, seu, quod idem est, quoad latitudinem nullos habet terminos, quum in illa hoc respectu nihil concipere licet diversi, quamdiu non Physice sed tantum Geometrice spectatur. Eodem modo facultas nostra intelligendi terminos possidet, habet enim, experientiam testor, in quo incipiat & in quo desinat, & ultra quod nihil, ut ad illam pertinens, concipere licet.

§. 483.

Limes qualitatis & Quicquid in re concipitur, ut ad illam pertinens, internæ deter-

quantitatis. minationis venit nomine (§. 201.), quæ cum ſit vel quantitas vel qualitas (§. 460.), perſpicuum evadit limites verſari vel circa qualitatem, vel circa quantitatem (§. 482.), & in utraque defectum involvevere alicujus ulterioris (§. cit.).

Illuſtrationis gratia pertinent huc, quæ modo adduximus exempla ad §. præced.

§. 484.

Limes eſt quantitas. Involvit limes defectum ulterioris, vel in qualitate, vel in quantitate (§. 483.), quæ utraque determinatio intrinſeca eſt (§. 459.). Limes ergo, utrique competens, in determinationum intrinſecarum computum venit rei, cui tribuitur. Quivis vero ſua perſpicit ſponte, defectum ulterioris cujusdam non intelligi poſſe, niſi eundem præſentem actu intueamur, abſentem vero ad aliud quid homogeneum datum referamus. Eſt itaque *Omnis Limes quantitas* (§. 459.).

Ne quid huic deſit aſſertioni perſpicuitatis, animum ad exempla advertas, ubivis obvia. Nam ſi quis tibi dicat hanc vel illam lineam involvere defectum ulterioris, videlicet, in longum extenſionis, facilis video te illum, ita loquentem, intelligere non poſſe, niſi aliud ille menſuræ loco aſſumat, unde determinate ſcire poteris lineæ datæ in extenſione lineari defectum, qui itaque aliud quam certam denotare nequit quantitatem. Simili modo, quando quis dicit tibi intellectum Græci aliquem involvere ulterioris

rioris defectum, eum profecto non intelliges, nisi coram tibi demonstret aliquod exemplum, in quo & incepit & desiit Gracci intelligendi vis, vel etiam hanc referas ad aliam similem in Sempronio qualitatem, cujus determinatam, quam habet, quantitatem, animo perspectam tenes. Ut adeo manifestum fiat, te hunc ulterioris defectum quantitatis instar merito considerare. Idem illustrant alia sexcenta, quæ prostant, exempla, sed ulteriori explicatione non indiget defectus, quem loquimur, ulterior.

§. 485.

Limes qualitatis *Gradus* dicitur, seu, limites qualitatum earundem *Graduum* veniunt titulo. *Definitio Gradus.*

Gradus, quam dedimus, notionem genuinam esse exempla loquuntur perplurima. Calorem esse corporum qualitatem novimus, cujus limites, Thermometro determinatos, communissima adpellatione gradus vocare solemus, haud raro dicentes alium esse gradum caloris hodie, quam heri, hoc anno, quam præterito, hac anni tempestate, quam alia. Eodem modo celeritati, quæ qualitas est corporis moti, certos tribuimus limites, quos gradus adpellant Physici. Facultates intelligendi, ratiocinandi, attendendi qualitates esse nemo ignorat, quibus tamen in certis subjectis certos tribuimus limites, graduum nomine denotatos: Quo enim quis diutius ad eandem rem attendere valet, h. e. quo longius attentionis limites, quoad tempus, ex-

tendere potest; quo pluribus rebus vel simul vel successive attentionem tribuere valet; quo denique minori labore hæc peragere potest, eo majorem attentionis gradum eum possidere censemus, in casibus autem oppositis eo minorem. Ubivis itaque gradus involvit limitem qualitatis, ubivis ergo conspicitur, quam allegavimus, gradus notio. Competunt etiam extensis & magnitudinibus sui limites, quos tamen nemo vocat gradus, sed figuras, ut nemo in Geometria vel parum versatus ignorat, & a nobis parte altera apertius commonstrabitur.

Recepto igitur usu communi admodum firma est gradus, quam exhibuimus, notio, ut vix credam veteribus illam ignotam fuisse Philosophis, licet eam & sibi & aliis distincte exhibere non potuerint. Inter omnes vero, quos mihi perlustrare contigit, distinctius hanc rem persequitur *Nicol. Hunnius*, Celebratissimus ante 126 annos, & quod excurrit, Wittenbergensium S. S. Theol. Doctor & Professor, in suis Canonibus Log. cap. II. p. 99. ubi ostensurus notissimum canonem: *magis & minus non variat speciem*, hæc habet verba: *Magis & minus idem est, quod remissio & intensio, ex qua subjectum vel magis vel minus tale adpellatur, & proprie qualitatum est, quæ NB. secundum Gradus intenduntur & remittuntur.* Secundum hunc ergo Philosophum, gradus est intensio, vel remissio qualitatum, h. e. quum omnis intensio & remissio, secundum receptum usum, indicent defectum ulterioris, liquet Hunnium nihil voluisse aliud dicere, quam gradum esse limitem qualitatis. Hunnio nobisque circa gradus explicationem optime conve-

nit *Dan. Stahlius* in Tab. Metaph. p. 25. explicaturus secundum mentem Aristotelis similia, dicit *illa esse, quorum una, sed eadem est qualitas, non tamen in eodem gradu, ut duo alba, quorum unum magis, alterum minus album.* Ad mentem ergo Stahlii gradus versabitur circa qualitates easdem, secundum magis & minus, h. est, ut *Jacobus Martini* in Exercit. Metaph. L. I. p. 442. eandem rem explicat, secundum quantitatis modum, &, per consequens, ut mox visuri sumus, secundum certam limitationem. *Fonseca* in L. VIII. Metaph. Cap. III. Q. I. in eo occupatus, an detur vera intensio & remissio formarum? per totum discursum haud obscure indicat, sibi animo obversatam fuisse eandem gradus notionem, quam nos statuimus, eam licet non nisi confuse introspexerit: Performas enim cum intelligere qualitates docent, quæ illustrationis gratia, adducit exempla, scientiæ, habitus, virtutis, caloris, ostendit quoque promiscua terminorum, formæ & qualitatis usurpatio. Hinc quod formam vocat in quæstione prima, qualitatem in secunda adpellat: Jam vero contendit Sect. I. Q. 1. p. 470. T. III. omnes concedere necessariam esse latitudinem aliquam internorum *graduum* perfectionis in iis formis, quæ intenduntur & remittuntur. Tribuit ergo qualitatibus, de quibus, secundum mentem ejus, prædicatur intensio & remissio, latitudinem aliquam perfectionis, vel, ut clarius se explicat Sect. III. p. 471. naturalem terminum perfectionis. Qualitatem autem eatenus intendi statuit Qu. II. sect. III. p. 476. quatenus subjectum novum aliquem ejus gra-

 dum

§. 487.

Hinc, quem ad modum antea in §. 477. observavimus quantitatem omnem in abstracto spectatam, vel majorem, vel minorem esse posse, ita gradus, sub eadem, abstracta scilicet, consideratione spectatus & major & minor esse potest (§. 486.), vel, ut alii loqui amant, *Intensior*, vel *Remissior*. Est enim gradus limes qualitatis (§. 485.), involvit itaque aliquem ulterioris in qualitate defectum (§. 482.). Ubicunque vero aliquod adesse potest ulterius, ibi id, ut totum in partes divisum, vel quasi divisum concipimus. *Intensior* ergo, vel *Major*, locum habet gradus, quando qualitatem in alias quasi partiales divisam concipimus, & harum jam plures adsunt, quam in alio gradu homogeneo, qui ideo, facta cum illo comparatione, *Remissior* est vel *Minor*. *Intensio & remissio graduum.*

Ita in opticis Lumini, quod qualitatem esse novimus, remissionem & intensitatem attribuimus, dicentes *intensius* esse lumen, quod majorem vis illuminatricis quantitatem habet; *Remissius* vero, quod minorem ejusdem vis possidet quantitatem. Hinc, ubi per regulas Logicales abstrahimus remissionis & intensionis graduum generales notiones, ad eas devenimus, quas modo proposuimus.

§. 488.

Quantitatem æque ac qualitatem esse vel essentialem vel acci- *Gradus essentialis &*

 den-

accidentalis. dentalem docuimus (§. 477. 463.); est vero gradus quantitas qualitatum earundem (§. 486.). Gradum ergo in Essentialem & Accidentalem recte dispescimus. *Ille* est quantitas essentialis qualitatum earundem essentialium, seu, est limes qualitatis essentialis (§. 485.); *hic* est quantitas accidentalis qualitatum earundem accidentalium, seu, est limes qualitatis accidentalis (§. 485.).

Sic gradus essentialis animæ est limitatio ejus originaria, quam per suam habet essentiam, & quam superare nequit, speciatim vero facultati intelligendi, quæ animæ est qualitas essentialis, gradum tribuimus essentialem, quatenus limites agnoscit, ultra quos in distinctis ideis formandis, evolvendis & resolvendis progredi nequit. Habitus vero, quos constanti eorundem actuum repetitione, acquirit anima, sunt qualitates ejus accidentales, incrementi & decrementi capaces, quarum ergo certi limites exhibent nobis exempla graduum accidentalium.

§. 489.

Affectiones gradus essentialis & accidentalis. Tum quantitates, tum qualitates essentiales rebus constanter & inseparabiliter competere demonstravimus (§. 478. 464.), accidentales vero inconstanter & separabiliter suis inesse subjectis (§.§. cit.). Nemo ergo non intelligit *Gradus essentiales non posse ab ente, cui conveniunt, eodem salvo, separari, sed constanter ei inesse; Gradus autem accidentales posse*

ab

ab ente, cui competunt, eodem salvo, separari, & inconstanti ei inesse ratione (§. 488.).

Hoc modo determinatus facultatis intelligendi gradus, qui animæ humanæ essentialiter competit, ab illa separari nequit, neque eundem ulla sua opera transcendere & immutare valet anima. Habitus vero v. gr. attendendi gradus, qui animæ accidentaliter convenit, experientia teste, variæ subjectus est mutationi, varium increscendi & decrescendi modum agnoscit, immo totus fere evanescere potest, remanente solum potentia.

Perbrevis hæc de gradu essentiali deductio non sane displicebit *Leibnitio* atque *Wolfio*, qui contendunt, & quidem, quantum assequor, non male, essentialiter differre simplicia entia gradibus repræsentationum, qui universam immutant, uti loquuntur, repræsentationem, h. e. qui dependent ex limitatione originaria cujuslibet entis simplicis, quam illud, salva manente specie, transcendere nequit. Nec in veteri Metaphysica infrequens est res, gradu differentes essentiali, in diversis collocare speciebus. Sic aquam & glaciem, quæ gradu consistentiæ discrepant, in diversis posuerunt veteres speciebus summis, corporum solidorum scilicet & fluidorum. Eodem modo aqua & aër, diversæ densitatis gradu differentes, in diversis collocantur fluidorum speciebus. De gradu vero accidentali, qui differentiæ specificæ contradistinguitur, & strictiori sensu gradus a multis vocari solet, valet veterum Philosophorum canon; *gradus non variant speciem*. Sed de hac re in sequentibus plura.

§. 490.

Scholion generale. Multa quidem adhuc restare videntur ad plenariam quantitatis theoriam, animo insinuandam, uti sunt discrimen inter quantitatem virtutis & molis, inter quantitatem discretam & continuam, aliaque his adnexa, quæ tamen singula commodius in sequentibus exponentur, ubi unius & continui exhibuimus ideas. Impræsentiarum vero nobis sufficiat generalem qualitatis & quantitatis tradidisse theoriam.

CAPUT. IV.
DE
SIMILI ET DISSIMILI, ÆQUALI ET INÆQUALI.

§. 491.

Similium & dissimilium definitio. Parata jam in antecedentibus via, ad similium & æqualium, eorumque oppositorum theoriam, brevi evolvendam deductione, & sequentium usui plurimum sane inservituram, nos accingimus. Quocirca omnium primo tuemur *Similitudinem* consistere in identitate qualitatum, *Dissimilitudinem* autem in qualitatum diversitate. Ut adeo *similia sint entia*, quæ easdem

asdem habent qualitates; *Dissimilia* vero, quæ diversis gaudent qualitatibus.

Hoc modo omnes inter se homines similes pronunciamus, quatenus easdem habent animæ rationalis & corporis organici qualitates essentiales, seu, quatenus in eo conveniunt, quod habeant animam rationalem corpusque organicum. Sic etiam nivi & cerussæ, quatenus ratione qualitatis, quæ albedo dicitur, inter se conveniunt, similitudinem adsignamus. Nivi autem & carbonibus, quatenus ratione coloris inter se discrepant, dissimilitudinem tribuimus.

Esse vero, quas dedimus, similium & dissimilium notiones Philosophis, etiam antiquissimis, usitatas, haud difficulter probabit in scriptis eorum vel parum versatus. *Euclides* enim El. VI. D. I. similes dicit figuras rectilineas, quæ & angulos singulos singulis æquales habent, atque etiam latera, quæ circum æquales angulos, proportionalia. Jam vero ex Prop. XXXIII. El. VI. perspicue intelligimus æquales esse angulos, qui eandem habent ad quatuor rectos, seu ad circumferentias circulares, ex vertice angulorum descriptas, rationem. Proportionalia autem esse latera, quæ in eadem sunt ratione. Quare, quum ratio, quam habent quantitates in eodem ente obviæ, in qualitatum numerum sit referenda (§. 476.), facile intelligimus Euclidem adplicasse generalem similium definitionem, qua illa per convenientiam qualitatum explicantur, ad similitudinem figurarum rectilinearum determinandam, seu, hanc similitudinis Euclideæ notionem non continere nisi illius, quæ generalis est, ad objecta specialia,

lia, figuras videlicet rectilineas, adplicationem, quam ergo dedimus, similium definitionem menti Euclidis ex asse convenire. *Aristoteles* L. V. Met. Cap. XV. ex suis categoriis discrimen inter eadem, similia & æqualia traditurus, *Eadem* adpellat, quorum una est substantia; *Similia*, quorum una est qualitas; *Æqualia*, quorum una est quantitas. Non tamen tam constans est hæc similitudinis definitio, a prædicamento accidentis desumta, quin etiam putet idem similitudinem ad substantias quoque extendi. Hinc L. X. Metaph. Cap. IV. ait *similia esse ταὐτὰ eadem* & L. II. de anima tit. 34. *unumquodque viventium aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, plantam vero plantam.* Hisce ergo aliisque ex Aristotele Locis in unam collectis summam, similia erunt, quæ easdem habent qualitates, sive essentiales, sive accidentales. In qua latitudine, menti Aristotelis conformi, an Scholastici & Aristotelici similitudinis sumant vocabulum, mox explicandi dabitur locus.

§. 492.

Similitudinis & dissimilitudinis intelligibilitas. Antea vidimus (§. 459.) qualitatem esse determinationem rei intrinsecam, quæ sine alio assumto intelligi potest. Absolvitur ergo similitudo identitate, & dissimilitudo diversitate determinationum intrinsecarum, quæ sine allo assumto intelligi possunt.

Definit hinc Illustr. *Wolfius* §. 195. Ontol. similitudinem per identitatem eorum, per quæ entia a se invicem discerni debebant: Entibus au-

autem, a se invicem discernendis, destinat intrinseca, quæ sine alio extra eadem assumto intelligi possunt. Wolfiana ergo similium definitio cum nostra ex asse coincidit, quod etiam ex reciprocatione, quam idem instituit Illustris Auctor §. 464. Ontol. inter identitatem qualitatum & similitudinem, abunde elucescit. Neque a nobis, vel quà verba, dissentit Illustris *Leibnitius*, P. II. Tent. Theod. §. 212. dicens similia esse, quæ secundum qualitates non differunt. Hoc ideo monendum judicavi, ne quis putet nos in controversia de principio indiscernibilium, mox instituenda, tribuere his viris in orbe erudito celebratissimis sensum similium, a mente eorum alienum.

§. 493.

Quantitas similitudinem non ingreditur. Quantitatem non esse qualitatem omnes ultro largiuntur, & palam faciunt prius ostensa (§. 461.), constituuntur vero similia qualitatum identitate (§. 491.). Identitas ergo vel diversitas quantitatis notionem similium non ingrediuntur, neque per hanc illæ determinantur (§. 194.). *Possunt itaque similia, salva sua similitudine, quantitate vel discrepare vel convenire.*

Sic nemo in Geometricis vel parum versatus ignorat, figuras circum æquales angulos, latera habentes proportionalia, h. e. figuras similes El. VI. D. I. quantitate vel differre vel convenire posse. Nam si secundum Prop. 2. El. VI. ducitur linea in triangulo, parallela ad unum ejus latus, oriuntur

untur duo triangula similia, quorum alterum pars alterius, adeoque quantitate inter se differunt, salva similitudine. Ubi vero secundum Prop. XVIII. El. VI. super data recta linea, æquali alteri rectæ, super qua descripta est figura rectilinea, delineatur alia figura rectilinea, illi similis & similiter posita, utraque figura rectilinea & similis & æqualis prodit. Plura, brevitatis ergo, sciens prætereo exempla. Nemo enim non intelligit similia posse & diversam & eandem possidere quantitatem.

§. 494.

Externæ determinationes similia non constituunt.

Absolvitur similitudo qualitatum identitate (§. 491.); sunt vero qualitates determinationes rei intrinsecæ, non autem extrinsecæ (§. 459). Hæ ergo similitudinem non ingrediuntur, seu, quod idem est, *possunt similia, salva sua similitudine, extrinsecis differre determinationibus.*

Quadrat huc exemplum, quod habet Illustr. *Wolfius* §. 27. Arithm. Ponamus duo horologia portatilia, inter se prorsus similia, eorum unum possideat Titius, alterum Cajus. Quod si Cajus in præsentia Titii horologium suum depromat, næ is attonitus sibi persuadebit, horologium suum esse, quod Cajus manu tenet, at diversum a suo agnoscet, ubi & suum depromit. Horologium ergo suum ab horologio Caji, salva, quæ inter illa est, similitudine, distinguit diversitate loci, qui in determinationum extrinsecarum

numerum venit. Eodem modo Petrum & Paulum homines, salva, quæ inter eos intercedit, similitudine, diversa, quam uterque habet, ad distinctos parentes relatione, a se mutuo secernimus.

§. 495.

Similium & dissimilium divisio in omnimodam et respectivam.

In similium, quem ad modum dissimilium definitione, duo consideranda veniunt, *identitas vel diversitas*, & *qualitas*, quæ pro varia determinatione duas efficiunt similium & dissimilium condivisiones. Et primum quidem, ratione identitatis vel diversitatis, quæ vel omnimodæ sunt vel respectivæ (§. 391. 393.), alia *Omnimode similia* sunt, quæ omnium omnino qualitatum, quæ eis conveniunt, possident identitatem; alia *Respective similia*, quæ quarundam, quæ eis competunt, qualitatum habent convenientiam, ceteris manentibus diversis. Pari ratione *omnimode Dissimilia* vocantur, quæ omnium omnino qualitatum, quæ eis conveniunt, tenent diversitatem. *Respective* autem *Dissimilia* adpellantur, quæ quarundam qualitatum, quæ eis competunt, tenent diversitatem, ceteris manentibus iisdem.

Non nisi terminos heic explico, distinctius jam evoluturus an & quousque eis sua conveniat realitas.

§. 496.

Omnimode dari

Duo entia omnimode dissimilia

Dissimilium repugnantia. *dari nequeunt.* Quoniam per hypothesin sunt duo entia, ideoque in eo conveniunt, quod existentia eis non repugnet (§. 226.), per consequens absoluta possibilitate (§. 228.), & ad existendum aptitudine (§. 141.), inter se differre nequeunt. Absoluta autem hæc possibilitas, unde dependet existendi aptitudo, omni inest enti (§. 228.), atque ideo est cujusvis entis interna determinatio (§. 201.), quæ sine extraneo assumto ex ipsis ideis partialibus, sibi mutuo non repugnantibus, intelligi potest (§. 135. conf. §. 106.). Est itaque illa absoluta possibilitas cujusvis entis communis qualitas (§. 459.). Sed quæ omnimode statuuntur dissimilia, nullam admittunt vel ullius qualitatis communitatem (§. 495.). Duo ergo entia omnimode dissimilia dari nequeunt.

Quod ad huic similem observatum legitur propositionem (§. 394.), heic quoque observet velim attentus lector, in avia ne abeat cordi habens.

§. 497.

Dissimilitudo non nisi respectiva datur. Omnimoda entium dissimilitudo infert omnium qualitatum diversitatem, respectiva autem tanti non est rigoris (§. 495.). Per notiones ergo suas sibi mutuo & contradictorie opponuntur (§. 43.) omnimode & respective dissimilia. Aut igitur illa, aut hæc locum habent

bent (§. 63.): Sed non illa (§. 496.); hæc ergo tantum, seu, *omnis, quæ inter entia locum invenit, dissimilitudo, est non nisi respectiva.*

Ejusmodi respectiva dissimilitudo inter hominem & animalia bruta datur: Differunt enim rationalitate, ceterisque, inde quæ pendent, qualitatibus, conveniunt vero corpore organico & reliquis, quæ inde dimanant, qualitatibus. Recte ergo Abrah. *Calovius* in Script. Phil. p. 60. *Deprehenditur quædam convenientia eorum, quæ sunt sub entitatis ratione, quatenus omnia, quæ sunt, a non esse discedunt & elongata sunt: ac rursus quædam dissimilitudo, quatenus creaturæ a se invicem, & a Deo creatore differunt.*

§. 498.

Dissimilium similitudo & similium dissimilitudo.

Quæcunque sunt respective dissimilia, illa alio respectu sunt similia, & vicissim, quæ respective sunt similia, illa alio respectu sunt dissimilia. Quæ enim sunt respective dissimilia quarundam qualitatum admittunt disconvenientiam, ceteris manentibus iisdem (§. 495.); sed qualitates, quæ manent eædem, ceteris disconvenientibus, respectivam efficiunt similitudinem (§. cit.). Quæcunque ergo respective sunt dissimilia, illa respectu qualitatum, quæ in illis sunt eædem, similitudine gaudent. Q. E. U. Quæ sunt respective similia, illa quarundam tenent qualitatum convenientiam, quarundam disconvenientiam (§.

 cit.)

cit.); quædam autem disconvenientes qualitates, ceteris convenientibus, respectivam inferunt dissimilitudinem (§. cit.). Quæcunque ergo respective sunt similia, illa respectu reliquarum, quas possident, qualitatum, dissimilia dici merentur Q. E. A.

Ubi animum ad has advertimus theses, & simul adtendimus ad immensum rerum, quæ in hac universitate existunt, dissimilium numerum; non possumus non veterum adsentiri Philosophorum regulis: *Omne simile est etiam dissimile*, item: *omne simile claudicat*; vel, *nullum simile currit quatuor pedibus*; quibus & hanc addere licet: *omne dissimile est quoque simile.* In his enim regulis non de omnimoda, sed respectiva rerum similitudine & dissimilitudine, ut quivis sua intelligit sponte, sermo est.

§. 499.

Respective similium discrimen. *Quæ respectiva existunt similitudine, illa qualitatibus, quibus differunt, quantitate, & determinationibus extrinsecis a se mutuo distingui possunt.* Nam quæ sunt similia, salva sua similitudine, quantitate (§. 493.) & extrinsecis determinationibus (§. 494.) differre possunt. Sed inter hæc respective similia datur quarundam qualitatum, quantitatum quoque & extrinsecarum determinationum discrimen (per hypoth.), duo etiam plurave entia & intrinsecis, quæ qualitatum & quantitatum veniunt nomine (§. 460.),

et

et extrinſecis, quibus differunt determinationibus, a ſe mutuo diſtingui poſſunt (§. 433.). Quæ ergo reſpective ſunt ſimilia, illa qualitatibus, quæ in illis ſunt diverſæ, & determinationibus extrinſecis a ſe mutuo diſtinguuntur.

Inter Cajum v. gr. & Titium homines reſpectiva locum habet ſimilitudo, qua ad unam eandemque referuntur ſpeciem; hac tamen ſalva, differre poſſunt quibusdam qualitatibus, v. gr. eruditione, animi candore, morum integritate, aliisque ejusmodi, vario etiam harum qualitatum gradu, corporis magnitudine, natalium loco, aliisque ejusmodi extrinſecis determinationibus, ut adeo experientia ubivis obvia ſatis ſit firmum, quod præſenti ſtatuimus poſitione.

§. 500.

Omnimode ſimilium diſcrimen.

Si duo plurave exiſtunt entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem admittunt & determinationes extrinſecas, ſalva ſua omnimoda ſimilitudine diſtingui poſſunt quantitate & extrinſecis illis determinationibus, utrobique diverſis. Nam quæ dantur ſimilia, ſalva ſua ſimilitudine, quantitate differre poſſunt & extrinſecis determinationibus (§. 493. 494); ſed ponuntur heic entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem admittunt & extrinſecas determinationes, utrobique diverſas (per hypoth.). His ergo a ſe mutuo diſtingui poſſunt duo plurave entia omnimode ſimilia, ſalva ſua omnimoda ſimilitudine (§. 443.).

 Ita

Ita si deprehendimus duo v. gr. ædificia non modo quà colorem & reliquum extrinsecum adparatum omnem, quem sine alio intelligere licet assumto, sed quà intrinsecam singularum partium rationem, ordinem & constitutionem exactissime convenire; discrimen eorum communiter petimus ex quantitatis, loci, temporis, aliorumque adjunctorum, seu circumstantiarum, diversitate, qua observata, judicamus unum altero esse majus, unum in harum rerum vel ædium vicinia esse collocatum, alterum in aliarum; unum hoc tempore esse exstructum, vel dirutum, alterum alio; unum igne consumtum, alterum vehementissimo vento destructum, vel aliis modis deletum; unum ab his hominibus esse inhabitatum, alterum ab aliis; his & hujusmodi aliis extrinsecis unum ab altero secernere solemus, salva eorum similitudine, quæ deprehenditur omnimoda.

Sin vero quis obvertat nobis ejusmodi ædificia omnimode similia haud dari, non ergo opus esse tam sollicita eorum enumeratione modorum, quibus a se mutuo discriminentur; scit is præsenti positione omnimode similium nos neque actualitatem neque possibilitatem defendere, sed sub hypothesi solum, si existerent, vel existere possent, inquirere, quo illa pacto a se mutuo distinguerentur; adsumtæ vero hypotheseos indolem mox plenius examinaturi sumus.

§. 501.

Quantitas definitur in relatio- Quantitas est interna entium determinatio (§. 459.); sed quantitate distingui possunt omnimode similia, fal-

ſalva ſua ſimilitudine (§. 500.). Eſt itaque *quantitas internum diſcrimen omnimode ſimilium.* Et viciſſim, quia omnimode ſimilia includunt omnium qualitatum convenientiam (§. 495.), nihilque enti interne præter qualitates & quantitates competere poteſt (§. 460.); *omnimode ſimilia non aliud diſcrimen internum agnoſcunt, quam quantitatem.* Docet Logica definitum cum ſua definitione eſſe debere reciprocum, notasque characteriſticas, cum definito reciprocas, ejus conſtituere definitionem. *Quantitatem* ergo definire poſſumus per *diſcrimen internum omnimode ſimilium.* *ne ad ſimilia.*

Hanc ob cauſam definit Illuſtris *Wolfius* §. 348. Ontol. Quantitatem per internum ſimilium diſcrimen. Nos vero inter omnimodam & reſpectivam ſimilitudinem ſtatuentes differentiam, ad quam non adtendit Wolfius, quantitatis definitionem, ex relatione ad ſimilia adornandam, reſtringere debuimus ad omnimode ſimilia, quum reſpective ſimilia, ſub ſimilibus in genere comprehenſa, præter quantitatem aliud quoque agnoſcant internum deſcrimen, ex qualitatibus hauriendum (§. 499.).

§. 502.

Duo plurave entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem & extrinſecas omnes reſpuunt determinationes, exiſtere nequeunt. Omnes enim entium determinationes ſunt vel intrin- *Quæ omnimode ſimilia exiſtere nequeunt.*

secæ, vel extrinſecæ (§. 201.); illæ autem ſunt vel qualitates, vel quantitates (§. 460.), &, per hypotheſin noſtræ propoſitionis, expertia ponuntur entia, duo vel plura; omnimode ſimilia, tum quantitatis, tum omnium determinationum extrinſecarum. Omnes ergo, quas habent & habere poſſunt hæc entia determinationes, ſeu prædicata, non niſi qualitatum continentur numero (§. 63.). Hæc autem omnia et ſingula, ne unica quidem excepta, quia ſupponuntur entia omnimode ſimilia, inter ſe ex aſſe convenire debent (§. 495.). Duo itaque plurave entia omnimode ſimilia, quæ quantitatis & extrinſecarum determinationum non ſunt capacia, omnimode, ſeu abſolute, ſunt eadem (§. 391.); ſed ejusmodi entia exiſtere nequeunt (§. 395.). Neque ergo exiſtere poſſunt duo plurave entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem & extrinſecas omnes reſpuunt determinationes.

Abſolvitur quidem omnimoda identitas in iis entibus, quæ cum intrinſecis extrinſecas haud reſpuunt determinationes, harum omnium convenientia (§. 414.); ubi tamen omnia, ut in præſenti caſu, removentur extrinſeca, cum eo intrinſeco, quod quantitatis habet nomen, non poteſt non identitas omnimoda qualitatum unice, earumque omnium abſolvi convenientia, adeoque hoc caſu cum omnimoda coincidere ſimilitudine, & hæc viciſſim cum illa. Ut proinde fortiſſima concludendi vi gaudeat demon-

ſtra-

ſtratio noſtræ theſeos, quæ quidem propius accedit ad principium recentioris Philoſophiæ indiſcernibilium, quam prior illa, qua negavimus duo abſolute eadem exiſtere poſſe (§. 395.); adhuc tamen inter memoratum principium noſtramque præſentem theſin occurrit aliquod diſcriminis: illud enim ponit omnimode ſimilia exiſtere non poſſe, ſive admittant quantitatem & extrinſecas determinationes, ſive minus; hæc negat illa exiſtere omnimode ſimilia, quæ quantitatis & extrinſecarum determinationum ſunt expertia; hanc defendimus ut veritati congruam, illud ut demonſtrationi & experientiæ repugnans rejicimus.

§. 503.

Alter modus, quo omnimode ſimilia repugnant.

Duo pluráve entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem & extrinſecas admittunt determinationes, mutuo & omnimode in iſtis duobus entibus convenientes, exiſtere nequeunt. Omnia enim prædicata, ſeu determinationes omnes, quæ enti quocunque modo conveniunt, vel intrinſecæ, vel extrinſecæ ſunt (§. 201.): illæ ſunt vel qualitates, vel quantitates (§. 460.), hæ neque qualitatum, neque quantitatum ingrediuntur numerum (§. 459.). Per hypotheſin vero hæc duo entia ſunt omnimode ſimilia, adeoque omnium qualitatum abſolvuntur identitate (§. 495.); poſſident etiam (per hypoth.) quantitatem & extrinſecas determinationes omnes mutuo & ex aſſe conveni-

venientes. Omnium ergo & ſingulorum, quæ eis conveniunt, prædicatorum, ſeu determinationum, conſtituuntur convenientia. Et proinde ſunt omnimode eadem (§. 391.); per conſequens, dari ſeu exiſtere nequeunt (§. 395.).

Videlicet ob eandem rationem his omnimode ſimilibus repugnat exiſtentia, ac antea vidimus (§. 395.) omnimode eisdem eandem competere haud poſſe: Quoniam omne, quod inter entia datur & dari poteſt diſcrimen, vel ex intrinſecarum, vel extrinſecarum, diverſitate dependet (§. 433.), illaque omnia & ſingula heic ponuntur eadem; liquet hæc, quæ ſumuntur, entia eſſe plane indiſtinguibilia (§. 431.), ideoque non plura, ſed unum idemque (§. 431. 432.); Fictam ergo & imaginariam eſſe, quæ putatur, pluralitatem.

De cetero neque hanc, quam ſtabilivimus, propoſitionem cum principio indiſcernibilium Leibnitii confundas precor: illa enim, ut ex demonſtratione ejus pateſcit, quà rem ipſam coincidit cum propoſitione, qua negavimus duo abſolute eadem exiſtere poſſe; hoc vero tantum negat omnimode ſimilia exiſtere poſſe, ſive admittant quantitatem & extrinſecas determinationes convenientes, ſive diſconvenientes. Ad hoc ergo examinandum, ut propius nos accingamus, propoſitionem, quæ caput rei tangit & convellit, addere & adferre decet.

§. 504.

Quibus omnimode ſimili- *Duo plurave entia omnimode ſimilia, quæ quantitatem & extrin-*

trinsecas admittunt determinationes, vel sigillatim, vel conjunctim, in illis entibus, inter se differentes, existere possunt. Si enim hæc duo plurave existere nequirent entia, repugnantia ad existendum laborarent, vel in se, h. e. sigillatim, vel non in se, sed conjunctim (§. 63.). *Illis vero in se spectatis existentia repugnare nequit:* Nam præter qualitates, quantitates, & extrinsecas determinationes nihil continent aliud; eidem vero enti & qualitatem & quantitatem simul competere posse, suo jam docuimus loco (§. 461.). Neque repugnat, ut cum determinationibus intrinsecis, in eodem ente constituendo, simul conjungantur determinationes extrinsecæ (§. 201.). Entia ergo, quæ cum qualitatibus, quarum convenientia similitudo absolvitur (§. 491.), copulatas habent determinationes extrinsecas & quantitatem, nulla ad existendum in se laborant repugnantia. *Neque conjunctim spectata hæc duo plurave entia ad existendum implicant.* Ponuntur enim omnimode similia, h. e. quà omnes, quas possident, qualitates ex asse convenientia (§. 495.), seu eadem (§. 389.), quà quantitatem vero & externas determinationes, quas admittunt, disconvenientia, seu diversa statuuntur (per hypoth.): Quare, si inter se relata repugnantia ad existendum laborarent, illa derivaretur vel ex ratione identitatis, vel ex ratione diversita-

bus existentia non repugnat.

 tis,

tis mutuæ. *Non ex ratione identitatis*: nam ponuntur hæc entia omnimode ſimilia, & ſimul quantitate & extrinſecis determinationibus differentia, quod ſalva eorum omnimoda ſimilitudine omnino ponere licet (§. 493. 494.). Non ergo ſunt abſolute eadem (§. 391.), et, per conſequens, ratione identitatis, exiſtentia eis repugnare nequit (§. 396.). *Neque ex ratione diverſitatis eis repugnat exiſtentia*. Nam etſi ponatur quantitatum & determinationum externarum in his entibus diſconvenientia (per hypoth.); ſimul tamen ſunt omnimode ſimilia (per hypoth.), & ideo, quà qualitates omnes, eadem (§. 495.). Non ergo ſunt omnimode diverſa (§. 393.), &, per conſequens, eis ratione diverſitatis repugnare nequit exiſtentia (§.397.). Quoniam itaque hæc duo plurave ſuppoſita entia neque ſigillatim, neque conjunctim ſpectata ulla laborant ad exiſtendum repugnantia (per Dem.), ſudo clarius eſt cœlo, exiſtere poſſe duo plurave ex aſſe ſimilia entia, quantitate & determinationibus externis vel ſigillatim vel conjunctim differentia.

Horum itaque evicimus poſſibilitatem ſimilium, quam etiam largitur Illuſtris *Wolfius*, totidem verbis concedens §. 207. Adnot. ad Metaph. Germ. ratione omnipotentiæ Divinæ, hoc eſt, abſolute loquendo, non repugnare exiſtentiam duorum perfecte ſimilium. Idem inculcat in notis ad §. 1107. Theol. Nat. part. I. Nullibi

ergo

ergo in Ontologia sua latina, quæ non nisi universalissima tradere debet principia, hanc, qua negant alii existere posse duo perfecte similia, adhibet propositionem, neque eadem, ut Ontologica, usus est illustris *Leibnitius*, prout mox indicabo plenius.

An in mundo dentur duo ex asse similia?

An vero in hac universitate non existant duo plurave perfecte similia, sola quantitate & extrinsecis determinationibus differentia? alia est quæstio, quam affirmavit ill. *Leibnitius*, qui in Ep. IV. ad *Clarkium* §. 4. T. 1. *du Recueil de diverses pieces* &c. p. 50. contendit non dari duo individua indiscernibilia, h. e. ex mente ejus perfecte similia: Electricem enim Hannoveranam cum Nobili viro diu, sed frustra, quæsivisse memorat duo arborum folia ex asse similia: duas quoque aquæ & lactis guttas, per microscopium inspectas, dissimiles inveniri. Huic Leibnitii effato album addit calculum *Canzius* in Ontol. Polem. §. 96. cum aliis recentioris Philosophiæ scriptoribus haud paucis, qui etiam in rebus suæ sententiæ adducere solent testimonium *Ciceronis*, qui L. II. Quæst. Acad. ita philosophatur: *Dicis nihil esse idem quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum, omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum* &c. Et ibidem contra Democritum, qui innumerabiles esse mundos asserebat, & quidem sic quosdam inter sese non solum similes, sed undique perfecte & absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus interesit; contra hunc, inquam, disputans Cicero, ita loquitur: *Quid pugnas aut quid tibi vis in geminis?*

conce-

conceditur enim similes esse, quo contentus esse potueras. Tu autem vis eosdem esse plane non similes, quod fieri nullo modo potest. Et paucis interjectis: *Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior; potiusque refellam propter id, quod dilucide docetur a politioribus Physicis, singularum rerum singulas esse proprietates. Fac enim antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam similes quam dicuntur; num censes etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur foris; at domi: non ab alienis, at suis. Annon videmus hoc usu venire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes esse viderentur?* Et quibusdam iterum interjectis: *Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus Deli fuisse complures, qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent: hi cum ovum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant.* Qui hæc Ciceroniana animo, a præjudiciis vacuo, pensitaverit, facile is deprehendet, Ciceronem negare duas res esse easdem, licet similes ponantur; singularum enim rerum singulas esse proprietates rectissime urget. Potius ergo hunc Philosophum, sua sane ætate & diu post celebratissimnm, negare velle existentiam duorum perfecte eorundem, quam duorum perfecte similium, & ideo plus nostræ (§. 395.), quam adversariorum favere thesi, perspiciet. Non tamen negamus dari in rerum natura immensa dissimilium specimina, quæ Microscopiorum ope detexêre *Robertus Hooke* in Micrographia, *Franciscus Tertius de Lanis* in Magisterio naturæ & artis, & *Joh. Francisc. Griendel von Ach* in Micrographia no-

va.

va. Quibus & ipse addam me, non inferioris ordinis microscopio, multum diuque varia examinasse arenæ minutissima grana, nec adhuc potuisse invenire alterum alteri ex asse simile. Hæc aliaque plura etsi egregie ostendant magnam esse rerum existentium dissimilitudinem; inde tamen ad rerum omnium, quæ existunt, dissimilitudinem firma inductione certoque animo licite non colligi, verior docet Logica, nisi præmissa omnium plane singularium, maximorum, minutissimorum, propinquorum, remotissimorum, totorum & partium denique omnium, non superficiaria, sed accurata inspectione & experientia, quam ne totum quidem genus humanum, conjunctim sumtum, multo minus hic vel ille homo in singulari sibi polliicebitur unquam. De cetero observant accuratiores Physici discrimen figuræ in particulis majoribus nequaquam arguere ultima solida figuram discrepantem possidere: Posse enim particulas, sibi ex esse similes, pro vario concursu, adplicatione & positione varia, varium formare compositum in sensus incurrens externos. Corpora tam magna, ut oculo vel nudo vel armato videri possint, licet plerumque observentur dissimilia, adparentibus hinc inde aliquot notis, quibus unum ab altero distinguatur; non tamen semper id obtinere experientia docet: Purissimum quippe mercurium, concitatum in fumum, aut trans poros corii pressum, si excipimus supra mundum speculum, globulos sibi simillimos, nec ulla nota distinguendos, observabimus. Pari modo se habent vapores calidæ aquæ puræ, atque forte multorum corporum partes, quarum conveni-

en-

entiam posteriorum deteget industria. Taceo lucis radiolum, v. gr. rubrum, ope prismatis vitrei, accurate separatum, neque per novam refractionem, vel reflexionem, vel ullam aliam artem, hactenus nobis cognitam, posse in alios heterogeneos & dissimiles radiolos separari; Non commemoro perfecte similes spatii partes, cujus actualitatem ex motus existentia, diversa corporum gravitate specifica, varia diversorum fluidorum resistentia, aliisque ejusmodi argumentis fortissime evincunt hodierni Physici: Satis enim superque constat ex experientia, nunquam probatam esse universalitatem propositionis, quæ præsenti nostræ e diametro opponitur.

§. 505.

Definitur Principium identitatis indiscernibilium Leibnitii.

Propositio, qua negatur existere posse duo plurave entia in natura rerum omnimode seu perfecte similia, *Principium identitatis indiscernibilium Leibnitii* vocari jam cœpit.

Illustris *Leibnitius*, qui primus hoc excogitavit principium, si modo ita vocetur, contra *Clarkium*, celebrem Anglum, disputans, in Ep. IV. §. 4. seq. et Ep. V. §. 23. seq. primum illud adplicuit ad corpora in hoc mundo existentia, quorum alterum alteri perfecte simile esse negavit. Deinde vero in Principiis Philosophiæ suæ §. 9. extendit illud ad entia simplicia, seu monades, ut elementa rerum naturalium. Quem locum integrum exhibebo, ut eo clarius eluceat, quid per hoc principium inten-

intendat vir Illuſtris. Ita vero habet: *Immo opus eſt, ut quælibet monas differat ab alia quacunque: Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex aſſe convenit cum altero, & ubi impoſſibile ſit quandam reperire differentiam internam, aut in denominatione intrinſeca fundatam. Quod ſi ſubſtantiæ ſimplices qualitatibus non differrent, nulla etiam in rebus mutatio obſervari poſſet: quoniam quod in compoſito reperitur, aliunde quam ex ſimplicibus ingredientibus reſultare nequit. Et ſi monades qualitatibus deſtituerentur, nec una ab altera diſtingui poſſet, quoniam eædem nec quantitate differunt: conſequenter ſi plenum ſupponatur, locus quilibet in motu non reciperet niſi quod æquivaleret ei, cui ſuccederet, & unus rerum ſtatus indiſcernibilis foret ab altero.* Ex his liquet Leibnitium qualitates rebus a ſe mutuo diſcernendis adſignare, omniaque entia, quæ in hac exiſtunt rerum univerſitate, qualitatibus a ſe mutuo differre, nec dari poſſe duo entia, quæ intrinſece, h. e. quà qualitates, plene conveniant. Jam vero ubi ſimul adtendimus ad definitionem ſimilium, quam dedit Leibnitius, noſtræ omnino conſentientem (§. 492.), perſpicuum evadit me recte & menti Leibnitii conformiter definiviſſe ejus principium identitatis indiſcernibilium. Neque ab hac noſtra definitione differt, quam *Hanſchius* Def. 46. Princip. Phil. more Geom. demonſtr. hoc tradit modo: *Principium identitatis indiſcernibilium eſt id, in quo ratio ſufficiens invenitur, cur non exiſtant duo entia per omnia ſimilia.* De cetero ubi animum advertimus tum ad ea, quæ ex Leibnitio modo citavimus, tum ad Theorema XIX. Hanſchii, quod *negat ullam*

mona-

monadem creatam in rerum univerſitate alteri monadi creatæ per omnia ſimilem exiſtere, & quod, obſervante Hanſchio, principium identitatis indiſcernibilium Leibnitio vocatur: ubi, inquam, ad hæc advertimus, ſtatim eluceſcit Illuſtrem virum hoc ſuo principio, res, in hac univerſitate exiſtentes, reſpexiſſe, eodemque negare voluiſſe, duas in natura res perfecte ſimiles exiſtere poſſe. Recte hinc adſecutus eſt mentem Leibnitii Illuſtris *Wolfius*, qui dicit abſolute non implicare, ſi ponantur duo perfecte ſimilia in ſingulari (conf. loca prius §. 504. citata); implicare tamen, ſi ponantur in natura. Principium itaque indiſcernibilium nullibi inter Ontologica retulit, ſed in Cosmologia illud aſſumens, negat §. 195, *dari ſubſtantiam ſimplicem, quæ in numero elementorum eſt, alteri cuidam in eodem numero ſimilem*. Et licet §. 1107. Theol. Nat. P. I. ſæpius nominatum principium ad unitatem Dei demonſtrandam adplicare videatur; re tamen ipſa non ad hoc, quod Ontologicum non agnovit, ſed alterum illud, quo in Ontologia recte negatur non dari poſſe duo entia perfecte eadem (§. 395.), provocavit, unitatem Dei oſtenſurus. In notis ergo ad citatam Theologiæ Naturalis theſin expreſſe monet, principium indiſcernibilium, quod excludit exiſtentiam duorum individuorum ſimilium, per omnem rerum actualium ſeriem regnare; ita tamen, ut Deus, cui tanquam cauſæ primæ ſubſtant omnia, non habeat ſui ſimilem per ipſam eſſentiam (adeoque abſolute), cetera vero non agnoſcant ſui ſimilia individua per voluntatem Ipſius, quatenus ſumma regitur ſapientia, etſi in ſe non repu-

gnet,

net, ut in serie aliqua naturali duo ponantur similia. Non ergo existimat Wolfius principium indiscernibilium esse universalissimum principium concludendi tum Dei unitatem, tum dissimilitudinem rerum naturalium, sed ratione conclusionum inde formandarum solum pertinere ad naturam rerum existentium, non vero ad unitatem Dei demonstrandam; dari tamen quandam analogiam inter res in mundo obvias, & Deum, ut, quemadmodum illæ excludunt suarum similia per sapientissimam Hujus voluntatem; ita Hic excludit ens sui simile per absolutam suam naturam. Ideoque quando dicit Wolfius principium indiscernibilium regnare per omnem rerum actualium seriem, nihil intelligit aliud, quam dari inter omnia actualia dissimilitudinem, ex eodem tamen haud derivandam fundamento: Nam secundum mentem Wolfii, ubi illa adplicatur ad res naturales, non dependet ex earum essentia, sed solum ex sapientissima Creatoris voluntate; de Deo autem enunciata deduci nequit ex Ejus voluntate, quasi absolute loquendo posset alius dari Deus, modo vellet, quod dictu absurdissimum est & essentiæ Dei absolute repugnat. Re ergo ipsa censet Wolfius diversissimum esse principium indiscernibilium ab eo, ex quo dependet unitas Dei.

§. 506.

Perspicue jam patere arbitror, *principium indiscernibilium Leibnitii, cum principio, quo absolute ne-* *Discrimen hujus principii a progavi-*

positione §. *gavimus possibilitatem duorum plu-* 395. *riumve entium omnimode eorundem* (§. 395.), *non esse confundendum.* Illud enim agit non nisi de entibus, quæ in natura rerum, per sapientissimam Dei voluntatem, existere possunt (§. 505.); hoc vero, de omnibus, quæ existere possunt, entibus absolute loquendo (§. 395.): Illud excludit duo perfecte similia (§. 505.), hoc duo removet perfecte eadem. Involvit quidem omnis similitudo identitatem (§. 491.), sed non omnis identitas similitudinem vicissim infert: Hæc enim, in genere spectata, versatur circa determinationes tum extrinsecas, tum intrinsecas (§. 413.); Illa vero circa qualitates (§. 491.), seu determinationes rei intrinsecas, quæ sine alio assumto intelligi possunt (§. 459.), unice detinetur, non occupata vel circa determinationes rei intrinsecas, quæ sine alio assumto intelligi nequeunt, & quantitatum veniunt nomine (§. 459.), vel circa extrinsecas, ad quas tamen omnes & singulas refertur omnimoda identitas in iis entibus, quæ & intrinsecas et extrinsecas admittunt determinationes (§. 414.). Nisi ergo diversissima confundere velis, fatearis necesse est insigne dari discrimen inter principium indiscernibilium Leibnitii, nostrumque, quo negavimus duo dari entia omnimode eadem.

Indolem itaque principii indiscernibilium Leibnitii non perspexêre, putantes illud cum hac propo-

propositione: *Non existere possunt duo plurave entia omnimode eadem*, coincidere, quasi utraque propositio apud Leibnitium & Wolfium eodem inniteretur fundamento, & ejusdem ab illis statueretur latitudinis. Facem huic errori prætulit Vir cetera acutissimus, *Georg. Bernh. Bülfingerus*, qui in §. 411. Dilucidat. Philosoph. anno 1725. primum editarum, arbitratur principium identitatis indiscernibilium utile esse & necessarium ad unitatem Dei demonstrandam, licet §. 94. fateatur illud a Leibnitio ejusdem extensionis non fuisse habitum. Hinc *Canzius*, vir singularis sane eruditionis T. I. cap. I. sect. IV. Usus Philosoph. Leibnitianæ & Wolf. in Theolog. contendit principium Leibnitii indiscernibilium tam late explicandum esse, ut etiam inserviat unitati Dei ostendendæ, existimans hanc explicationem a mente Leibnitii non esse alienam, quatenus ille Ep. IV. ad Clarkium §. 5. statuat principium rationis sufficientis & identitatis indiscernibilium mutare habitum veteris Metaphysicæ, eamque reddere realem & demonstrativam. Sed non bene adtendit Canzius ad sensum citati Leibnitiani loci, quo in evolvendo argumento cosmologico contra Clarkium est occupatus. Nota est res, Leibnitium atque Wolfium sub vocabulo Metaphysices comprehendere Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam & Theologiam Naturalem. Quanquam ergo Leibnitius adpellavit Principium suum indiscernibilium Metaphysicum, non tamen ideo illud voluit Ontologicum. *Canzius* itaque idem adplicare studens principium ad omnia entia, tum finita, tum infinita, non potest non

præter mentem Leibnitii atque Wolfii illud habere Ontologicum, adeoque cum principio, quo possibilitatem duorum perfecte eorundem negavimus, inepte confundere. Hos in hoc antesignanos errore sequuntur Philosophi tantum non omnes, qui suam scriptis hoc ævo declarare voluerunt industriam. *Winklerus* in Instit. Phil. Wolfianæ §. 181. non incongrue definit principium indiscernibilium per illud, *quo negatur existere duo individua, quæ nulla qualitate a se invicem possunt discerni.* Hoc tamen in §.§. sequentibus demonstraturus, plenariam omnium determinationum internarum & externarum, quibus individuum in rerum natura constituitur, identitatem, cum qualitatum convenientia, seu similitudine, rotunde commiscet, ab illius negatione, quam nos quoque tuemur, ad hujus absurditatem, quam inficiamur, contra verioris Logicæ elementa, quæ vetant minus in conclusione ponere, quam fuit in præmissis, vitiose colligens. Idem committunt vitium *Baumeisterus* in §. 169. Metaphys. *Reuschius* §. 571. System. Metaph. Oppido vero a Leibnitii mente discedit *Schubertus*, in §. 189. Metaph. statuens hanc propositionem: *Non dantur absolute eadem*, esse principium indiscernibilium Leibnitii, qui tamen, quantum mihi videre licuit, id nullibi dixit.

§. 507.

Principii identitatis indiscernibilium falsitas.

Principium identitatis indiscernibilium Leibnitii veritati non est congruum, seu, ut universaliter verum admitti nequit. Hoc enim princi-

principium negat in natura rerum existere posse duo plurave entia omnimode, seu perfecte similia (§. 505.). Jam vero extra omnem positum esse controversiam sumo, omnia, quæ existunt & existere possunt, entia naturalia, quatenus existunt, & intrinsecas & extrinsecas admittere determinationes, in intrinsecis quoque cum qualitatibus conjunctam habere quantitatem. Si itaque duo plurave ejusmodi entia ponuntur perfecte similia, hoc est, quà omnes qualitates inter se convenientia (§. 495.), salva sua omnimoda similitudine, differre inter se possunt quantitate & extrinsecis determinationibus, utrobique vel conjunctim, vel sigillatim diversis (§. 500.). Ejusmodi autem duo plurave entia existere possunt (§. 504.). Principium itaque indiscernibilium Leibnitii, quod negat hanc possibilitatem, ut veritati congruum admitti nequit.

Argumenta pro Leibnitio solvuntur.

Suum hoc demonstraturus principium Illustris *Leibnitius*, duplici utitur argumento, alterum ex principio rationis sufficientis, alterum ex experientia desumens. Vi illius ita argumentatur: *Si existerent duo individua, in omnibus sibi perfecte similia, quodvis eorum peculiarem haberet existentiam, & peculiarem occuparet locum, adesse itaque deberet ratio sufficiens, cur alterum in loco A potius esset, quam in loco B? Hæc autem ratio deprehendi nequit in ipsis individuis, quia perfecte ponuntur similia, adeo ut si ponatur aliquod ens illa duo produxisse*

duxisse & in separatis collocasse locis, sine ratione sufficienti egisset; neque potuisset illud ens producens sine principii rationis sufficientis læsione, quæ admitti nequit, unum istorum individuorum alteri sua electione præferre, quum alterum ob perfectam similitudinem æque producere debuisset. Eodem fere argumento elementorum suorum dissimilitudinem ostendere conatur *Illustris Wolfius* §. 195. Cosmol. Sed totus argumentandi nervus in eo consistit, quod colligant Illustres Viri ex negatione rationis objectivæ, nonnisi ex diversitate rerum desumendæ, ad negationem rationis sufficientis omnis, putentque principium rationis sufficientis, quatenus circa objectivas versatur rationes, rerum inferre diversitates, quod tamen ut vitiosum antea rejecimus (§. 115. 116.). Non ergo valet hæc principii indiscernibilium prætensa demonstratio. Quo vero habendum sit loco alterum illud, quo pro hypothesi sua tuenda utitur Leibnitius, argumentum, ex experientia derivatum, mox declaravimus ad §. 504. ut adeo nova heic non indigeat illud expositione & confutatione. Neque objectioni locus est: *Si existerent duo individua perfecte similia, essent absolute indiscernibilia, quod implicat.* Nam licet a se mutuo non discernantur qualitatibus ullis, quarum omnimoda identitate perfecta constituitur similitudo; hac tamen salva diversitatem produnt quantitate & determinationibus extrinsecis (§. 500.), quorsum inter alia pertinent circumstantiæ, quæ rebus non insunt, sed adsunt tantum & cum illis aliquo conjunguntur modo, finis pariter & usus, quos quælibet earum sibi habere potest peculiares. Regeris: *Li-*

cet

cet possibili perfecte similium existentiæ non obstet omnipotentiæ Divinæ consideratio, illam tamen admittere nequit summa, quæ Deo convenit, sapientia, ob quam Is nihil sine ratione agit, acturus vero, si alterum e perfecte similibus collocaret hoc loco & tempore, alterum alio. Sed si omnis objectiva ratio ex qualitatum, quæ objectis insunt, desumeretur diversitate, fateor nullam heic locum habere objectivam rationem, cur unum perfecte similium præ altero existeret, fateor, inquam, & ita fateor, ut nihil detrimenti capiat vel principium rationis sufficientis, quod ad hunc, quoad objectivam rationem, non extenditur casum (§. 115.), vel suprema res similes producentis sapientia, quæ sine ullo sui detrimento res producere potest similes: Usus enim & finis cujuslibet rei peculiaris, & relativus ad has vel illas res, hujus productionis esse potest ratio, neque hæc unica; perplurimæ enim aliæ adesse possunt rationes, nobis licet incognitæ, absit tamen inde colligamus, nullas dari, quum nemo Logicorum hanc admiserit argumentationem: *in dato casu ipse nullam deprehendo rationem, ergo nulla datur.* Caveamus itaque quam maxime, ne ad exiguæ nostræ cognitionis mensuram, immensam Dei reducamus sapientiam, & nostra inscitia ullas dari rationes negemus. Modo notavimus usum, quem quælibet res in relatione ad alias habet, rationem constituere posse, cur ens sapientissimum duo perfecte similia producat. Quod, ut clarius adpareat, exemplo illustrare lubet. Quindecim planetas, quinque primarios & decem secundarios illustrat Sol nostri systematis. Suppone jam Deum, quod

ut probabile plures ſupponunt Aſtronomi, alios conſtituiſſe quindecim a noſtro ſole, immenſa ſpatii intercapedine, tam remotos, ut ab illo aut parum aut nihil ſortiri queant luminis, Eumque voluiſſe eos eadem ratione, ac noſtri ſyſtematis planetas, illuminatos. Quam ob rem ſolem etiam illis adſociaſſet planetis, noſtro ex aſſe convenientem. Vides itaque finem in cauſa fuiſſe, cur ſapientiſſimum Ens ejusmodi produxiſſet entia: uſus enim corporum iſtorum ſolarium, in diverſis illis Syſtematibus, idem deſideratus in cauſa eſſet, cur duo ſoles perfecte ſimiles conderentur. Vides etiam hos duos ſoles poſſe nihilominus a ſe mutuo diſtingui; quatenus enim ſyſtemata, quibus iſti duo ſoles adſignati eſſent, differunt, eatenus eorum quoque obſervare licet diſcrimen, vel ex diverſa eorum quantitate, vel exinde deſumtum, quod unus huic, alter iſti inſerviret ſyſtemati. Sed adhuc inſtas: *Poſito Deum juſtas habuiſſe rationes creandi duos v. gr. ſoles perfecte ſimiles; quia tamen omnimoda gaudere ſupponuntur ſimilitudine, nulla adfuiſſet ratio collocandi unum in hoc ſyſtemate, alterum in alio: agere vero aliquid ſine ratione eſt ſapientiæ adverſum Divinæ, unde confici putatur per hanc non licere, ut duo perfecte ſimilia exiſtant.* Sed mox indicavi, fruſtra heic provocari ad objectivam rationem, quum nulla detur, neque ullam in hoc caſu locum invenire ſapientiæ, quæ Deo convenit, læſionem. Eſt enim ſapientia Dei ſcientia abſolute perfecta quàm exactiſſime ſubordinandi media finibus. Ubi itaque fines ſunt iidem, ubi etiam media ſunt æque perfecta, æque apta, ubi reſpectu ſapientiæ perinde eſt,

est, quodnam horum mediorum huic vel isti adplicetur fini: utrobique enim aptissimum medium fini adcommodatur, utrobique ergo sapientia manet salva. Excipis ulterius: *Existere quidem posse duos soles, sibi simillimos, secundum convenientiam speciei, non secundum omnes conditiones individuas, quæ si etiam ex asse convenirent, debent vero convenire, siquidem soles perfecte supponuntur similes, nulla, vel minutissima, inter illos observari posset differentia, non ergo esset, nisi unus idemque sol bis positus.* Conf. *Canzii* L. I. Psychol. p. 666. ubi Oederi instantiam contra principium indiscernibilium confutare conatur. Sed egregie confundis, quas mox demonstravi sejungendas, perfectam similitudinem cum perfecta identitate; illa versatur circa determinationes intrinsecas tantum, & quidem eas unice, quæ qualitatum veniunt nomine (§. 495.); hæc autem comprehendit & intrinsecarum & extrinsecarum omnium convenientiam (§. 414.). Ab hujus ergo negatione ad illius impossibilitatem colligere non vales, nisi contra usum receptum, & propriam adsertionem in Ontol. Polem. §. 84. sub notione similitudinis, præter qualitatum, quantitatum simul & determinationum extrinsecarum comprehendas convenientiam. Una hinc eademque opera rejicimus omnes eorum argumentationes, qui a negatione perfectæ identitatis ad negationem perfectæ similitudinis colligunt, contra Logicorum præcepta, quatuor in syllogismo adhibentes terminos. Eidem obnoxium est vitio ejusdem Canzii argumentum in Ontol. Polem. §. 94. licet sibi nimis fidens dicat se nescire, quid sibi a quoquam

possit obverti. Sed juvat ad ipsam attendere argumentationem, quia, ut decet virum, acri judicio celebrem, ingeniosa est: *Omne ens, quod salvis omnibus alteri cuidam potest substitui, seu, quod ab altero ne ex tantillo quidem differt, est idem cum altero; ideoque alterum non est alterum nisi hactenus nomine.* Hanc propositionem majorem, quæ de perfecta omnium determinationum & internarum & externarum agit identitate, lubentissimi concedimus. Sed subsumit: *atqui duo perfecte similia si supponimus, alterum alteri potest salvis omnibus substitui, nec alterum ab altero vel tantillum differt.* De sola qualitatum convenientia agit hæc minor propositio, quæ ergo, ex notione similitudinis, quam tradit idem auctor §. 84. Ontol. Polem. huic æquivalet propositioni: *atque duo perfecte similia si supponimus, alterum alteri potest salvis omnibus qualitatibus substitui, nec alterum ab altero vel tantillum, quà qualitates, differt.* Re ergo ipsa quatuor in præmissis occurrunt termini. Non itaque nisi illegitime concluditur: *Ergo duo perfecte similia sunt reapse unum idemque.*

Adest adhuc argumentum, non contemnendum, quo principii indiscernibilium Leibnitii realitatem & universalitatem evincere conantur quidam ejus defensores: Putant, hoc remoto principio, nunquam contra Polytheismi dubia sufficienter probari posse unitatem Dei. *Si*, inquiunt, *non repugnat dari res perfectissime similes, quia principium indiscernibilium falsissimum est, tum & possibile erit existere præter unum infinitum ens, quod omnes veneramur, plura infinita, illi perfectissime similia. Atqui prius verum est ex mente eorum, qui hoc*

hoc principium negant. Ergo plura entia infinita, perfectissime similia, existere possunt. Quod quum sit absurdum, absurdos esse patet, qui memoratum negant principium. Fateor tanti colendam & venerandam esse Divini Numinis unitatem, ut si, hac salva, nunquam negari posset nominatum sæpius principium, illud omni opera, omnique conatu, amplectendum & defendendum esse; Sed eo nos non indigere docent argumenta, quibus adcuratior Theologiæ Naturalis expositio unitatem altissimi Numinis fortiter evincit. Immo, qui argumentum horum Philosophorum, pro unitate Dei tuenda, ex hoc principio allatum, justa, uti loquuntur, anatomia secare & resolvere velit, facilis mecum fatebitur, eos frustra, & nonnisi hypotheseos suæ favendæ gratia, provocare ad principium indiscernibilium Leibnitii, quod, ut vidimus (§. 505.), re ipsa non afficit ens in genere, neque quodvis singulare, nisi illud contra Leibnitii & Wolfii mentem cum principio identitatis, de quo in §. 395. incongrue confundere velis, sed respicit unice entia finita. Quæ ergo quæso consequentia: si duo entia finita, quà omnes qualitates inter se convenientia, seu similia, diversa tamen, vel quà quantitatem, vel minimum quà externas determinationes, existere possunt: Ergó etiam duo entia infinita, quibus nulla quantitas, nulla externa competit determinatio, sed solæ conveniunt qualitates, eædemque realitates absolutæ, perfecte similia existere possunt. Idem itaque, quod de ente finito, ut tali, valet, prædicabitur de Ente Infinito. Absit & quam longissime absit. Recte igitur defendimus unitatem

Entis

Entis Infiniti neque debere neque posse demonstrari ex Principio indiscernibilium Leibnitii, neque ab ipsis Leibnitio & Wolfio inde esse demonstratam (conf. not. ad §. 505.), verissime vero demonstrari ex nostro principio identitatis indiscernibilium (§. 395.), & speciatim ex §. 502. prout suo constabit loco plenius. Sed hæc de principio indiscernibilium impræsentiarum dicta sunto.

§. 508.

Similium divisio quoad qualitates. Exposuimus jam similium æque ac Dissimilium discrimen quoad identitatem & diversitatem, sequitur propius agamus de eorum quoad qualitates differentia. Absolvitur similitudo qualitatum identitate (§. 491.), sunt autem qualitates vel essentiales, vel accidentales (§.463.). *Similitudo* itaque alia est *Essentialis*, quæ qualitatum essentialium, alia *Accidentalis*, quæ qualitatum accidentalium constituitur identitate. Hinc facile intelligis quæ in concreto vel essentialiter, vel accidentaliter, sint similia.

Hoc modo essentialiter inter se similes sunt omnes homines, quia omnibus & singulis anima rationalis & corpus organicum conveniunt. Quoad eruditionem vero si plures inter se consentiunt homines, locum inter illos habet similitudo accidentalis.

§. 509.

Dissimilium divisio quoad Quemadmodum similia, sic etiam dissimilia alia sunt *essentialiter*,

ter, alia *accidentaliter* talia: *illa* qualitates essentiales inter se habent disconvenientes; *hæc* qualitatibus gaudent accidentalibus iisdem. *ad qualitates.*

Cujusmodi essentialis dissimilitudo datur inter homines & bruta animantia, quorum quoad alterum essentiale, corpus scilicet organicum, datur convenientia, saltem generalis, quoad alterum vero, rationalitatem puta, locum habet disconvenientia.

§. 510.

Nulla dantur entia, quæ absoluta sua destituuntur possibilitate (§. 228.), eamque, in qualitatum referendam numerum (conf. demonstr. §. 496.), vi essentiæ suæ omnia possident entia (§. 324.). Nulla itaque dantur entia, quæ perfecta eademque essentiali inter se distinguuntur dissimilitudine. *Omnis ergo, quæ datur essentialis dissimilitudo, est nonnisi respectiva, seu Partialis*, consistens in quarundam qualitatum disconvenientia, ceteris iisdem manentibus. *Essentialis Dissimilitudinis affectio.*

Facit huc exemplum modò allatum.

§. 511.

Qualitates essentiales constanti & inseparabili rebus insunt ratione; accidentales vero inconstantem & separabilem inexistendi possident *Similitudinis & dissimilitudinis essentialis &*

accidentalis affectiones. sident modum (§. 464.). Similitudo igitur & dissimilitudo essentialis, circa qualitates essentiales occupatæ (§. 509. 510.), rebus, quibus competunt, constanter & inseparabiliter insunt: Quæ vero accidentales sunt, quia circa qualitates ejusdem nominis detinentur (§. cit.), inconstantem & separabilem tenent inexistendi modum.

Essentialis hæc similitudo & dissimilitudo in disciplinis unice attenditur, utpote quæ stabilem & fixam generat similitudinum & dissimilitudinum rerum cognitionem. Sic in Geometria de duorum triangulorum similitudine judicium laturi, non curamus, an latera eorum hac vel ista materia sint ducta, vel an habeant hanc vel illam quantitatem, vel hoc vel illo tincta sint colore, quæ singula, quoad triangula Geometrice consideraverimus, accidentalibus adnumerari debent; perpendimus vero, an anguli sint æquales, & latera, quæ angulos homologos includunt, sint proportionalia. Mutabilis itaque, seu accidentalis qualitas cum similitudine & dissimilitudine rerum essentiali nihil habet commercii, nisi quatenus subjecti determinationem ingrediatur, quo in casu constantem, seu essentialem, rerum similitudinem & dissimilitudinem non turbat, quia subjecto, ita determinato, est constanter intrinseca, & tamdiu talis manet, quamdiu res ita determinata subsistit, i. e. quamdiu res ipsa, seu essentia rei, ita determinatæ, salva manet. Sic diligentia in studiis est mutabilis & accidentalis hominis qualitas,

ſalva enim ſpeciei humanæ eſſentia abeſſe poteſt; reſpectu autem habito ad bonum ſtudioſum, conſtans eſt & eſſentialis; nam repugnat eſſe bonum ſtudioſum & ſimul in ſtudiis excolendis nullam adhibere diligentiam.

§. 512.

Similitudo eſſentialis non infert accidentalem.

Eſſentialis, quæ inter duo plurave entia obtinet, ſimilitudo poteſt eſſe ſine accidentali, ſeu, poſſunt duo plurave entia eſſentialiter eſſe ſimilia, & tamen accidentaliter diſſimilia. Quoniam enim identitas eſſentialis non infert identitatem accidentalem (§. 419.), nequit identitas qualitatum eſſentialium inferre accidentalium identitatem (§. 463.). Abſolvitur vero eſſentialis ſimilitudo eſſentialium identitate qualitatum, & accidentalis convenientia accidentalium conſtituitur (§. 508.). Illa ergo hanc non infert, ſeu, illa ſine hac eſſe poteſt.

Eſt quippe ſimilitudo eſſentialis ab entibus, inter quæ obtinet, omnino inſeparabilis, quum accidentalis, quæ inter illa datur, ſimilitudo ab iis removeri poſſit & ſeparari (§. 511.). Hoc modo eſſentialem inter ſe poſſident ſimilitudinem homines, quatenus anima rationali & corpore organico conveniunt; hinc tamen non ſequitur, eos omnes accidentaliter, v. gr. quà eruditionem, pietatem, aliasve qualitates accidentales, ſimiles eſſe. Et licet accidente perpetuo & communi tamdiu conveniant, quamdiu exi-

existunt duo ista plurave entia (§. 383.); hæc tamen convenientia ex posita essentialium identitate minime fluit (§. 365.)

§. 513.

Accidentalis similitudo infert essentialem.

Quæ entia similitudine inter se gaudent accidentali, illa etiam eatenus aliquam inter se habent essentialem similitudinem. Omnia enim & singula, quæ enti convenire possunt, accidentia postulant aliquam in essentia entis dispositionem illa admittendi (§. 376.). Posita itaque identitate qualitatum accidentalium, poni debet eadem dispositio entium essentialis, qualitatis essentialis titulo merito decoranda (§. 463.). Sed illa identitas, quæ inter qualitates accidentales locum habet, accidentalis similitudinis nomine venit, & hæc, quæ inter qualitates duorum pluriumve entium obtinet essentialis, ejusdem nominis constituit similitudinem (§. 508.). Illa ergo sine hac omni esse nequit.

Non hinc sequi putabis quamcunque accidentalem similitudinem essentialium omnium inferre convenientiam: Nam si accidens fuerit commune, quo duo plurave conveniunt entia, ejus inexistendi possibilitas subit vicem attributi communis (§. 384.), cujus identitas, non totius essentiæ, sed quorundam saltem essentialium infert convenientiam (§ 403.). Si autem proprium fuerit accidens, ejus inexistendi possibilitas attributi proprii locum recte tuetur (§. 384.), & id-

& ideodum duo plurave entia hoc conveniunt accidente, integram ſimul inter ſe poſſident omnium eſſentialium convenientiam (§. 404.). Pro hoc itaque qualitatis accidentalis diſcrimine judicium eſt ferendum de ſimilitudine eſſentiali, quam ex accidentali determinari demonſtravimus.

§. 514.

Si exiſtunt duo plurave entia, perfecte & eſſentialiter ſimilia, quæ qualitates accidentales, quantitatem & extrinſecas determinationes admittunt, ſalva ſua perfecta eſſentiali ſimilitudine, qualitatibus accidentalibus, quantitate & extrinſecis determinationibus, utrobique diverſis, a ſe mutuo diſtingui poſſunt. Quæcunque exiſtunt entia, omnimode ſunt determinata (§. 218), ſi itaque & intrinſeca & extrinſeca admittunt, hæc omnia habebunt determinata (§. 217.). Intrinſecas vero determinationes conſtituunt qualitates & quantitates (§. 460.), illæque ſunt vel eſſentiales vel accidentales (§. 463.). Et per hypotheſin ſupponuntur entia, de quibus loquimur, exiſtere, perfectaque & eſſentiali ſimilitudine, quæ omnimoda identitate omnium qualitatum eſſentialium conſtituitur, gaudere, & ad hæc admittere qualitates accidentales, quantitatem & extrinſecas determinationes; erunt itaque duo iſta plurave entia, quoad hæc omnia & ſingula, omni-

Perfecte & eſſentialiter ſimilium diſcrimen.

mode determinata. Perfectam vero essentialem similitudinem non ingreditur nisi convenientia omnium qualitatum essentialium (§. 508.), hac igitur similitudine salva differre possunt illa duo plurave entia qualitatibus accidentalibus, quantitate & determinationibus externis. His ergo a se mutuo distingui possunt (§. 433.).

Sic si deprehendimus duos v. gr. homines non quà animam solum rationalem & corpus organicum, sed & dispositione naturali ad intelligendum, ratiocinandum, hos vel illos habitus animæ & corporis comparandos, inter se non discrepare, essentialem & perfectam eis tribuere licet similitudinem, qua salva, eosdem homines a se mutuo distinguere valemus diverso dispositionum istarum habitu, ejusque gradu, quem unus præ altero actu ipso sibi acquisivit, gestibus, majori & minori statura, loco, & interdum diverso, quo vixêre, tempore.

§. 515.

Partialiter & essentialiter simili-um discrimen.

Si duo plurave entia gaudent similitudine essentiali tantum, sed partiali, quæ in quarundam qualitatum essentialium convenientia versatur, reliquis manentibus diversis; his qualitatibus essentialibus, utrobique diversis, inter se distinguuntur. Et si præterea admittunt qualitates accidentales, quantitatem & extrinsecas determinationes, his inter se mutuo distingui possunt, salva similitudine essentiali, quæ inter

ter illa entia partialiter obtinere ponitur. Quoniam enim inter duo plurave entia tantum essentialis & quidem partialis ponitur similitudo, admittunt quarundam qualitatum essentialium diversitatem. Est vero omnis qualitas determinatio rei intrinseca (§. 469.). Habent itaque hæc entia aliquas determinationes intrinsecas inter se diversas, quibus ergo a se mutuo recte distinguuntur (§. 433.).

Si vero hæc duo plurave entia qualitatibus præterea instructa sunt accidentalibus, quantitate & extrinsecis determinationibus, tum, quia essentialis tantum inter illa ponitur similitudo (per hypoth.), non item accidentalis, quæ ab illa separari potest (§. 512.), & quia quantitas, cum extrinsecis determinationibus, similium non ingreditur notionem (§. §. 493. 494.), tum, inquam, salva sua essentiali similitudine qualitates accidentales, quantitatem & extrinsecas determinationes habere possunt diversas. His ergo a se mutuo recte distinguuntur (§. 433.).

Inter homines & animantia bruta est essentialis similitudo, sed partialis, quatenus nonnisi corpore organico inter se conveniunt. Sed, hac similitudine salva, a se mutuo distinguuntur rationalitate, altero videlicet hominum essentiali, quod brutis non competit; dignoscuntur quoque accidentibus, iis potissimum, quorum possibilitas fundatur in eorum essentiali discrimine;

immo diverſitatem produnt quantitate corporis, & externis determinationibus variis.

§. 516.

Eſſentialiter & accidentaliter, ſed utroque modo partialiter ſimilium diſcrimen.

Si duo plurave entia ſimilitudinem inter ſe tenent eſſentialem & accidentalem, ſed utramque nonniſi partialem; inter ſe mutuo diſtingui poſſunt iis, quibus differunt, tum eſſentialibus, tum accidentalibus, immo & quantitate determinationibusque externis. Hæc theſis, uti & prior illa (§. 415.), in ſe eſt planiſſima, eodemque ac illa modo, mutatis ſaltem mutandis, demonſtratur.

Poſſunt hoc pacto duo ædificia & quà internam ſtructuram, & quà externum apparatum inter ſe partialiter convenire, quæ ergo a ſe mutuo dignoſcimus illa vel internæ ſtructuræ, vel externi apparatus parte, qua inter ſe differunt, loco, quo exiſtunt, diverſo, aliisque extrinſecis circumſtantiis, immo quantitatis diverſitate, quam vel oculorum judicio, vel adhibita menſura, æſtimamus.

§. 517.

Modus generalis diſtinguendi ſimilia.

Explicatis & ſimul cognitis, quibus ſimilia inter ſe diſtingui poſſunt, modis (§. §. 493. 494. 499. 500. 514. 515. 516.) patere arbitror eorum diſcrimen a nobis non poſſe deprehendi prius, *quam mutua eorum facta comparatione*, aut *immediate*, quod fit vel *re ipſa*, dum unum

æque

æque ac alterum externis nostris observamus sensibus, vel *in mente tantum*, dum ideas eorum, quas omnia intrinseca & extrinseca, quibus quocunque modo duo distingui possunt entia, ingrediuntur, nostra vel aliorum opera acquisitas, nobis tamen repræsentatas, inter se mutuo conferimus; aut *mediate*, mediante aliquo tertio, mensuræ loco assumto, adplicando illud utrique similium, ad diversam eorum quantitatem detegendam. Hanc mutuam similium comparationem, termino novo, *compræsentiam* quidam vocarunt, asserentes ea esse similia, quæ nonnisi compræsentia distingui possunt, dissimilia autem contrario se habere modo. Horum e numero, quantum constat, primus est Illustris *Leibnitius*, quem postea secuti sunt Illustr. *Wolfius* in prima Elem. Mathes. editione §. 22. Arithm. & J. J. *Schillingius* in sua Phil. Rat. Cap. VI. §. I. Fatemur quidem similia non posse, nisi mutua hac eorum comparatione, vel, ut laudatis placet viris, compræsentia distingui; eam tamen per hanc non ideo esse definiendam contendimus: Etenim quum definitiones debeant esse planæ atque perspicuæ, seque statim legentium animis sine ulla difficultate insinuare: quum etiam novus hic terminus, nondum explicatis modis, quibus similia a se invicem distinguimus, magna, ut quivis facile percipit, obscuritate laboret; nulli non perspicuum esse pot-

eſt, ſimilium definitionem compræſentiæ vocabulo eo minus conſtitui debere, quo certius eſt illam, ſi a termini, non ſufficienter explicati, obſcuritate liberetur, aliam ſe ſimpliciorem & planiorem præſupponere ſimilium ideam. Hoc perſpiciens ipſe *Wolfius*, admonitione præſertim *Heinrichii*, in altera edit. Elem. Math. §. 24. Arithm. ſententiam ſuam correxit, ſimilium & diſſimilium planas, communique loquendi uſui adaptatas, retinens notiones.

§. 518.

Eidem tertio ſimilia, an ſimilia inter ſe? *Quæ eodem modo ſunt ſimilia eidem tertio, illa quoque inter ſe ſunt ſimilia.* Nam ſi A aliquo modo ſimile eſt τῷ B, & huic eidem B ſimile eſt τὸ C, tunc eædem qualitates, quæ in τῷ A ſunt, dantur in B, & quæ in τῷ C reperiuntur, locum habent in τῷ B (§. 491.). Unde, quia utrobique ſupponitur idem qualitatum modus, eædem qualitates eodem modo inſunt ipſis A & C (§. 421.). Sunt ergo hæc A & C inter ſe ſimilia (§. 491.).

Ab aliis, hanc eandem regulam ita exprimentibus: *quæ ſimilia ſunt eidem tertio, ſimilia ſunt inter ſe*, vitandi omnis in adplicatione erroris cauſa, merito diſceſſimus, poſtulantes utrobique eundem relationis modum: Nam quamvis omnis accidentalis ſimilitudo inferat aliquam in eſſentiis convenientiam (§. 513.), quia tamen niſi accidens

cidens fuerit proprium, non involvit omnium essentialium inter duo entia similitudinem, quia etiam ab unius essentialis, quæ fundamentum esse potest alicujus accidentis communis, convenientia ad reliquorum identitatem non est colligendum; posita similitudine accidentali inter duo entia A & B, & essentiali inter B & C, non sequitur A & C, invicem relata, vel essentialiter vel accidentaliter esse similia. Ut ergo regulæ verissimæ suus constet in adplicatione usus, suus rigor, jure requisivimus eundem utrobique relationis modum, vel essentialem vel accidentalem: in priori casu essentialis oritur inter extrema A & C similitudo, in posteriori nonnisi accidentalis.

Generale hoc, quod demonstravimus, enunciatum ad varios casus speciales transferunt Geometræ, docentes ad ductum prop. 11. El. VI. *rationes similes eidem tertiæ esse similes inter se*, & ad prop. 21. El. VI. *figuras rectilineas eidem rectilineo similes, inter se similes esse*. Aliaque ejusmodi, quibus nulla veritas & certitudo competeret, nisi huic nostræ sua constaret evidentia. Verum, ut magis pateat principiorum Metaphysices in Mathesi adplicatio, alias, eidem inservituras fini, addere placet propositiones.

§. 519.

Similitudo ex rationis identitate pendens.

Si quantitates in duobus, vel pluribus entibus obviæ, eandem inter se, singulæ singulis relatæ, habuerint rationem, similia erunt ista duo plurave entia. Hoc est si fuerint duo entia A & B, fuerintque quantitates in τῷ A obviæ c, e, f, in

in τῷ B vero *g*, *h*, *k*, ita ut *c* fit ad *e*, ut *g* ad *h*, & *e* ad *f* ut *b* ad *k*, *c* ad *f*, ut *g* ad *k*; dico A & B esse similia. Hæ enim rationes, quas habent quantitates in uno ente obviæ, in qualitatum veniunt numerum (§. 476.), eædemque sunt in duobus entibus (per hypoth.). Datur ergo inter hæc entia qualitatum identitas, similitudinem constituens (§. 491.).

Huic principio insistit *Euclidis* demonstratio in prop. V. El. VI. *qua ostendit duo triangula, quæ latera habent proportionalia, esse æquiangula & similia.* In idem ultimato principium resolvuntur propositiones XVI. XVII. El. VI. aliæque plures, ut adeo de hujus propositionis in Mathesi usu non sit dubitandum.

§. 520.

Similitudo essentialis ex rationis identitate pendens.

Si quantitates essentiales, in duobus vel pluribus entibus obviæ, singulæ ad singulas relatæ, eandem inter se habuerint rationem, essentialiter similia erunt illa duo plurave entia. Rationes enim, quas habent quantitates essentiales, in entibus obviæ, sunt eorum qualitates essentiales (§. 479). Sed ponuntur hæ rationes eædem (per hypoth.); Eædem ergo in his entibus obviæ sunt qualitates essentiales, quibus idcirco essentialiter constituuntur similia (§. 508.).

Spectant huc exempla, ad § præced. allata, Triangulorum enim & figurarum, quæ in Geometria

tria traditur, similitudo originem traxit ex ratione quantitatum essentialium in iis. Essentiale quippe est, quod omnis figura rectilinea includatur rectis lineis, in longitudinem extensis. Quod vero hæc vel illa sit linearum longitudo, illud ipsis figuris non est essentiale, sed salva figurarum essentia, & salva laterum proportione, aliud esse potest & aliud.

§. 521.

Æqualium & inæqualium definitiones.

Æqualia sunt, quorum eadem est quantitas. *Inæqualia* contrà, quorum diversa est quantitas. Ut adeo in abstracto *æqualitatem* collocemus in quantitatis identitate; Quemadmodum *Inæqualitatem* in quantitatis diversitate.

Sunt hæ æqualitatis & inæqualitatis notiones usui communi, & constanti Mathematicorum praxi admodum familiares, in veterum etiam Scholis multum frequentatæ: *Aristoteles* enim L. V. Met. cap. XV. *æqualia* statuit *quorum una est quantitas*. Canonem hinc formarunt Aristotelici: *maxime proprium est quantitati dici æquale & inæquale*. Quem ad ductum Aristotelis explicaturus *Hunnius* in Canon. Log. p. 413. dicit *in omni ente, cum alio comparato, esse convenientiam quandam aut disconvenientiam, quæ in substantiis adpellatur identitas & diversitas, in qualitate similitudo & dissimilitudo, in quantitate æqualitas & inæqualitas*. Fuêre quidem multi, ut *Fonseca* L. V. Metaph. Cap. XIII. Q. 13. S. I. narrat, qui hanc proprietatem quantitati denegare voluerunt; omnia tamen, quæ pro negativa sen-

tentia adferunt, argumenta tam parvi, meo quidem judicio, sunt æstimanda, ut non judicentur digna, quod aliquid chartæ & temporis vel iis enumerandis impendatur: ubique enim sensum relativum cum absoluto confundunt, quasi æqualitas & inæqualitas dicerentur de una quantitate, sine ulla ad aliam vel quasi aliam facta relatione, quod tamen nemo unquam statuit: semper enim eo in casu, & quidem hoc solo, locum habent æqualitas & inæqualitas, quando entia, vel unum ens cum se ipso, quà quantitatem comparantur, secundum convenientiam, vel disconvenientiam.

Sensus æqualitatis Theologicus. Licet æqualitas potius sit affectio entis finiti, quam Infiniti, proprieque & rigorose nihil aliud involvat, quam quod jam expressimus; solent tamen Theologi in articulis de S. S. Trinitate, & de Christo, alio sensu hoc adhibere vocabulum: Dicunt enim Tres in S. S. Trinitate personas esse sibi mutuo æquales, & Filium æqualem Patri. Sed respondet hoc in casu æqualitas voci Græcorum, ὁμοȣ́σιος, adeoque non quantitatis, sed essentiæ denotat identitatem. Hæc æqualitatis notio, etsi in Metaphysicis non sit in usu, observanda tamen est, ut eo melius obviam ire possimus Photinianis, qui Metaphysicorum regulis, jam jam adferendis, pessime abutuntur ad negandam Christi Divinitatem.

§. 522.

Æqualium substitutio, & inæqua- Immediate ex allatis sequitur definitionibus: *Quæ æqualia sunt, sibi mutuo substitui posse salva quantitate*

tate (§. 389.): &, *quæ inæqualia sunt, sibi invicem substitui non posse quantitate salva* (§. 390.). Immo vice versa: *Quæcunque sibi mutuo, salva quantitate, substitui possunt, eandem habere quantitatem* (§. 389.), *æqualitatemque ergo inter se tueri* (§. 521.). Et, *quæ sibi mutuo substitui nequeunt, salva quantitate, esse quà quantitatem diversa* (§. 391.), *proindeque inæqualia* (§. 521.). *lium substitutionis negatio.*

His axiomatibus sæpius utuntur Mathematici non modo in variis propositionibus legitime demonstrandis, sed iisdem quoque innituntur plura, quæ apud illos occurrunt, axiomata.

§. 523.

Nec minori certitudine & evidentia claret hæc propositio: *Idem quantum sibimetipsi est æquale.* Nam dum idem quantum A ad se ipsum referimus, unum tanquam duo consideramus, adeoque idem bis ponimus, scilicet, quod B sit A, & C sit A. Quam ob rem, quum A heic consideretur ut aliquod tertium, cum quo B & C sunt, quà quantitatem, eadem; sunt quoque inter se eadem (§. 421.), æqualitatemque idcirco inter se possident (§. 521.): hoc est, A est sibi ipsi æquale. *Idem sibi æquale.*

Certum quidem est æqualitatis ideam esse relativam, & ideo proprie loquendo versari inter duo plurave quanta; quatenus tamen idem ad se ipsum, etiam in vita communi (ubi v. gr. di-

cere

Inter axiomata *Euclidis* El. I. primum obtinet hæc propositio locum, cuivis adeo familiaris & nota, ut nemo, vel ex infima plebe, de illius dubitet certitudine. Hinc etiam sine demonstratione ab Euclide assumitur. Nec opus habuit Euclides illam demonstratione munire, cum egregia ejus versaretur opera non in integro systemate Philosophico conscribendo, sed in particulari pertractanda disciplina, in qua multa assumere licet axiomatice, quæ tamen demonstranda sunt in Metaphysica, in qua nulla diligentia & solicitudo nimia censeri debet, quæ primis scientiarum fundamentis stabiliendis impenditur. Longe præstat ut multæ demonstrationes redundare, quam ut una videatur deficere, ne Sceptici vel minutissimam habeant de certitudine scientiarum subdubitandi ansam.

§. 526.

Æqualia æqualibus sunt inter se æqualia, seu, si A est æquale τῷ B, C τῷ D, & D τῷ B, dico A & C esse æqualia. Quoniam enim A est æquale τῷ B, & D τῷ B (per hypoth.), erit A æquale τῷ D (§. 525.); sed jam est quoque ex hypothesi C æquale τῷ D, ergo A æquale τῷ C (§. cit.).

Alii cum *Baumeistero* in Metaph. §. 126. hanc regulam ita efferendam volunt: *Si A & B sunt æqualia mensuris C & D, & mensuræ C & D sunt sibi ipsæ æquales, intelligitur ipsa quoque A & B sibi ipsa esse æqualia.* Sed est hæc regula specialis casus, sub nostra, ceu generali, comprehensus.

CAP.

CAPUT V.
DE
ENTE SINGULARI ET UNIVERSALI.

§. 527.

Præmiſſis, quæ ad ens ſingulare & univerſale plenius intelligendum facere putamus, hanc adgredi conabimur doctrinam, quæ tanto diligentiorem meretur explicationem, quanto frequentior ejus ubique eſt uſus: Certum quippe, immo certiſſimum eſt, objecta omnium diſciplinarum, Theologiam Naturalem ſi exceperis, eſſe entia magis vel minus univerſalia, noſtræque Metaphyſicæ eſſe ens univerſaliſſimum (§. 10. conf. §. 25.); Evidens eſt Theologiam Naturalem ſine univerſalibus principiis & ideis demonſtrativam exhiberi non poſſe (§. 25.): Perſpicuum quoque ſine debita conſideratione ſingularium & univerſalium evaneſcere omnem in definiendo exactitudinem, in judicando rigorem, & in ratiocinando indubitatam concludendi rationem. Sudo itaque clarius eſt cœlo diſtinctionem inter ens univerſale & ſingulare ampliſſimi eſſe uſus, & in omnibus occurrere diſciplinis, illamque proinde, diligentiorem,

Neceſſita & uſus hujus Doctrinæ.

est, similium definitionem compræsentiæ vocabulo eo minus constitui debere, quo certius est illam, si a termini, non sufficienter explicati, obscuritate liberetur, aliam se simpliciorem & planiorem præsupponere similium ideam. Hoc perspiciens ipse *Wolfius*, admonitione præsertim *Heinrichii*, in altera edit. Elem. Math. §. 24. Arithm. sententiam suam correxit, similium & dissimilium planas, communique loquendi usui adaptatas, retinens notiones.

§. 518.

Eidem tertio similia, an similia inter se?

Quæ eodem modo sunt similia eidem tertio, illa quoque inter se sunt similia. Nam si A aliquo modo simile est τῷ B, & huic eidem B simile est τὸ C, tunc eædem qualitates, quæ in τῷ A sunt, dantur in B, & quæ in τῷ C reperiuntur, locum habent in τῷ B (§. 491.). Unde, quia utrobique supponitur idem qualitatum modus, eædem qualitates eodem modo insunt ipsis A & C (§. 421.). Sunt ergo hæc A & C inter se similia (§. 491.).

Ab aliis, hanc eandem regulam ita exprimentibus: *quæ similia sunt eidem tertio, similia sunt inter se*, vitandi omnis in adplicatione erroris caussa, merito discessimus, postulantes utrobique eundem relationis modum: Nam quamvis omnis accidentalis similitudo inferat aliquam in essentiis convenientiam (§. 513.), quia tamen nisi accidens

cidens fuerit proprium, non involvit omnium essentialium inter duo entia similitudinem, quia etiam ab unius essentialis, quæ fundamentum esse potest alicujus accidentis communis, convenientia ad reliquorum identitatem non est colligendum; posita similitudine accidentali inter duo entia A & B, & essentiali inter B & C, non sequitur A & C, invicem relata, vel essentialiter vel accidentaliter esse similia. Ut ergo regulæ verissimæ suus constet in adplicatione usus, suus rigor, jure requisivimus eundem utrobique relationis modum, vel essentialem vel accidentalem: in priori casu essentialis oritur inter extrema A & C similitudo, in posteriori nonnisi accidentalis.

Generale hoc, quod demonstravimus, enunciatum ad varios casus speciales transferunt Geometræ, docentes ad ductum prop. 11. El. VI. *rationes similes eidem tertiæ esse similes inter se*, & ad prop. 21. El. VI. *figuras rectilineas eidem rectilineo similes, inter se similes esse.* Aliaque ejusmodi, quibus nulla veritas & certitudo competeret, nisi huic nostræ sua constaret evidentia. Verum, ut magis pateat principiorum Metaphysices in Mathesi adplicatio, alias, eidem inservituras fini, addere placet propositiones.

§. 519.

Similitudo ex rationis identitate pendens.

Si quantitates in duobus, vel pluribus entibus obviæ, eandem inter se, singulæ singulis relatæ, habuerint rationem, similia erunt ista duo plurave entia. Hoc est si fuerint duo entia A & B, fuerintque quantitates in τῷ A obviæ c, e, f,

in τῷ B vero *g*, *h*, *k*, ita ut *c* sit ad *e*, ut *g* ad *h*, & *e* ad *f* ut *h* ad *k*, *c* ad *f*, ut *g* ad *k*; dico A & B esse similia. Hæ enim rationes, quas habent quantitates in uno ente obviæ, in qualitatum veniunt numerum (§. 476.), eædemque sunt in duobus entibus (per hypoth.). Datur ergo inter hæc entia qualitatum identitas, similitudinem constituens (§. 491.).

Huic principio insistit *Euclidis* demonstratio in prop. V. El. VI. *qua ostendit duo triangula, quæ latera habent proportionalia, esse æquiangula & similia.* In idem ultimato principium resolvuntur propositiones XVI. XVII. El. VI. aliæque plures, ut adeo de hujus propositionis in Mathesi usu non sit dubitandum.

§. 520.

Similitudo essentialis ex rationis identitate pendens. *Si quantitates essentiales, in duobus vel pluribus entibus obviæ, singulæ ad singulas relatæ, eandem inter se habuerint rationem, essentialiter similia erunt illa duo plurave entia.* Rationes enim, quas habent quantitates essentiales, in entibus obviæ, sunt eorum qualitates essentiales (§. 479.). Sed ponuntur hæ rationes eædem (per hypoth.); Eædem ergo in his entibus obviæ sunt qualitates essentiales, quibus idcirco essentialiter constituuntur similia (§. 508.).

Spectant huc exempla, ad § præced. allata, Triangulorum enim & figurarum, quæ in Geometria

tria traditur, ſimilitudo originem traxit ex ratione quantitatum eſſentialium in iis. Eſſentiale quippe eſt, quod omnis figura rectilinea includatur rectis lineis, in longitudinem extenſis. Quod vero hæc vel illa ſit linearum longitudo, illud ipſis figuris non eſt eſſentiale, ſed ſalva figurarum eſſentia, & ſalva laterum proportione, aliud eſſe poteſt & aliud.

§. 521.

Æqualium & inæqualium definitiones.

Æqualia ſunt, quorum eadem eſt quantitas. *Inæqualia* contrà, quorum diverſa eſt quantitas. Ut adeo in abſtracto *æqualitatem* collocemus in quantitatis identitate; Quemadmodum *Inæqualitatem* in quantitatis diverſitate.

Sunt hæ æqualitatis & inæqualitatis notiones uſui communi, & conſtanti Mathematicorum praxi admodum familiares, in veterum etiam Scholis multum frequentatæ: *Ariſtoteles* enim L. V. Met. cap. XV. *æqualia* ſtatuit *quorum una eſt quantitas*. Canonem hinc formarunt Ariſtotelici: *maxime proprium eſt quantitati dici æquale & inæquale*. Quem ad ductum Ariſtotelis explicaturus *Hunnius* in Canon. Log. p. 413. dicit *in omni ente, cum alio comparato, eſſe convenientiam quandam aut diſconvenientiam, quæ in ſubſtantiis adpellatur identitas & diverſitas, in qualitate ſimilitudo & diſſimilitudo, in quantitate æqualitas & inæqualitas*. Fuêre quidem multi, ut *Fonſeca* L. V. Metaph. Cap. XIII. Q. 13. S. I. narrat, qui hanc proprietatem quantitati denegare voluerunt; omnia tamen, quæ pro negativa ſen-

tentia adferunt, argumenta tam parvi, meo quidem judicio, sunt æstimanda, ut non judicentur digna, quod aliquid chartæ & temporis vel iis enumerandis impendatur: ubique enim sensum relativum cum absoluto confundunt, quasi æqualitas & inæqualitas dicerentur de una quantitate, sine ulla ad aliam vel quasi aliam facta relatione, quod tamen nemo unquam statuit: semper enim eo in casu, & quidem hoc solo, locum habent æqualitas & inæqualitas, quando entia, vel unum ens cum se ipso, quà quantitatem comparantur, secundum convenientiam, vel disconvenientiam.

Sensus æqualitatis Theologicus. Licet æqualitas potius sit affectio entis finiti, quam Infiniti, proprieque & rigorose nihil aliud involvat, quam quod jam expressimus; solent tamen Theologi in articulis de S. S. Trinitate, & de Christo, alio sensu hoc adhibere vocabulum: Dicunt enim Tres in S. S. Trinitate personas esse sibi mutuo æquales, & Filium æqualem Patri. Sed respondet hoc in casu æqualitas voci Græcorum, *ὁμοούσιος*, adeoque non quantitatis, sed essentiæ denotat identitatem. Hæc æqualitatis notio, etsi in Metaphysicis non sit in usu, observanda tamen est, ut eo melius obviam ire possimus Photinianis, qui Metaphysicorum regulis, jam jam adferendis, pessime abutuntur ad negandam Christi Divinitatem.

§. 522.

Æqualium substitutio, & inæqua- Immediate ex allatis sequitur definitionibus: *Quæ æqualia sunt, sibi mutuo substitui posse salva quantitate*

tate (§. 389.): &, *quæ inæqualia sunt, sibi invicem substitui non posse quantitate salva* (§. 390.). Immo vice versa: *Quæcunque sibi mutuo, salva quantitate, substitui possunt, eandem habere quantitatem* (§. 389.), *æqualitatemque ergo inter se tueri* (§. 521.). Et, *quæ sibi mutuo substitui nequeunt, salva quantitate, esse quà quantitatem diversa* (§. 391.), *proindeque inæqualia* (§. 521.).

lium substitutionis negatio.

His axiomatibus sæpius utuntur Mathematici non modo in variis propositionibus legitime demonstrandis, sed iisdem quoque innituntur plura, quæ apud illos occurrunt, axiomata.

§. 523.

Nec minori certitudine & evidentia claret hæc propositio: *Idem quantum sibimetipsi est æquale.* Nam dum idem quantum A ad se ipsum referimus, unum tanquam duo consideramus, adeoque idem bis ponimus, scilicet, quod B sit A, & C sit A. Quam ob rem, quum A heic consideretur ut aliquod tertium, cum quo B & C sunt, quà quantitatem, eadem; sunt quoque inter se eadem (§. 421.), æqualitatemque idcirco inter se possident (§. 521.): hoc est, A est sibi ipsi æquale.

Idem sibi æquale.

Certum quidem est æqualitatis ideam esse relativam, & ideo proprie loquendo versari inter duo plurave quanta; quatenus tamen idem ad se ipsum, etiam in vita communi (ubi v. gr. di-

cere

cere solemus, Petrus est idem Petrus) referimus, eatenus inde tum Mathematici, apud quos hunc canonem videre licet, tum Philosophi occasionem sibi sumsêre, æqualitatem de eodem quanto enunciandi, idem quantum ad se ipsum sub diversa fictione referentes, utilissima sane & maxime necessaria ad complendas demonstrationes, quibus evincere solent Geometræ triangulorum, quæ habent latus commune, æqualitatem, secundum Propos. IV. VIII. & XXVI. El. I. Quod nemo in Geometricis vel parum versatus ignorare potest.

§. 521.

Æqualium diversitas. *Si fuerint duo entia A & B, & A fuerit æquale ipsi B, A non est unum idemque cum B, seu, ens unum A, æquale alteri B, non est unum idemque cum altero.* Nam si A esset cum B unum idemque, quia eidem æquale, inferret æqualitas omnimodam omnium prædicatorum entium A & B convenientiam (§. 391.); sed non tantæ amplitudinis est æqualitas, quantitatum modo inferens identitatem, non autem qualitatum, prædicatorumque externorum (§. 521.). Ens ergo unum A, æquale alteri B, non est unum idemque cum altero.

Alii cum *Calovio* in Script. Phil. p. 573. hunc canonem ita exprimere solent: *æquale non est idem*. Quæ enunciatio cum nostra, quà rem ipsam plane coincidit, etsi quà verba, mox explicata (§. 523.), opposita videatur, cujus vitandi causa magis determinate illam exprimere maluimus. Ce-

Ceterum perverse utuntur hac regula Photiniani, ita argumentantes: *æquale non est idem, at Christus est Patri suo æqualis; Ergo non est idem & ipse Deus.* Sic *Crellius* L. I. S. 2. Cap. XXXVI. *æquale*, ait, *semper aliam habet essentiam ab eo, cui æquale est, alias idem foret æquale sibi ipsi, cum tamen æqualia relata, & porro opposita sint.* Sed agit præsens regula, quæ majorem, in adducto syllogismo, constituit propositionem, de æqualitate proprie sic dicta, extra quantitatis identitatem non extendenda, agit, inquam, ut ex ipsa ejus liquet demonstratione, qua ostendimus ex notione æqualitatis removendam esse identitatem qualitatum: Minor vero propositio loquitur de æqualitate in sensu Theologico, quo integræ essentiæ denotat identitatem. Quatuor ergo in his binis propositionibus occurrunt termini, vitiosum reddentes adductum syllogismum. Deinde alio adhuc vitio laborat Crellii figmentum, putat enim idem non posse esse sibi æquale, quod tamen non esse absurdum mox demonstrata evincunt (§. 423.). *Usus Theologicus.*

§. 525.

Æqualia eidem tertio, æqualia sunt inter se. Si A est æquale τῷ B, & C eidem B æquale, dico A & C esse æqualia. Quia enim C est æquale τῷ B (per hypoth.), C poni potest loco τȣ B, salva quantitate (§. 522.); sed facta substitutione in eo casu ubi A ad B ratione ejusdem quantitatis refertur, oritur A æquale τῷ C. Quod ostendere debuimus. *Æqualitas cum tertio.*

In-

Inter axiomata *Euclidis* El. I. primum obtinet hæc propoſitio locum, cuivis adeo familiaris & nota, ut nemo, vel ex infima plebe, de illius dubitet certitudine. Hinc etiam ſine demonſtratione ab Euclide aſſumitur. Nec opus habuit Euclides illam demonſtratione munire, cum egregia ejus verſaretur opera non in integro ſyſtemate Philoſophico conſcribendo, ſed in particulari pertractanda diſciplina, in qua multa aſſumere licet axiomatice, quæ tamen demonſtranda ſunt in Metaphyſica, in qua nulla diligentia & ſolicitudo nimia cenſeri debet, quæ primis ſcientiarum fundamentis ſtabiliendis impenditur. Longe præſtat ut multæ demonſtrationes redundare, quam ut una videatur deficere, ne Sceptici vel minutiſſimam habeant de certitudine ſcientiarum ſubdubitandi anſam.

§. 526.

Æqualia æqualibus ſunt inter ſe æqualia, ſeu, ſi A eſt æquale τῷ B, C τῷ D, & D τῷ B, dico A & C eſſe æqualia. Quoniam enim A eſt æquale τῷ B, & D τῷ B (per hypoth.), erit A æquale τῷ D (§. 525.); ſed jam eſt quoque ex hypotheſi C æquale τῷ D, ergo A æquale τῷ C (§. cit.).

Alii cum *Baumeiſtero* in Metaph. §. 126. hanc regulam ita efferendam volunt: *Si A & B ſunt æqualia menſuris C & D, & menſuræ C & D ſunt ſibi ipſæ æquales, intelligitur ipſa quoque A & B ſibi ipſa eſſe æqualia.* Sed eſt hæc regula ſpecialis caſus, ſub noſtra, ceu generali, comprehenſus.

CAP.

CAPUT V.
DE
ENTE SINGULARI ET UNIVERSALI.

§. 527.

Necessitas & usus hujus Doctrinæ.

Præmissis, quæ ad ens singulare & universale plenius intelligendum facere putamus, hanc adgredi conabimur doctrinam, quæ tanto diligentiorem meretur explicationem, quanto frequentior ejus ubique est usus: Certum quippe, immo certissimum est, objecta omnium disciplinarum, Theologiam Naturalem si exceperis, esse entia magis vel minus universalia, nostræque Metaphysicæ esse ens universalissimum (§. 10. conf. §. 25.); Evidens est Theologiam Naturalem sine universalibus principiis & ideis demonstrativam exhiberi non posse (§. 25.): Perspicuum quoque sine debita consideratione singularium & universalium evanescere omnem in definiendo exactitudinem, in judicando rigorem, & in ratiocinando indubitatam concludendi rationem. Sudo itaque clarius est cœlo distinctionem inter ens universale & singulare amplissimi esse usus, & in omnibus occurrere disciplinis, illamque proinde, diligentiorem,

rem, quam hoc capite tradere constituimus, mereri expositionem.

§. 528.

Entis singularis definitio. Quicquid existit, seu actu datur, *Ens singulare*, seu *Individuum*, vocare mos est. Quia vero quicquid existit, vel actu datur, omnimode est determinatum (§. 218.), & vicissim, quod omnimode determinatum est, existit (§. 219.); recte definimus *Ens singulare* per illud, quod omnimode est determinatum.

Bene observavit *Illustris Wolfius* ad §. 227. Ontol. formulas Algebraicas omnium optime illustrare notionem entis singularis, si pro literis substituuntur notae numericae. Ex gr. sit pro determinanda summa progressionis Geometricae adscendentis haec formula $x = \frac{bv - ba + a}{b - a}$. ubi x denotat summam, *a* terminum primnm, *b* secundum, *v* ultimum. Si determinas *a*, quod sit unitati aequalis, abit illa formula in hanc $x = \frac{bv - b + 1}{b - 1}$. Nondum tamen *x* ut singularis summa agnoscitur; Addo itaque *b* esse aequale numero ternario. Hinc magis determinata oritur formula: $x = \frac{3v - 3 + 1}{2}$. quae tamen etiamnum non constituit singularem summam *x*. Sit itaque $v = 81$. Ergo exsurgit formula: $x = \frac{3 \times 81 - 3 + 1}{2} = 121$. in qua nihil adest indeterminati; quae etiam summam x, ut numerum

rum singularem, exprimit. Abit ergo formula in singularem, si nihil eorum, quæ ad illam pertinent, possidet indeterminati, h. e. si omnimode determinata evadit. Eodem plane modo dicimus *Petrum* & *Paulum* Apostolos entia esse singularia, quatenus in illis est ratio decidendi omnem quæstionem, quæcunque tandem de iis potest formari, seu, quatenus omnimode determinata sunt.

Neque hæc entis singularis notio Veterum Philosophorum effatis inimica deprehenditur, utut ab illis distincte non sit animadversa. Ipse *Aristoteles* L. III. Metaph. Cap. IV. hoc modo singulare definit: τὸ γὰρ ἀριθμῷ ἕν, ἢ τὸ καθ' ἕκαστον λέγειν διαφέρει, οὐτὲν· οὕτω γὰρ λέγομεν τὸ καθ' ἕκαστον, τῷ ἀριθμῷ ἕν. καθόλου δὲ, τὸ ἐπὶ τούτων. *Unum numero, an singulare dicas, nihil interest: Etenim hoc pacto singulare exponimus, quod numero est unum: universale vero quod in his est.* Pluribus quidem modis aliquid unum numero Aristoteli dicitur, ut ex L. I. Top. Cap. 5. observat *Musæus* in Metaph. Cap. XXXII. Singulare tamen non quocunque modo unum numero est, sed eo præcise, quo *Aristoteles* L. V. Metaph. Cap. VI. vocat aliquid *unum omnino*. Et hoc modo illa unum esse dicit, quorum *ratio quidditativa indivisibilis est, & nec tempore, nec loco, nec ratione separari potest.* Non quod plane & simpliciter re dividi non possit, quod unum omnino dicitur, nam sic nullum compositum esset hoc modo unum; sed quod dividi nequeat in plura talia, quale ipsum adæquate est. Hoc vero fieri nequit nisi ex consideratione eorum, quæ quocunque modo ei conveniunt, quod o-

mnimode unum dicitur, dari possit determinata responsio ad quamvis de eo instituendam quæstionem. Est ergo secundum mentem Aristotelis ens singulare, quod est numero omnimode unum, seu, quod est omnimode determinatum (conf. §. 217.). Alii *Porphyrium*, qui Cap. de Specie dicit individuum esse, quod *ex hisce constat proprietatibus* (intelligit determinationes), *quarum collectio alteri cuiquam eadem prorsus minime convenit.* Porphyrium, inquam, sine dubio respicientes *Svarezius* Disput. Metaph. IV. Sect. I. *Mendoza* Disp. Metaph. IV. Sect. V. & *Franc. Bonæ Spei* Disp. log. V. Dub. I. Resol. I. paulo uberius individuum describere amant per id, quod *habet differentiam intrinsecam, nulli alteri communicabilem, sic, ut ratione illius ipsi repugnet dividi in plura, quorum unum quodque sit adæquate idem cum ipso.* Hinc est quod *Micrælius* in Lex. Phil. sub tit. *individ.* quinque enumeret individui requisita, quod scil. 1:o) sub generibus & speciebus ad certas existentiæ circumstantias sit determinatum, 2:do adeoque hic & nunc sit, 3:o) cujus proprietates omnes simul non conveniant alteri, 4:o) nec possit individuum dividi in multa ejusdem rationis, seu, non sit communicabile pluribus inferioribus, 5:o) de uno solo prædicari possit. Qui hæc Micræliana accuratiori perpendit lance, & cum Porphyreo-Svarezianis confert, facilis nobiscum intelliget primum, quod allegat Micrælius, requisitum, omnimodæ determinationis titulo insigniendum (§. 217.), esse fundamentum reliquorum omnium, quæ potius per modum consectariorum considerari debent, quam ut distin-

stincta prædicata, individui quæ ingrediantur definitionem. Recte ergo, etiam secundum mentem veterum Philosophorum definimus individuum per id, quod omnimode est determinatum.

§. 529.

Individui perfecta identitas. Illa vocavimus omnimode seu perfecte eadem, quæ omnium & singulorum prædicatorum absolvuntur convenientia (§. 391.). Idem ergo, rigorose loquendo, eousque manet individuum, quousque omnem, ne tantilla excepta, eandam habet, quam antea habuit, determinationem, seu, quousque eandem constanter retinet determinationem (§. 528.). Ubi vero alia accedit, vel, quæ adfuit, perit, aut mutatur determinatio, perfecte idem manere nequit individuum (§. 391.).

Habet hoc consectarium usum non exiguum, ut in multis aliis controversiis, sic potissimum in illa, quam cum Materialistis habemus; contra hos enim recte urgemus, quicquid in nobis cogitat, idem manere, absoluta quadam cogitatione, quod erat ante eam susceptam: Nullum vero compositum in rerum imaginibus formandis, earundemque discrimine notando idem manere in individuo subjectum, sed intrinsecis affici mutationibus; quod ergo in nobis cogitat, non posse compositum esse, sed simplex. Sed excipiunt Materialistæ: *Si compositum in rerum imaginibus formandis, & earum discrimine observando occupatum non maneret idem individuum, tum & quod nos circumgestamus corpus, quia circulatio-*

ne sanguinis perpetua, perenni spirituum animalium agitatione, & fluidarum partium mutatione constanter alteratur, singulis momentis fieret aliud & aliud, quod tamen nemo dicet. Qui autem præsens, quod allegavimus, cogitat corollarium, haud difficulter contra Materialistas ostendit, accurate loquendo, non manere corpus nostrum singulis momentis idem individuum, quum continuæ subjaceat mutationi, &, ut ex *Sanctorii* observatis, circa insensibilem transpirationem, colligit Cl. *Bernoullius* in Differt. de Nutrit. absoluto decennio pereat totum, alia succedente massa. Sed ut pateat quo sensu vulgus, qui nimia haud raro in loquendo ludere solet inconstantia, dicat se idem hodie possidere corpus, quod habuit heri, aliqua, hanc illustratura rem, addere placet.

§. 530.

Accidens primitivum & derivativum.

Quid accidens in genere sit, antea explicuimus (§. 364.), pariterque vidimus nullum accidens nisi existenti competere (§. 367.), illudque omne mutabile esse & inconstans (§. 366.). Indicavimus quoque dari ens, vel potius existens, cujus existentiæ ratio sufficiens non continetur in ejus absoluta possibilitate (§. 242.), quam ens vi essentiæ tenet (§. 324). Ipsa ergo hujus entis existentia nequit esse ejus attributum (§. 340.), sed accidentium classi est accensenda (§. 364.), quæ tamen, quia nonnisi existenti competunt accidentia, prius ponenda est, quam ponere licet reliqua

eis

eis competere accidentia. Recte hinc dispescere licet accidentia in *Primitiva* & *Derivativa*: *illa* sunt, ex quibus reliqui omnes intelliguntur, quorum exemplum præbet ipsa rerum genesis & existentia. *Hæc* vero sunt, quæ ab existentia pendent, eamque varie & mutabiliter afficiunt.

§. 531.

Individuum mutatum an idem?

Quamvis rigorose loquendo non maneat idem individuum, vel tantillo in omnimoda ejus determinatione alterato (§. 529.); facit tamen vulgi in loquendo inconstantia, ut *idem* haud raro dicant *individuum*, quod accidens primitivum retinet, licet multa derivativa adpareant mutata.

Hoc sensu dicunt homines se possidere idem corpus trecesimo v. gr. ætatis suæ anno, quod vicesimo tenuere, quatenus æque jam ac antea existit, eandemque specie retinet constitutionem, licet re ipsa, ut Physici ostendere volunt, quà internam constitutionem harum vel istarum partium, omnino sit alterum. Simili dictionis genere eandem adpellant domum, cujus fundamentum & muri, tanquam partes principales, conservantur, licet reliqua omnia, ceu partes minus principales, pereant. Eadem putatur civitas, quæ ante centum annos fuit, quamvis alii nunc existant omnes cives, quam tum fuêre.

§. 532.

Impossibilitas duorum

Duo plurave entia singularia, seu individua, perfecte eadem dari ne-

ipſo in ſingulari affirmatur, ubi dico hunc Paulum eſſe hunc Paulum & non alium, ſeu hunc Paulum bis non exiſtere, vel in binos Paulos non eſſe diviſum. Sic M. Tullius & Cicero, quatenus utrumque nomen eundem deſignat hominem, de ſe ipſo in ſingulari affirmatur, & bis ſub hac hypotheſi exiſtere nequit.

Daniel Stahlius in Tabulis Metaph. p. 19. dicit *Numero unum, ſeu unum omnino eſſe, quod re & ratione eſt idem.* Scilicet, quod non modo de una re affirmatur, uti aliquod ſpeciale prædicatum de hoc vel illo individuo, ſed quod omni conceptu, quem de illo habere licet, idem denotat, ſeu, quod omnimodam negationem diverſitatis a ſe ipſo in conceptu ſuo involvit.

§. 535.

Numero ejusdem & individui reciproca.

Prona hinc fluit conſequentia omne individuum eſſe idem numero, & viciſſim, idem numero eſſe individuum. Dari enim nequeunt duo individua perfecte eadem (§. 532.); nullum ergo individuum bis exiſtere poteſt, & per conſequens eſt idem numero (§. 534.).

Viciſſim idem numero de ſe ipſo in ſingulari affirmari poteſt (§. 534.). Non ergo poteſt non ens eſſe ſingulare, ſeu individuum (§. 528.).

Hinc, ut antea audivimus ad §. 528. definivit *Ariſtoteles* individuum per id, quod eſt unum numero. Hinc etiam Ariſtotelicorum non pauci vocant illud *unum individuale, ſingulare, hoc aliquid.*

§. 536.

Principii individuationis definitio. **Principium individuationis** est id, unde intelligitur cur ens aliquod sit individuum, & per quod individuum unum ab alio quovis differt.

Hanc principii individuationis notionem menti veterum Philosophorum conformem esse, multa, quæ apud eos occurrunt, dicta ostendunt, licet non diffitear magnam in illis regnare confusionem, quam tamen perbrevi opera extricare conabor. *Suarezius* Disp. V. Metaph. p. 92. T. I. Disputationem de unitate individuali ejusque principio inchoaturus, hæc habet verba: *Tria in hac disputatione inquiremus, primum an hæc unitas omnibus rebus existentibus conveniat, deinde quid sit, ac denique quod principium, seu radicem, in singulis habeat.* Principio ergo individuationis id denotatum voluit, unde intelligitur unitas individualis. *Scotus* 2. Dist. 3. totis septem quæstionibus & in Reportat. super. 2 sent. Dist. 12. a Quæst. 3. usque ad 8. multus in eo est, ut probet principium individuationis consistere in *Hæcceitate*, & cum hac coincidere illud. Barbaram hanc explicaturus vocem, dicit *illam esse* συςατικὴν *individuorum differentiam, per quam natura & differentia speciei ad singularitatem contrahatur.* Scoti sententiam adprobant *Bacconius* 2. Dist. II. a 2. & 3. D. 12. *Antonius Andreæ* L. V. Metaph. Q. V. *Fonseca* L. VI. Metaph. cap. V. Q. V. sect. I. Qui ultimus ita philosophatur: *Oportet ejusmodi principium individuationis quærere ac tradere, ut ipsum totum addi possit naturæ specificæ, nec constitutum sit ex alia natura specifica, & alio individuationis principio, sed*

sit

sit simpliciter simplex, & ultimum in constitutione individui. Et paucis interjectis: *Hoc posito respondendum est universe principium individuationis esse differentiam quandam positivam, & primo incommunicabilem, quæ adjuncta speciei per se constituit individuum; quas differentias alii vocant Hæcceitates, alii minus barbare Hæccitates.* Secundum Fonsecam ergo & reliquos eam habebit principium individuationis naturam, quæ exponet cur unum individuum ab altero differat. Haud ignoro quibusdam displicere hanc *Scoti* & assecclarum opinionem, juxta tamen scio eos cum *Jacobo Martini* in Exercit. Metaph. L. p. 311. *Henningio* in Disput. de Princip. indivìd. Th. 1. §. 6. aliisque non negare principii individuationis officium esse exponere caussam & rationem differentiæ individualis, vel ut propriis *Henningii* verbis utar: *principium individuationis esse, per quod individuum differt ab omni alia re;* Negare autem, quod neque nos statuimus, ipsam hæcceitatem, non explicatam & legitime determinatam, absolvere principium individuationis. Hinc ad mentem veterum Philosophorum recte *Chauwinus* in Lex. Phil. sub tit. *individuatio: Id, quo aliquid intrinsece & formaliter est in rerum natura, & per quod ita se habet, ut nequeat esse aliud, procul dubio est principium, a quo pendet intrinsece & formaliter singularitas, seu individuatio.*

§. 537.

Duplex ergo est principium individuationis, alterum *Incomplexum*, alterum *Complexum*. *Illud* est; quod rem singularem interne constituit, *Principii individuationis divisio.*

 seu

ſeu eſt ratio ſufficiens intrinſeca individui. *Hoc* eſt propoſitio, unde intelligitur quodvis individuum ab alio quovis differre debere.

Hæc bina uno principii individuationis titulo comprehendere voluiſſe veteres Philoſophos, palam faciunt quæ modo adduximus ad §. 536, licet illa accurate a ſe invicem non diſcreverint, quod cauſa ſane erat non exigua prolixæ & intricatæ, quæ inter eos agitabatur, de natura & indole principii individuationis, controverſiæ, vix ac ne vix quidem ſine diſcrimine quod heic adferimus, tollendæ. Joh. *Micrælius* in Lex. Phil. p. 539. *Donatus* in Metaph. Uſuali Cap. XVII. §. 33. *Wolfius* in Ontol. Lat. §. 228. & qui hos ſequuntur, principium individuationis explicaturi acquieſcunt in illo, quod nos incomplexum vocamus, non attendentes illud in ſua latitudine conſideratum, menti etiam veterum Philoſophorum conformiter, duplex omnino ſtatui debere, complexum & incomplexum, ſingulatim nunc evolvendum.

§. 538.

Principium individuationis incomplexum. *Principium individuationis incomplexum conſiſtit in omnimoda determinatione eorum, quæ enti actu inſunt.* Ipſa enim individui indoles & natura conſtituitur omnimoda determinatione eorum, quæ ei conveniunt (§. 528.). Eſt ergo hæc omnimoda determinatio principium individuationis incomplexum (§. 537.). Idem alio evincitur argumento: Docet Logica defini-

finitionem exponere internam definiti naturam, illamque definito sufficienter intelligendo servire, & proinde rationem ejus esse sufficientem intrinsecam (§ 83.). Absolvitur vero individui definitio omnimoda determinatione eorum, quæ ei conveniunt (§. 528.). Est ergo hæc omnimoda determinatio principium individuationis incomplexum (§. 537.).

Hinc simul patet ratio, cur illud, quod rationem sufficientem intrinsecam individui subministrat, principium individuationis incomplexum vocetur. In genere diximus (§. 12.) principium cognoscendi incomplexum esse, quod notione simplici exhibetur. Unde, quia definitio rei, ut Logica docet, vicem subit notionis simplicis, recte illa vocatur principium incomplexum, atque adeo in præsenti casu, omnimoda determinatio, per quam definitur ens singulare, merito a nobis adpellatur principium individuationis incomplexum. Sed dicis: *hoc modo convertitur principium individuationis, quod Scholastici voluerunt essendi, contra mentem eorum, quam tamen in hoc negotio sequendam esse nobis proposuimus, in principium cognoscendi.* Fateor plerosque Scholasticorum ita explicare principium suum individuationis, ut potius sit aliquod essendi & fiendi, quam cognoscendi. Quorsum pertinet *Svarezii* effatum Disp. Metaph. V. Sect. III. quo statuit ille in quæstione de principio individuationis sermonem non esse de principio Metaphysico, sed Physico, quod omne est vel essendi, vel fiendi. Fateor, inquam, hoc, sed juxta scio hos Scholæ doctores, minimum, qui ceteris

teris accuratiores esse volunt, principium individuationis, eo sensu acceptum, restringere ad entia composita tantum, nullumque ei in entibus simplicibus concedere locum. Conf. *Suarezii* Disp. Metaph. V. Sect. VI. Neque ignoro quosdam Scholasticorum intra entium finitorum ambitum restringere principium individuationis, & ideo enti Infinito subtrahere omnem individuationem. Hinc *Durandus* in 1. Dist. 35. seq. voluit naturam Divinam neque singularem neque universalem esse, cui tamen sententiæ accuratiores Philosophiæ doctores nigrum addunt calculum, potius cum *Joh. Christ. Hundeshagen* in annot. ad Tab. XIX, Metaph. p. 83. contendentes principio individuationis eam concedendam esse latitudinem, ut ad Deum & omnes substantias simplices extendatur. Quod si verum est, esse autem verissimum suo loco uberius demonstrabo, docetque ipsa entis singularis notio, quæ in genere per rem existentem exhibetur; quilibet perspicit ita adornandum esse principium individuationis, ut enti quoque conveniat Infinito, quod quum omne & essendi & fiendi respuat principium, sequitur illud, quod ab individuatione habet nomen, in congrua consideratum extensione, non esse nisi cognoscendi, minime vero essendi, vel fiendi.

Distinctæ & completæ individui notionis defectus, qui apud veteres regnavit Philosophos, in causa fuit, cur diu licet inter se disputantes, amica tamen consensione convenire non potuerint in eruendo & statuendo principio individuationis incomplexo. Omnes circa hanc materiam

teriam ultro citroque ab illis agitatas controversias quà singula, recensere momenta nimis longum foret & tædiosum, parum etiam utile. Qui vero desiderat in his Scholasticorum tricis se exercere, ei abunde satisfacient *Svarezius* c. l. *Jacobus Martini* Exercit. IX. Metaph. L. I. p. 308. & seqq. *Scheiblerus* L. I. Metaph. Cap. VIII. tit. IV. integro, *Henningius* l. c. *Hundeshagen* l. c. aliique plures. Proxime ad rei veritatem accedunt, qui principium individuationis consistere dicunt vel in *existentia rei singularis*, vel in *forma specifica*, *non prout essentiam*, *sed prout existentiam cum materia conjunctam a parte rei constituit.* Prioris sententiæ defensor est *Carthus* in 2 Dist. 3, quem secutus est Henric. Quodlib. L. 2. Q. 7. Posteriorem tuetur *Henningius* c. l. Th. 6. Evidens est & apertum, nullum ens esse singulare, nisi quod existat (§. 528.), ipsamque existentiam consistere in aptitudine ad agendum vel patiendum (§. 207.), omnimodam quoque involvere determinationem (§. 218.). Philosophos ergo collocantes principium individuationis in existentia rei singularis vel in existentia, conjuncta cum materia, re ipsa nihil intenderunt aliud, quam principium illud in omnimoda determinatione consistere, suis itaque subobscuris effatis nostræ sententiæ consensum præbuere.

§. 539.

Principium individuationis complexum est hæc propositio: Duo plurave entia singularia, seu individua, perfecte eadem dari nequeunt. Hæc enim

Principium individuationis complexum.

enim propositione (§. 532.) intelligimus quodlibet individuum ab alio quolibet differre. Est ergo illa principium individuationis complexum (§. 537.).

Certum quidem est, prout antea monuimus (§. 537.), veteres Philosophos distinctam hujus principii individuationis complexi mentionem non injecisse; putamus tamen hanc nostram assertionem non modo non difformem, sed potius conformem esse veterum effatis, qui etiam inter alia postularunt, quod principium hoc declararet; cur unum individuum ab altero differat (conf. not. ad §. 536.). Quod postulatum non adimplet sola mentio omnimodæ determinationis, quæ omni convenit individuo, neque proinde alterum ab altero secernit, sed aliud omnino requiritur, huic satisfacturum negotio. Dicere vero unum ab altero differre, seu, unum non esse alterum, infert duarum a se mutuo idearum disjunctionem, judiciumque proinde negativum, verbisque expressum, propositionem negativam, quæ ergo manifestabit cur unum non sit idem alterum. Has autem partes accurate adimplet propositio, qua negatur duo plurave individua ex asse eadem. Illam igitur jure, eoque optimo, statuimus principium individuationis & quidem complexum.

§. 540.

Entis universalis definitio. *Ens universale* est, quod omnimode determinatum non est.

Ut huic definitioni aliquid accedat lucis, planum & facile ex Geometricis proponere lubet exem-

xemplum. Notio trianguli æquilateri, quam tradit Euclides, ſiſtit nobis ens univerſale: Illa enim alias non involvit determinationes, quam numerum ternarium & rationem æqualitatis rectarum, unde ratio angulorum & inter ſe & ad quatuor rectos pendet. Non tamen heic attenditur laterum ad magnitudinem datam ratio, ſine qua exiſtere nequit triangulum æquilaterum, & ſine qua, per conſequens, omnimode determinatum non eſt (§. 217.). Non itaque continet hæc notio omnimodam determinationem, ſed ens exhibet univerſale, comprehendens determinationes, omnibus individuis, quæ triangula æquilatera dicuntur, communes. Sic notio hominis, qua dicitur ille eſſe ens compoſitum anima rationali & corpore organico, quà talis non niſi ens univerſale ſiſtit. Illa enim non determinatur, an homo ſit doctus vel indoctus, probus vel improbus, ex his vel aliis natus parentibus, his vel illis determinatis loco & tempore exiſtat, & quæ ſint alia ejusmodi ad omnimodam hominis determinationem requiſita. Homo itaque ſub illa notione non continet omnimodam determinationem. Communi autem ore dicimus allatam hominis notionem univerſalem eſſe. Recte ergo definimus ens univerſale per id, quod omnimode determinatum non eſt.

§. 541.

Inter ens ſingulare & univerſale exclu-

Quia quodlibet eſt vel non eſt (§. 63.), ens aut eſt omnimode determinatum, aut non eſt omnimode determinatum. Si prius, ſingulare (§. 528.),

ditur medium. (§. 528.), si posterius, universale audit (§. 540.). *Omne ergo ens aut universale, aut singulare est.*

Sumitur heic ens in latissimo suo significatu, non autem in strictiori, quo unice ad existens restringitur. Nam hoc posteriori sensu nullum datur ens nisi singulare. Sed si priori sensu ens accipitur, recte affirmatur omne ens esse vel universale vel singulare. Hoc modo, ut maneamus in exemplo, quod statim adhibuimus, homo est ens universale. Hic autem homo, cui nomen est Petrus, ens *singulare* recte vocatur.

§. 542.

Enti universali denegatur existentia. *Ens universale, quà tale, non existit.* Ex reciprocatione, quæ locum habet inter id, quod omnimode est determinatum & existens (§. 218. 219.), perspicue intelligitur non existere nisi quod sit omnimode determinatum; sed ens universale, quà tale, non est omnimode determinatum (§. 540.). Illud ergo, quà tale, non existit.

Sic Petrus, Paulus, Johannes existunt, non tamen existit homo, de quo nihil amplius dicere liceret, quam quod possideret animam rationalem & corpus organicum, neglectis iis determinationibus, quibus constituuntur individua. Ut adeo communissimus loquendi usus nostram, præsenti positione comprehensam, uberrime confirmet adsertionem.

Ter-

Historia & indoles controversiæ de existentia universalium.

Tertia Scholasticorum ætate, quæ priores impudentia vicit, & Aristotelem quasi in thronum evexit, in Gallia floruit *Guilielmus Occamus*, qui ob portentosum, quod ei a *Jacobo Gaddio* adsignatur, ingenium, vulgo *Doctor invincibilis* est dictus. Recoxit hic a *Joh. Rucelino* Britanno primum ortam opinionem, qua statuitur universalia non existere, seu non esse in rebus citra mentis operationem, esse meros conceptus, & his respondentes voces unice universales esse. Huic & adseclis vehementer se opposuerunt Thomistæ & Scotistæ, arbitrantes universalia in ipsis rebus esse quærenda, eademque etiam citra mentis operationem existere, neque esse mera nomina, sed res. Qui Occamo adsensum præbebant, dicti sunt *Nominalistæ*, item *Occamistæ*, qui autem a Scotistarum & Thomistarum stabant partibus, *Realistæ* sunt nuncupati. Inter hos acerba & perpetua fuit contentio, quæ Parisiis & Oxoniæ, utpote in quibus locis eorum regnum fuit, inter studiosos in cruenta prorupit prælia. Sed facile deciditur hæc controversia, modo observemus, quod mox demonstratum est, universalia, quà talia, non existere; existere tamen in singularibus, quorum cuilibet inesse, quod ens universale constituit, statim declarabunt sequentia. Neque a Realistis unquam fuit defensitatum seorsim existere universalia, seu, remotis singularibus, in quibus ante omnem operationem mentis fundamentum universalium quærunt, existere nihilo secius universalia. Ut adeo certum sit veritatem stare a partibus Rea-

ditur medium. (§. 528.), si posterius, universale audit (§. 540.). *Omne ergo ens aut universale, aut singulare est.*

Sumitur heic ens in latissimo suo significatu, non autem in strictiori, quo unice ad existens restringitur. Nam hoc posteriori sensu nullum datur ens nisi singulare. Sed si priori sensu ens accipitur, recte affirmatur omne ens esse vel universale vel singulare. Hoc modo, ut maneamus in exemplo, quod statim adhibuimus, homo est ens universale. Hic autem homo, cui nomen est Petrus, ens *singulare* recte vocatur.

§. 542.

Enti universali denegatur existentia. *Ens universale, quà tale, non existit.* Ex reciprocatione, quæ locum habet inter id, quod omnimode est determinatum & existens (§. 218. 219.), perspicue intelligitur non existere nisi quod sit omnimode determinatum; sed ens universale, quà tale, non est omnimode determinatum (§. 540.). Illud ergo, quà tale, non existit.

Sic Petrus, Paulus, Johannes existunt, non tamen existit homo, de quo nihil amplius dicere liceret, quam quod possideret animam rationalem & corpus organicum, neglectis iis determinationibus, quibus constituuntur individua. Ut adeo communissimus loquendi usus nostram, præsenti positione comprehensam, uberrime confirmet adsertionem.

Ter-

Tertia Scholasticorum ætate, quæ priores impudentia vicit, & Aristotelem quasi in thronum evexit, in Gallia floruit *Guilielmus Occamus*, qui ob portentosum, quod ei a *Jacobo Gaddio* adsignatur, ingenium, vulgo *Doctor invincibilis* est dictus. Recoxit hic a *Job. Rucelino* Britanno primum ortam opinionem, qua statuitur universalia non existere, seu non esse in rebus citra mentis operationem, esse meros conceptus, & his respondentes voces unice universales esse. Huic & adseclis vehementer se opposuerunt Thomistæ & Scotistæ, arbitrantes universalia in ipsis rebus esse quærenda, eademque etiam citra mentis operationem existere, neque esse mera nomina, sed res. Qui Occamo adsensum præbebant, dicti sunt *Nominalistæ*, item *Occamistæ*, qui autem a Scotistarum & Thomistarum stabant partibus, *Realistæ* sunt nuncupati. Inter hos acerba & perpetua fuit contentio, quæ Parisiis & Oxoniæ, utpote in quibus locis eorum regnum fuit, inter studiosos in cruenta prorupit prælia. Sed facile deciditur hæc controversia, modo observemus, quod mox demonstratum est, universalia, quà talia, non existere; existere tamen in singularibus, quorum cuilibet inesse, quod ens universale constituit, statim declarabunt sequentia. Neque a Realistis unquam fuit defensitatum seorsim existere universalia, seu, remotis singularibus, in quibus ante omnem operationem mentis fundamentum universalium quærunt, existere nihilo secius universalia. Ut adeo certum sit veritatem stare a partibus Realista-

Historia & indoles controversiæ de existentia universalium.

listarum, & his sine omni fundamento Nominalistas se opponere. Arbitrantur nonnulli inter hos dimicantes disceptatum fuisse: *an universalia sint res, an mera nomina?* vel, *an universalia existant vel minus?* atque ideo tolli posse controversiam, modo explicetur quid res sit: Existimant enim, si res pro existente sumitur, verum statuisse Nominalistas; sin autem pro eo, quod non omnimodam, sed aliquam saltem habet determinationem, accipitur rei vocabulum, veram esse Realistarum sententiam; totamque proinde controversiam, meram esse logomachiam. Sed hi talia sentientes abunde testantur se in scriptis veterum Philosophorum non esse versatos. Profecto non disputatum fuit inter Nominalistas & Realistas, an universalia, quà talia, existant vel minus? ab utraque enim parte concedebatur eadem non existere; sed dissertatum fuit de fundamento universalium, seu, ut ipsi loquuntur, de ea ratione, per quam est aliquod universale, an scil. illud fundamentum vel illa ratio ipsis singularibus, seu rebus, insit ante omnem mentis operationem? Hanc quæstionem a Nominalistis negatam recte affirmarunt Realistæ, jure defendentes, quod & nos suo mox loco demonstrabimus, dari in rebus ipsis, ante omnem mentis operationem, fundamentum universalium. Qui dubitat, an recte mentem veterum Philosophorum in hac controversia expresserim, evolvat is *Thomam* Libr. de ente & essentia Cap. IV. *Durandum* L. 1. Sent. Dist. 3. qu. 5. *Svarezium* Disp. Metaph. VI. Sect. V. & VI. *Mendozam* Disp. Metaph. V. Sect. X. subsect. 2 & 3. aliosque. Abunde hi declarabunt, quam in-

indicavi, & non aliam fuisse veterum sententiam in quæstione, inter Nominalistas & Realistas agitata.

§. 543.

Enti universali non conveniunt determinationes accidentales, & externæ, quæ cum actualibus copulantur entibus. Non existenti nulla competunt accidentia (§. 367.), ens autem universale non existit (§. 542.). Ei ergo nulla conveniunt accidentia.

Quæ determinationes enti universali non competant.

Idem valet de determinationibus externis, quæ cum actualibus copulantur entibus, seu, quæ cum actualitate entis, de quo prædicantur, sunt conjunctæ. Hoc enim posito, non possunt convenire nisi actualibus, quorum e numero quum non sit ens universale (§. 542.), sequitur huic non convenire ejusmodi determinationes externas.

Non negamus cum universalibus, quatenus rebus singularibus fundamentaliter, &, ut ita loquar, radicaliter insunt, actu ipso conjuncta esse accidentia et extrinseca prædicata. Sed considerantur tunc universalia, ut determinationes entium singularium communes, seu in concreto, non autem in abstracto, remota individuatione; non illo, sed hoc sensu proprie sunt universalia, seu entia non omnimode determinata, quibus, quà talibus, existentiam & accidentia recte denegamus. Sic quando cogitamus hominem, ut ens universale, in abstracto, constans anima rationali & corpore organico, iisque attributis, quæ ex hac essentia necessario deducuntur, ei tri-

tribuere nequimus doctrinam, hujus vel illius artis notitiam, hunc vel alium existendi locum, quæ singula & cetera ejusmodi nonnisi homini existenti conveniunt, minime autem ei universaliter & abstracte spectato.

§. 544.

Quæ determinationes enti universali competant.

Ex modo ostensis patere arbitror *Ens universale* esse, quod continet determinationes essentiales, pluribus singularibus communes, exclusis accidentalibus & determinationibus extrinsecis, ceterisque omnibus, quæ in singularibus sunt diversæ, seu, quia identitas essentialis constituitur essentialium & attributorum convenientia, remotis quæ modo removenda diximus (§. 418.). *Ens universale* absolvitur convenientia, seu identitate essentiali plurium singularium, exclusis accidentalibus & extrinsecis determinationibus, ceterisque omnibus, quibus inter se differunt singularia.

Scilicet mox ostendimus enti universali non competere omnimodam determinationem (§. 540.), ab eodem quoque removenda esse accidentia & extrinseca prædicata (§. 543.). Competunt tamen ei, quia ens est, aliquæ determinationes internæ (§. 416.), quæ proinde non possunt non in solis essentialibus & attributis consistere (§. 417.). Jam vero præeunte Aristotele, qui L. VII. Metaph. cap. XIII. ait: τὸ δὲ καθόλȣ κοινόν. Τȣ̃το γὰρ λέγεται καθόλȣ, ὃ πλείοσιν ὑπάρ-

ἀρχεῖν πέφυκε. *Universale autem commune est, id enim universale dicitur, quod pluribus inesse aptum est.* Hoc, inquam, præeunte, uno consentiunt ore omnes ens universale continere determinationes, singularibus communes, neglectis tamen iis, quibus illa inter se differunt, determinationibus. Rei ergo veritati & usui apud Philosophos recepto conformem exhibuimus entis universalis definitionem.

Ceterum observetur universale, quod heic definimus, esse universale in essendo, & ideo entis nomine insigniri solere. Apud Scholæ doctores, qui universale in genere explicare solent per *aliquid ad multa pertinens*, considerari solet universale vel *Complexe*, vel *Incomplexe*. Priori spectatum sensu accipiunt pro enunciatione, vel universali, sive vera sive falsa, sive necessaria sive contingenti, quam, quia de illa agit Aristoteles prioribus Analyticis L. I. Cap. 1. *Universale Prioristicum* vocant: vel *summe necessaria*, cujus prædicatum convenit subjecto omni, per se & quatenus est ipsum, de quo Aristoteles L. I. Poster. Analyt. cap. IV. Quam ob causam ab iisdem vocatum est *Universale Posterioristicum*. Ubi vero universale posteriori consideratur sensu, sive incomplexe, dicunt illud sumi vel in *causando*, pro causa universali; vel in *repræsentando*, pro notione universali, quæ ens universale repræsentat; vel in *significando*, pro termino, qui notionem universalem designat; vel in *essendo*, pro eo, quod pluribus inesse aptum est, vel in *prædicando*, quod de pluribus prædicari aptum: Prout illud ad du-

Scholasticorum divisiones universalium.

ductum Aristotelis Libr. de Interpret. Cap. VII. explicare solent, inter universale in essendo & prædicando istud intercedere discrimen docentes, quod universale in prædicando per *proprietatem*, in essendo, per *essentiam* describatur. Hinc illud ut effectum, hoc ut illius caussam, vel qualemcunque rationem a priori exprimunt: Ideo enim aliquid de pluribus prædicari posse recte statuunt, quia pluribus inest, aut inesse aptum est. Statim largiuntur universale, complexive sumtum, Metaphysices non esse considerationis, neque ad illam pertinere universale incomplexum in significando, repræsentando, & prædicando, sed solum universale in caussando et essendo: de illo agere solent in Capite de caussa & caussato, quo etiam loco nos illud explicabimus; hoc vero præsentis esse loci, quo de indole entis universalis & singularis disquiritur, contendunt. Hoc etiam & nos uberiori adhuc subjiciemus expositioni, certo persuasi & convicti illud esse fundamentum legitimum non modo universalis in prædicando, sed etiam in repræsentando & enunciando, amplissimæ ergo esse utilitatis & latissimæ extensionis.

§. 545.

Ens magis & minus universale. Universale ens diximus, quod essentiali identitate singularium absolvitur (§. 544.); quare si determinationes istæ essentiales, quæ pluribus entibus universalibus, inter se relatis, conveniunt, ita comparatæ fuerint, ut, aliis manentibus iisdem, aliæ iterum differre possint; determinationes istæ, quæ hoc casu eædem manent, ens

ens magis universale constituunt. Eodem modo, ubi plura entia magis universalia, inter se comparata, possident iterum quasdem determinationes communes, ceteris manentibus diversis, ex illa communitate denuo oritur *ens adhuc magis universale*. Et ita porro, usque dum deventum fuerit ad *ens metaphysicum*, quo universalius datur nullum (§. 10. 227.): Ut adeo perspiciamus inter ens metaphysicum & ens singulare varios dari universalitatis gradus, vel adscendendo a singularibus ad ens illud metaphysicum, vel ab hoc ad illa descendendo. Prior methodus perveniendi ad notiones entium magis & magis universalium Logicis vocari solet *Analytica*, seu per *Adscensum*; Posterior vero *Synthetica*, seu per *Descensum*. Ita per adscensum, seu analytice, recedendo a singularibus, modo formatæ sunt notiones entium magis & magis universalium, quæ eædem etiam facile evolvuntur per descensum, seu synthetice: Ens enim universale non est omnimode determinatum (§. 540.), quo ergo illud magis & magis determinatur, eo minus & minus redditur universale. *Minus* itaque *universalia* absolvuntur determinationibus essentialibus, quæ eædem sunt pluribus, aut adhuc minus universalibus, aut individuis. *Magis* autem *universalia* constituuntur determinationibus essentialibus, quæ tantum communes sunt minus univer-

ſalibus, ſepoſitis iis, quæ in his ſunt diverſæ.

Ex. gr. Si duo plurave conſideramus triangula æquilatera, delineata in chârta vel tabulâ, videmus illa inter ſe in eo convenire, quod tria habeant latera recta, mutuo æqualia. Oritur hinc idea trianguli æquilateri rectilinei univerſalis. Pari modo, ubi attendimus ad hæc vel illa triangulorum individua, quorum quodlibet duo latera recta æqualia, tertium autem inæquale; exſurgit ex hac convenientia idea univerſalis trianguli æquicruri. Simili ratione, quando obſervamus hæc vel illa triangulorum individua, quorum quodlibet includitur tribus rectis, mutuo inæqualibus, originem inde trahit idea univerſalis trianguli ſcaleni. Hæc jam tria univerſalia inter ſe ulterius comparans, in eo convenire deprehendo, quod ſint figuræ tribus rectis lineis incluſæ. Hac convenientia conſtituitur Triangulum rectilineum quodvis, quod ergo ut ens magis univerſale recte conſideratur. Quando iterum mihi repræſento triangulorum curvilineorum, ſeu ſphæricorum, varia individua, deprehendo illa eodem modo eſſe vel æquilatera, vel æquicrura, vel ſcalena, quæ ſingula, ut entia minus univerſalia, in eo magis univerſali conveniunt, quod ſint figura tribus curvis incluſa, ſeu, quod ſint triangula curvilinea. Iterum, triangulum curvilineum cum triangulo rectilineo, tanquam duo magis univerſalia inter ſe comparans, pervenio ad aliquod adhuc magis univerſale, quod explicatur per figuram tribus lineis comprehenſam, & ſine addito, *trianguli* venit nomine. Eodem modo con-

fe-

ferens figuras trilateras cum quadrilateris, quinquelateris &c. acquiro ideam figuræ in genere, & sic porro comparans extensa cum non-extensis, devenio ad ideam entis universalissimi. Si cui displiceat hoc Geometricum exemplum, displicere tamen nequit nisi Geometriæ ignaro, in ejus gratiam aliud adferre placet, satis obvium: Minus universale est idea hominis, nonnisi individua sub se comprehendens. Magis autem universale est animal, quod, per ens vivens & sentiens definitum, hominem & animantia bruta sub se comprehendit. Magis vero adhuc universale est ens *vivum*, quod præter animalia etiam plantas continet, & ita porro ad ens usque metaphysicum, quod omnium est universalissimum.

§. 546.

Entia universalia perfecte eadem, vel perfecte diversa non dantur.

Duo plurave entia universalia neque perfecte eadem neque perfecte diversa statui possunt. Quia enim duo plurave quævis entia dari nequeunt vel perfecte eadem (§. 395.), vel perfecte diversa (§. 394.), neque ergo duo plurave entia universalia statuere licet vel perfecte eadem vel perfecte diversa. Quodvis enim ens universale, sive magis, sive minus universale fuerit, constat determinationibus essentialibus, quæ pluribus vel minus universalibus, vel singularibus sunt communes, seu, in illis sunt eædem (§. 544. 545.), unde etiam attributorum dependet identitas (§. 399.). Quoniam vero ab ente universali remo-

removendæ ſunt determinationes accidentales & externæ (§. 543.), omnesque entis alicujus determinationes ſunt vel externæ, vel internæ (§. 201.), & hæ ſunt vel eſſentialia, vel attributa, vel accidentia (§. 417.); ſequitur duo entia univerſalia A & B, perfecte eadem, conſtitui perfecta convenientia determinationum eſſentialium inter ſe (§. 391.), perfecte autem diverſa, earundam perfecta diſconvenientia (§. 393.). Quo ipſo in priori caſu redit generale argumentum, quo antea (§. 395.) uſi ſumus; in poſteriori, quia univerſalibus non repugnat exiſtere in individuis, recurrit generalis demonſtratio §:phi 394. Recte ergo negamus perfectam identitatem, vel diverſitatem duorum pluriumve entium univerſalium.

Hoc modo quis dixerit triangulum æquilaterum eſſe perfecte idem cum triangulis æquicruris vel ſcalenis, figuram circularem eſſe perfecte eandem cum quadrangulari, & ſic porro? Quis etiam non conceſſerit figuras triangulares, quadrangulares & circulares inter ſe convenire in generali figuræ notione? Quis itaque non intelligit duo entia univerſalia & perfecte eadem & perfecte diverſa repugnare.

§. 547.

Definitio ſpeciei. Memoratas entium univerſalium claſſes, majoris gratia diſtinctionis, diſtinctis & ſeparatis titulis inſignere ſolent Philoſophi. Ita infimam univerſalium claſſem, quæ

quæ tantum singularia sub se comprehendit, *speciem* vocant, quæ itaque absolvitur essentiali convenientia, seu identitate, eademque perfecta plurium singularium, seu consistit inter plura individua, quatenus eandem inter se habent essentiam.

Sic Petrus, Paulus, Johannes & reliqua hominum individua, habent easdem determinationes essentiales, animam scilicet rationalem & corpus organicum, ob hanc ergo convenientiam ad eandem referuntur speciem, quæ homo dicitur. Pari ratione Bucephalus & cetera equorum individua communes habent determinationes essentiales, quibus species constituitur equina.

Æquivocatio termini speciei.

Vocabulum *species*, Græcis εἶδος, varias habet apud Philosophos, præsertim veteres, significationes; vel enim notat 1:o *cujuslibet rei formam*, teste *Porphyrio* in Isag. Cap. II. §. 18. vel, ut dicto loco reddit *Ammonius*, cujusque rei pulchritudinem. 2:do *alteram partem corporis naturalis*, materiæ contradistinctam, quam formam substantialem adpellitant; hoc modo nonnunquam apud Aristotelem sumitur vox εἶδος. 3:o) *Modum*, ut apud Herodianum. 4:o) *Imaginem objecti* respectu potentiæ cognoscentis, h. e. objectorum in mente ideas; Hoc sensu Aristoteles L. III. de anima Cap. IV. t. 6. vocat animam locum specierum, scil. intelligibilium, per quas, tanquam imagines, intellectus objecta sua cognoscit. Eodem significatu vocabulum hoc sumit

sumit *Cicero*, quando ita in Topicis: *In divisione formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant, nostri, si qui hæc forte tractant, species adpellant.* 5:o) *Quod Logico & Metaphysico sensu Speciem adpellant*, quæ acceptio hujus loci est. Speciei, hoc sensu acceptæ, confusam quidem tradunt veteres Philosophi definitionem, nostræ tamen, quà rem ipsam, satis conformem. Porphyrius in Isagog. Cap. II. §. 3. duplicem adfert speciei definitionem, unam: *Species est id, quod subiicitur generi, & de quo genus hoc ipso in quid est prædicatur.* Alteram: *Species est, quod de pluribus differentibus numero* (h. e. individuis) *in quid est prædicatur*. Voluit Porphyrius pro duplici relatione, quam habet species ad genus, & ad individua, duplicem ejus tradere definitionem. Nos methodum observantes syntheticam non nisi ad posteriorem heic attendimus. Evidens est de pluribus non posse prædicari individuis, nisi quod illis sit commune. Statim ergo intelligimus Porphyrium ad speciem constituendam postulare determinationes pluribus communes individuis. Prædicari *in quid*, quod opponunt prædicationi *in quale*, adeo confuse & varie explicant Scholastici, ut Oedipo opus sit non Davo, qui genuinum ejus eruat sensum. Quantum tamen colligere potui, per prædicationem *in quid* intelligunt prædicationem necessariam, seu essentialem, ut adeo ad quæstionem *quid res sit?* respondere soleant per ipsam ejus quidditatem seu essentiam. Re ergo ipsa Porphyrius cum Aristotelicis, nostræ conformiter sententiæ, constituit speciem in determinationibus essentialibus, quæ pluribus communes sunt individuis. Requiri vero omnium

um essentialium in individuis, ad eandem speciem referendis, convenientiam iidem docent Philosophi, statuentes, ut mox indicabo, individua ejusdem speciei non differre essentia, sed numero. Cui assertioni usus consentit communis. Licet enim Bucephalus & Alexander eo essentiali, quod corpore organico in genere constituitur, inter se conveniant; dicere tamen non solemus, illos esse individua ejusdem speciei, ad id postulantes alterius etiam essentialis partis, quæ anima rationali in Alexandro absolvitur, convenientiam, ex cujus defectu Alexandrum & Bucephalum ut individua diversæ speciei collocare solemus.

§. 548.

Attributorum communio in individuis ejusdem speciei.

Quæ sunt individua ejusdem speciei, eadem habent attributa tum propria, tum communia, easdem accidentium possibilitates proximas, easdem etiam remotas, sed conditionate enunciatas. Quæ enim sunt ejusdem speciei, omnia essentialia inter se habent eadem (§. 547.), ideoque possident etiam omnia attributa eadem (§. 399.), sive propria fuerint sive communia (§. 347), easdem quoque habent accidentium possibilitates proximas (§. 400). Est quidem accidentium possibilitas remota in accidentibus referenda (§. 380.); quatenus tamen ejus ratio sufficiens in essentia & simul in aliis rebus ab essentia diversis, quæ heic conditionis gerunt nomen, fundatur

tur (§. 377.), eatenus etiam, posita essentiæ identitate, quæ in individuis ejusdem speciei omnino est ponenda (§. 547.), posita etiam conditionum identitate, ponuntur eædem possibilitates accidentium remotæ.

Paulus v. gr. & Petrus sunt individua ejusdem speciei humanæ, illis itaque recte attribuimus omnia attributa, quæ homini conveniunt, non solum, quæ humanæ speciei sunt propria, sed & quæ homini cum animantibus brutis sunt communia. Sic Petrus æque ac Paulus sunt rationales, viventes, sentientes, possunt musicam exercere, & quæ hujus generis sunt alia.

§. 549.

Individuis ejusdem speciei eadem competunt attributa propria. *Quæ eadem habent attributa propria, easdemque accidentium possibilitates, quæ attributorum propriorum instar sunt, ea ejusdem sunt speciei.* Quæ enim eadem habent attributa propria, quorsum etiam pertinent accidentium possibilitates, quæ per modum attributi proprii enti insunt, illa eandem integram possident essentiam (§. 404.), & proinde ejusdem sunt speciei (§. 547.).

Quivis sua intelligit sponte sermonem heic esse de iis entibus, quæ possunt sub aliqua consistere specie, præsentem ergo propositionem non valere de supernaturali & mysterii plena S. S. Trinitate: Absit enim & quam longissime absit, hinc incaute colligas: *Tres in S. S. Trinitate personæ eadem habent attributa propria, ergo sunt ejusdem*

jusdem speciei, ergo tres personæ sunt tria individua, eidem subjecta speciei. Agit præsens, quam demonstravimus, thesis de individuis, quorum quodlibet suam habet essentiam, ab alterius separatam: At tres in Divinitate Personæ subsistunt in una eademque essentia inseparabili, non ergo speciem formant, nec speciei instar ullo modo considerari debet Divinitas.

In naturalibus vero eximiæ utilitatis esse præsentem thesin jam dudum observarunt Mathematici, ex identitate proprietatum ad speciei identitatem colligentes, quod præsertim in Geometria curvarum præstant, examinaturi an hæc vel illa curva, ab hoc vel illo tanquam nova proposita, re ipsa sit nova et prius incognita: Detecto enim attributo ejus proprio, statim intellexêre an nova sit figura, an ejusdem cum prius inventa speciei.

§. 550.

Differentiæ Numericæ definitio. Suo jam evicimus loco, duo pluravé individua non dari perfecte eadem (§. 532.), & singula proinde aliquo modo diversa esse (§. 533.). Plura ergo ista individua, quorum essentiali convenientia species constituitur (§. 547.), inter se differunt & distinguuntur. Originem hinc trahit *Differentia Numerica*, locum habens inter individua ejusdem speciei, & consistens in iis determinationibus, quibus hæc individua inter se distinguuntur. Hæ determinationes in individuis ejusdem speciei diversæ *Numericæ* vocari solent. *Entia* autem

Nu-

Numero diverſa ſunt plura individua ſub eadem comprehenſa ſpecie.

Sic Petrus, Paulus, Johannes, differunt numero, quia ſunt individua ejusdem ſpeciei humanæ. Duplicem faciunt Scholaſtici numerum, alium dicunt eſſe *Numerantem*, quo utitur intellectus ad res numerandas, ut binarius, ternarius &c. & nihil eſt aliud quam multitudo entium in abſtracto, qui ergo in relatione ad notionem entis in genere concipitur; alium *Numeratum*, ſeu rebus exiſtentibus concretum, qui itaque eſt multitudo rerum, quæ ab intellectu numerantur, h. e. individuorum, ut numerus binarius, vel ternarius hominum. Omnia & ſingula exiſtentia convenire in notione entis in genere facile liquet. Numero itaque numerante unum ens abaltero differre nequit. Neque, quantum conſtat, id unquam voluerunt Ariſtotelici, numero diverſa recte ſtatuentes; qui ergo hoc caſu numerum numeratum intellexêre. Quod, ut alios taceam plurimos, vel ſolus oſtendit *Bechmannus*, qui in Inſtit. Log. Ariſtot. L. I. Cap. III. §. 53. dicit per *numero differentia* intelligi illa, *quæ ita diſtinguuntur a ſe invicem, ut numerum faciant, v. gr. tres lapides, tres homines.* Conſiderat itaque hoc loco numerum, ut exiſtentibus concretum, h. e. numerum numeratum, minime vero gentium numerum numerantem. Duplicis autem generis conſtituit Bechmannus *numero diverſa*, 1:o) *Plura individua* ejusdem ſpeciei, ut Alexandrum & Ariſtotelem. 2:o *Plura quævis individua* diverſæ ſpeciei, ut Petrum & hunc equum. Priora vocat ſolo nume-

numero diversa, seu numero tantum diversa: posterioribus præter numerale, etiam essentiale adsignat discrimen. Illa ergo, non autem hæc, per numero differentia potissimum intelliguntur. Illustris *Wolfius* binas istas numero diversorum species inter se conferens, genus inde formavit, ut *Numero diversa* ei sint plura individua sive ejusdem, sive diversæ, speciei. Illa ergo ita definivit: *Numero diversa sunt, quorum unum de altero in singulari affirmari nequit; seu quorum unumquodque propriam sibi habet existentiam.* §. 184. Ontol. Fateor ejusmodi generalem explicationem menti veterum non prorsus esse difformem, juxta tamen fatendum est, strictiorem illam numero diversorum explicationem, nobis adprobatam, veterum sententiæ magis congruere & simul inservire variis, apud illos controversiis, melius decidendis, Theologorum quoque statutis magis esse adcommodatam, qui diu jam dicere sveverunt Tres in Divinitate personas numero inter se non differre, quia essentia Divina, in qua subsistunt, singularis est, nec instar speciei considerari potest. Sed si Wolfiana retineretur definitio, quia tres Divinitatis personæ de se mutuo in singulari affirmari nequeunt, essent omnino distincta individua, quod tamen nostri Theologi non admittunt. Dicit quidem *Damascenus* L. 3. de Orthod. Fid. Cap. IV. & inde *Chemnitius* de Duabus Nat. in Christo Cap. I. f. I. *Personas Divinitatis differre numero*, statim tamen addit *Chemnitius* essentiam Divinam prædicari de tribus personis, non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis, sed alio quodam ineffabili & incom-

prehensibili modo. Non itaque in rigore suo sumunt hi numeralem diversitatem, quæ est & manet comprehensibilis, sed in latissimo significatu, quatenus ad tres Divinitatis Personas adplicari possunt nomina numeralia, unum, duo, tria. Nos ergo, retinentes nostram Differentiæ Numeralis notionem, ad illius indolem plenius evolvendam pergimus.

§. 551.

Differentiæ Numericæ quidditas. Constituitur numerica differentia determinationibus, quibus inter se differunt individua ejusdem speciei (§. 550.). Postulat ergo aliquid, ut certo modo in uno individuo determinatum (§. 200.), quod in altero, vel abest, vel ita determinatum non est (§. 390.). A vero itaque discedunt existimantes numericam differentiam nihil esse, neque existere posse duo individua ejusdem speciei, solo numero differentia.

Sæpius contra hoc corollarium peccatur in controversia de principio identitatis indiscernibilium, quasi existere non possent individua, nisi essentialibus inter se differrent qualitatibus, & quasi sola numerica differentia, quam statuunt Scholastici, nihil involveret. Sed ut melius intelligatur hæc res, ad sequentia animum advertamus.

§. 552.

Differentia numerica in quanam re consistat. ***Licet duo plurave individua ejusdem speciei perfecte eandem inter se habeant essentiam, ad numericam tamen inter illa constituendam differen-***

ren

rentiam sufficiunt determinationes accidentales & extrinsecæ. Quia sunt hæc individua ejusdem speciei (per hypoth.), habent easdem omnes determinationes essentiales (§. 547.), eademque attributa (§. 548.). Sed essentialis hæc identitas, ex qua non sequitur identitas vel determinationum accidentalium (§. 419.), vel extrinsecarum (§. 420.), salva manet, etiamsi individua, inter quæ illa obtinet, determinationibus accidentalibus & extrinsecis differant. Neque ratione identitatis repugnat ut duo plurave sint individua, nisi ponerentur perfecte eadem (§. 396.); Sed in præsenti casu adest quidem perfecta identitas determinationum essentialium & attributorum (per hypoth. & demonstr.), non tamen ideo identitas determinationum accidentalium & extrinsecarum, quæ tamen simul requiritur ad perfectam duorum entium, quæ ejusmodi admittunt determinationes, identitatem (§. 414.). Possunt itaque ejusmodi duo plurave individua existere ejusdem speciei, quæ solis inter se differant determinationibus accidentalibus & extrinsecis, & inter quæ proinde, quia datur harum discrimen determinationum, differentia locum habet numerica (§. 550.); Cui itaque statuendæ sufficiunt illæ determinationes.

Hinc est quod Aristotelici dicant numericam differentiam subsistere inter individua, quæ nul-

prehenſibili modo. Non itaque in rigore ſuo ſumunt hi numeralem diverſitatem, quæ eſt & manet comprehenſibilis, ſed in latiſſimo ſignificatu, quatenus ad tres Divinitatis Perſonas adplicari poſſunt nomina numeralia, unum, duo, tria. Nos ergo, retinentes noſtram Differentiæ Numeralis notionem, ad illius indolem plenius evolvendam pergimus.

§. 551.

Differentiæ Numericæ quidditas. Conſtituitur numerica differentia determinationibus, quibus inter ſe differunt individua ejusdem ſpeciei (§. 550.). Poſtulat ergo aliquid, ut certo modo in uno individuo determinatum (§. 200.), quod in altero, vel abeſt, vel ita determinatum non eſt (§. 390.). A vero itaque diſcedunt exiſtimantes numericam differentiam nihil eſſe, neque exiſtere poſſe duo individua ejusdem ſpeciei, ſolo numero differentia.

Sæpius contra hoc corollarium peccatur in controverſia de principio identitatis indiſcernibilium, quaſi exiſtere non poſſent individua, niſi eſſentialibus inter ſe differrent qualitatibus, & quaſi ſola numerica differentia, quam ſtatuunt Scholaſtici, nihil involveret. Sed ut melius intelligatur hæc res, ad ſequentia animum advertamus.

§. 552.

Differentia numerica in quanam re conſiſtat. *Licet duo plurave individua ejusdem ſpeciei perfecte eandem inter ſe habeant eſſentiam, ad numericam tamen inter illa conſtituendam diffe-*

ren

rentiam sufficiunt determinationes accidentales & extrinsecæ. Quia sunt hæc individua ejusdem speciei (per hypoth.), habent easdem omnes determinationes essentiales (§. 547.), eademque attributa (§. 548.). Sed essentialis hæc identitas, ex qua non sequitur identitas vel determinationum accidentalium (§. 419.), vel extrinsecarum (§. 420.), salva manet, etiamsi individua, inter quæ illa obtinet, determinationibus accidentalibus & extrinsecis differant. Neque ratione identitatis repugnat ut duo plurave sint individua, nisi ponerentur perfecte eadem (§. 396.); Sed in præsenti casu adest quidem perfecta identitas determinationum essentialium & attributorum (per hypoth. & demonstr.), non tamen ideo identitas determinationum accidentalium & extrinsecarum, quæ tamen simul requiritur ad perfectam duorum entium, quæ ejusmodi admittunt determinationes, identitatem (§. 414.). Possunt itaque ejusmodi duo plurave individua existere ejusdem speciei, quæ solis inter se differant determinationibus accidentalibus & extrinsecis, & inter quæ proinde, quia datur harum discrimen determinationum, differentia locum habet numerica (§. 550.); Cui itaque statuendæ sufficiunt illæ determinationes.

Hinc est quod Aristotelici dicant numericam differentiam subsistere inter individua, quæ nul-

lam habent in essentia dissimilitudinem. Conf. *Bechmanni* Log. Aristot. L. I. Cap. III. p. 51. & *Stratemanni* System. Log. p. 113. Hinc etiam *Chauvinus* in Lex. Phil. sub. tit. *Species. Numero differunt singularia, seu individua, in eadem quidem natura & essentia convenientia, sed accidentibus inter se distincta. Sic Aristoteles & Plato conveniunt in natura humana, sed multa sunt in Aristotele accidentia, quæ Plato non habet.*

§. 553.

Accidentia non ingrediuntur speciem, sed differentiam numericam. Est species ens universale (§. 547.), illam ergo non ingrediuntur accidentia & extrinsecæ determinationes (§. 543.), quæ tamen differentiam numericam & ingrediuntur, & illam constituunt (§. 552.).

§. 554.

Quæ sit inter individua ejusdem speciei similitudo. *Individua ejusdem speciei essentiali similitudine, eademque perfecta, inter se gaudent.* Habent enim individua ejusdem speciei omnes determinationes essentiales, quæ ipsis conveniunt, inter se communes (§. 547.), immo etiam omnia, quæ eis sigillatim competunt attributa (§. 548.). Possident itaque omnes qualitates essentiales inter se communes (§. 463.): Et per consequens perfecta essentiali gaudent similitudine (§. 508.).

Ex. gr. Singula hominum individua, quatenus ad eandem pertinent speciem, essentiali similitudine eademque perfecta, inter se gaudent:

Ha-

Habent enim non solum animam rationalem & corpus organicum, sed & omnes facultates, hinc pendentes, easdem.

§. 555.

Quem ad modum ergo inter individua ejusdem speciei datur identitas qualitatum essentialium (§. 508.), *ita etiam inter eadem locum habet identitas quantitatum essentialium.* Constituuntur enim individua ejusdem speciei identitate plenaria omnium determinationum essentialium, quæ illis conveniunt (§. 547.). Continetur vero inter determinationes essentiales quantitas essentialis (§. 477.). Hanc igitur eandem inter se possident individua ejusdem speciei. *Identitas quantitatum essentialium inter individua ejusdem speciei.*

Certum quidem est Enti Infinito non competere quantitatem, juxta tamen constat omnia individua, quæ sub aliqua subordinantur specie, finita esse & limitata, & idcirco illa omnia possidere quantitatem essentialem, quæ non potest non eorum specificam ingredi identitatem. Sic numerus æqualium laterum ternarius est quantitas discreta, triangulo æquilatero essentialis, quæ non potest non eadem esse, salva manente hac figura, quæ trilatera vocatur.

Patet hinc ratio, ut arbitror, sufficiens, cur cum plerisque recentiorum non definiam speciem per *similitudinem individuorum* Nam 1.o) in hac definitione non determinatur an essentialis, an vero accidentalis intelligatur similitudo; illa quidem speciem ingreditur (§. 554); hæc au-

tem, quia ex accidentibus pendet, ſpeciem ingredi nequit (§. 553.). 2:do) *Per hanc definitionem* excluditur omnis identitas quantitatis eſſentialis, qua tamen, ut modo demonſtravimus, conſtare debent individua ejusdem ſpeciei. Definitionem ergo ſpeciei, apud Ariſtotelicos magis uſitatam, huic recentiorum definitioni præferendam eſſe judico.

§. 556.

Qui gradus variat ſpeciem, qui non? *Diverſus eſſentialis gradus, non vero accidentalis, obvius in individuis, eorum variat ſpeciem.* Nam diverſus in individuis eſſentialis gradus infert diverſitatem quantitatis eſſentialis qualitatum earundem eſſentialium, quæ in illis dantur (§. 488). Hæc itaque diverſitas ſi non mutaret ſpeciem, identitas quantitatis eſſentialis illam non ingrederetur, quod tamen mox demonſtratis repugnat (§. 555.). Concedendum ergo eſt, diverſum eſſentialem gradum in individuis mutare eorum ſpeciem.

Alia autem eſt ratio gradus accidentalis, qui in eodem ente eſt inconſtans (§. 489.), & conſiſtit in quantitate accidentali earundem qualitatum accidentalium (§. 488.). Speciem ergo ingredi nequit (§. 553.). Hac igitur ſalva, ille alius & alius eſſe poteſt.

Ne te offendat adpellatio: *diverſus eſſentialis gradus*, quaſi ex illa ſequi putares, gradum eſſentialem eſſe inconſtantem, quod tamen abſurdum antea evicimus (§. 489.); ſcias precor me hac adpel-

pellatione non dicere velle uni eidemque individuo varium esse essentialem gradum, quod sane contradictorium foret, sed diversa individua, quibus diversus essentialis gradus competit, ad diversam pertinere speciem. Sic in Tobia v. gr. homine, & Raphaële angelo, diversus est gradus intelligendi, in hoc longe excellentior, quam in illo; vi ergo præsentis propositionis vere colligo, Tobiam & Raphaëlem non ejusdem, sed diversæ esse speciei. Intelligis hinc, quod alibi dicetur plenius, entia simplicia, quæ gradibus repræsentationum, qui universam immutant repræsentationem, differunt, ad diversas referri species. Longe vero alia est ratio graduum accidentalium, qui notionem speciei non ingrediuntur, illamque proinde variare & mutare nequeunt. Hoc modo quamvis *Petrus Remundus de Monmort*, de quo *Fontenellius* in Hist. Acad. Paris. pro anno 1719. p. 115. eum attentionis possederit gradum, quo potuit in eodem conclavi, quo instrumenta musica pulsabantur, & filiolus, hinc inde cursitans, patrem interpellabat, problematum difficilium solutionem ad finem perducere; non tamen ideo hic Gallorum Mathematicus alterius est speciei, quam is, qui eum attentionis gradum sibi non comparavit, & vel mussitatione aliorum in attentionis suæ exercitio turbatur. Pari modo licet rectissime judicet *Tacquettus*, paucissimorum attentionem fore tam diuturnam, & constantem, ut demonstrationibus *Clavianis* de Astrolabio, admodum prolixis, rite perpendendis, & Schematibus de eodem, admodum implexis & intricatis, distincte extricandis & perspiciendis,

sufficiat; nemo tamen ideo dixerit alios, quos hoc attentionis gradu, qui solum accidentalis est, superat Clavius, non esse ejusdem cum illo speciei humanæ. Idem illustrant aliarum quoque qualitatum accidentalium gradus, qui in diversis ejusdem speciei individuis multum differunt.

Explicuimus sic & legitime determinavimus tritam illam apud veteres Philosophos regulam: *Gradus non variat speciem*, vel ut illam habet *Zabarella* L. I. de Math. pr. Cap. IX. *Differentia secundum magis & minus non variat speciem*, vel ut *Nicol. Hunnius* in Canon. Log. Cap. II. p. 99. *Magis & minus non variat Speciem.* Quilibet perspicit, distinctione facta inter gradum essentialem & accidentalem, valere canonem de hoc, non autem de illo. Quæ sane caussa fuit, cur indeterminata, qua veteres utuntur, dictione non contenti, aliis illam exprimere verbis debuimus, ut determinatæ & distinctæ, quam desideramus, cognitioni daretur locus, sine duplici graduum discrimine, distincte proposito, haud obtinendus. Habet de cetero hic veterum canon, ubi, omisso gradus vocabulo, cum Zabarella vel Hunnio exprimitur, latiorem adhuc extensionem, ipsius etiam quantitatis variationem, suo comprehendens ambitu, unde sequens exsurgit propositio.

§. 557.

Quantitas accidentalis non variat speciem.

Diversa quantitas accidentalis, major scilicet vel minor, in individuis obvia, eorum non variat speciem. Absolvitur enim quantitas acci-

accidentalis determinationibus accidentalibus, quæ sine alio assumto intelligi nequeunt (§. 477.). Nullum vero individui accidens notionem ingreditur speciei (§. 553.), hac igitur salva, illud varium esse potest. Intelligimus ergo diversam quantitatem accidentalem, in individuis obviam, eorum non mutare speciem.

Hoc modo intelligimus quod *Saurius* in Syntagm. Log. L. I. Sect. I. Cap. III. p. 89. regulam: *magis & minus non variant speciem*, illustraturus, adducit, cultrum & cultellum, pygmæum & gigantem, specie non differre. Antea enim ad §. 477. observavimus, omni quidem corpori essentialiter competere quantitatem, hanc tamen vel illam in singulari esse ejus accidens. Cultri ergo ut & corporis humanæ staturæ quantitas hæc vel illa est eorum accidens, quæ itaque speciem mutare nequit.

§. 558.

Completam rei notionem in Logicis dicimus, quæ notas continet ad rem a quavis alia dignoscendam immo & agnoscendam sufficientes. *Notio completa quid?*

Non est ut multis heic explicemus vel notionem in genere, vel varias ejus species, inter quas etiam locum invenit, quæ completa vocatur; Totam enim hujus rei expositionem sibi attribuit Logica. Sufficit nobis in usum sequentium heic indicasse quid nomine notionis completæ intelligamus.

§. 559.

Notio individui completa. *Notio individui completa componitur ex notione speciei, sub qua continetur, & differentia numerica.* Habet quodvis individuum, sub aliqua comprehensum specie, eandem cum altero ejusdem speciei essentiam (§. 547.), diversam vero ab altero diversæ speciei essentiam (§. cit.): Et quæ ejusdem speciei sunt individua, a se mutuo secernuntur per differentiam numericam (§. 550.). Distinguitur ergo individuum quodvis ab alio diversæ speciei per essentiæ diversitatem h. e. per diversam speciei notionem (§. 547.), & ab individuis ejusdem speciei per differentiam numericam. Neque præter individua vel ejusdem, vel diversæ speciei, dari alia permittit principium exclusi medii, quodlibet est vel non est. Notione ergo speciei & differentia numerica unum individuum ab alio quovis sufficienter dignoscitur. Est vero essentia, qua notio speciei constituitur, determinatio ejus intrinseca (§. 417.). Differentia autem numerica constituitur determinationibus externis & accidentalibus, quæ internis sunt adnumerandæ (§. cit.). Exhibent itaque notio speciei & differentia numerica sufficientes notas dignoscendi unum individuum ab altero (§. 471.). Ex illis ergo constat cujusvis individui notio completa (§. 558.).

Ex. gr. notionem Petri, ut individui, ingreditur omni-

omnimoda ejus determinatio, in qua quidem continetur identitas essentiæ specificæ, quam cum Paulo habet, & qua ab animalibus brutis, immo ab alio quovis individuo alterius speciei, distinguitur; omnimodam tamen Petri determinationem non absolvit speciei humanæ notio, quia per hanc a Paulo non discernitur; accedente vero differentia numerica, quæ inter utrumque intercedit, sufficienter dignoscitur Petrus, tam a Paulo, quam ab alio quovis individuo alterius speciei.

§. 560.

Abunde hinc elucescit plures esse in individuo determinationes, quam in specie. Hæc enim continet tantum determinationes essentiales, pluribus communes individuis (§. 547.), illud vero, præter has, differentiam quoque possidet numericam (§. 559.). *Major individui determinatio quam speciei.*

Facit huc exemplum, modo allatum (§. 559.), aliaque innumera, quæ sine ulla difficultate eruuntur.

Quamvis individuum, quà tale, nihil superaddat speciei essentiale, sed sola accidentia cum extrinsecis determinationibus (§. 552. 553.); inde tamen cum *Zabarella* L. I. Post. V. §. 38. non est colligendum, plus non esse in singulari quam in specie: Falsum enim est, plus illud semper involvere respectum ad essentiale. Potius, quia inter intrinsecas individui determinationes numerantur accidentia (§. 552.), illudque quatenus sub specie continetur, & ideo finitum est,

com-

comprehendit determinationes extrinsecas, potius, inquam, hæ determinationes, cum accidentalibus junctæ, & notioni speciei superadditæ, semper aliquod plus, quam quod in notione speciei est, constituunt.

§. 561.

Modus concludendi ab individuo ad speciem & vicissim.

Non igitur a determinato individuo ad speciem, sed ab hac ad illud universalis valet conclusio. Ubi enim a determinato individuo colligitur, ratio concludendi ex differentia numerica, quæ determinatum efficit individuum (§. 550.), desumitur. Quam ob rem, quia notionem speciei differentia numerica non ingreditur (§. 547. 550.), a determinato individuo ad speciem non valet argumentatio; semper tamen a specie, quæ individuorum involvit essentialem convenientiam (§. 547.), ad individuum, quod speciei notionem includit (§. 559.), universalis valet conclusio.

Vitiose ergo ex *Newtoni* v. gr. in Mathematicis notitia infertur, omnes homines esse Mathematicos. Vitio autem caret collectio, quæ exinde, quod species humana intelligendi possideat facultatem, infert Newtono eandem competere facultatem. Ceterum has regulas pluribus exponunt Logici, quorum præcipuum est officium, ratiocinandi tradere leges. Sufficit Metaphysico harum legum indicasse & demostrasse fundamentum.

§. 562.

§. 562.

Præter ſpeciem, quæ infimam conſtituit entium univerſalium claſſem (§. 547.), dantur claſſes adhuc ſuperiores (§. 545.); inter has, quæ comprehendit plures infimas, dicitur Genus, quod itaque abſolvitur determinationibus, quæ pluribus ſpeciebus ſunt communes, ſeu conſtituitur identitate, vel convenientia determinationum, quæ pluribus inſunt ſpeciebus. *Definitio generis.*

Ex. gr. Species, qua hominum ſingulorum conſtituitur convenientia, in eo convenit cum ſpeciebus equorum, boum, canum, aliorumque animantium brutorum, quod vitam habeat & ſenſus. Oritur hinc notio animalis; quæ per ens vivens & ſentiens explicata, genus harum conſtituit ſpecierum.

Alias vox *genus* ambigua eſt & varie ſumitur, uti ex L. IV. Meth. Cap. XXVIII. Ariſtotelis, & ex *Porphyrii* Iſag. Cap. II. prolixe conſtat. Nam 1:o) *Significat Genus familiam*, ſeu hominum collectionem ex eodem genitore., Heraclidarum hinc genus, quod ab Hercule originem traxit. 2:do) *Notat collectionem aliquorum*, qui ad unum quoddam inter ſe ſunt affecti. Sic dicimus aliquem eſſe genere Suecum, i. e. patria & natione: Genere nobilem, i. e. familia & ſtirpe. 3:o *Sumitur Phyſice pro ſubjecta materia*, quam Ariſtoteles vocat γένος ὑποχείμενον, & de hoc genere valet illud L. I. Poſt. Analyt. ἐ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος: Non licet tranſilire ſeu eva- *Ambiguitas vocis genus.*

vagari in aliud genus, h. e. in aliam peregrinam materiam. 4:o *Pro aliquo magis universali* quam ſpecies eſt. Et in hac acceptione, quæ præſentis eſt loci, ita definitur ab *Ariſtotele* L. IV. Top. Cap. v. γένος ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. Quam eandem definitionem generis tradit quodue *Porphyrius* in Iſag. Cap. II. Hinc Ariſtotelici uno quaſi ore dicunt genus eſſe, quod de pluribus ſpecie differentibus in quid prædicari poteſt. Eodem itaque jam liquet modo, prout de Specie ad §. 547. obſervavimus, Ariſtotelis & eorum, qui illum ſequuntur, generis definitionem ei, quam nos tradidimus, ex aſſe conformem eſſe.

§. 563.

Quæ determinationes notionem generis ingrediantur.

Conſtituitur ſpecies perfecta identitate omnium eſſentialium determinationum, quæ in individuis ſunt obviæ (§. 547.), remotis accidentibus & determinationibus externis (§. 553.). Abſolvitur vero genus convenientia determinationum, quæ ſpeciebus inſunt (§. 562.). *Non ergo niſi determinationes eſſentiales, ſpeciebus communes, ingredi poſſunt genus.*

Ex. gr. Notionem trianguli rectilinei in genere non ingrediuntur niſi determinationes eſſentiales, communes triangulis æquilateribus, æquicruris, & ſcalenis; non autem quæ harum ſpecierum individuis competunt accidentia, ne ſpeciei quidem adjudicanda notioni.

§. 564.

§. 564.

Est genus ens universale (§. 562.), sed duo entia universalia perfecte eadem dari nequeunt (§. 546.): *Impossibile ergo est locum inveniant duo plurave genera, perfecte eadem.* *Impossibilitas perfectæ identitatis generum.*

Sint genera A & B perfecte eadem, ad genus A pertineant species C. D. E, easdem ergo species comprehendet genus B, iisdemque ac A constituetur determinationibus. Et proinde non nisi nomine differre poterunt A & B, quæ, per consequens, re ipsa coincident, & unum idemque erunt, nullaque generum pluralitate distinguenda.

§. 565.

Quoniam genera perfecte eadem dari nequeunt (§. 564.), locum semper inter plura genera obtinet aliqua diversitas (§. 391. 392.) determinationum essentialium, quæ diversis communes sunt speciebus (§. 563.): *Species itaque diversi, sub quo continentur, generis a se mutuo distinguuntur determinationibus, quæ genera, quibus species illæ substant, ingrediuntur* (§. 431.). *Modus distinguendi generis diversi species.*

Er. gr. Duo sunt figurarum genera, quadrilaterum scilicet & trilaterum, quæ a se mutuo secernuntur numero laterum quaternario & ternario, quibus figuræ istæ includuntur. Quævis ergo species, sub quadrilatero comprehensa, verb. gr. Rhombus, a quavis specie, sub trilatero

tero complexa, v. gr. æquicruro dignoscitur diverso laterum numero, quo earum inter se distant genera.

§. 566.

Quæ identitas in genere. *Genus constitui nequit perfecta, sed respectiva, seu partiali identitate specierum, quæ ad illud referuntur.* Duæ pluresve species, quia entia sunt universalia (§. 547.), quarum quælibet perfectam involvit essentialem convenientiam suorum individuorum (§. cit.), dari nequeunt vel perfecte eædem, vel perfecte diversæ (§. 546.). Constituitur vero genus determinationibus, quæ pluribus speciebus sunt communes (§. 562.). Plures ergo species, ad genus aliquod pertinentes, neque perfecte eædem, neque perfecte diversæ esse possunt. Sunt itaque nonnisi partialiter diversæ (§. 393.).

Sic sane si perfecta daretur identitas triangulorum, æquilateri, æquicruri, & scaleni, ex quibus, ceu suis speciebus, constituitur triangulum in genere; neque inter species istas inter se mutuo, neque inter quamlibet speciem & genus, ullum daretur discrimen, quod tamen res ipsa absurdum loquitur: Perspicuum namque est in notione trianguli æquilateri esse æqualitatem trium laterum, in notione trianguli æquicruri, esse æqualitatem duorum, tertio remanente inæquali, in notione autem trianguli scaleni esse omnium trium laterum inæqualitatem, quæ singulæ specierum efficiunt di-

diverſitatem, a notione generis removendam, iis ſolum conſtante determinationibus eſſentialibus, quæ his ſpeciebus ſunt communes, & quæ per figuram tribus lineis incluſam exponuntur. Neque ergo dictæ triangulorum ſpecies abſolutam inter ſe habent diverſitatem.

§. 567.

Per modum conſectarii hinc ſtatim pateſcit genus conſtitui partiali convenientia determinationum eſſentialium, quæ in pluribus dantur ſpeciebus (§. 563.). *Natura generis.*

Hinc quidam Ariſtotelicorum cum *Mendozi* Diſp. Log. IV. Sect. I th. 3. Genus definituri, dicunt illud eſſe univerſale, quod de pluribus ſpeciebus prædicatur incomplete, h. e. ita ut non exprimat totam eſſentiam ſpeciei, de qua dicitur. Ex. gr. cum dico: *homo eſt animal*, incomplete prædicatur genus, *animal*, de ſpecie, *homo*, quia hujus eſſentiam totam non exprimit: In eſſentia hominis, præter hoc, quod animal ſit, ſimul continetur quod rationis ſit particeps. Recte vero obſervat *Bechmannus* in Inſt. Log. Ariſtot. L. I. Cap. III. p. 46. non opus eſſe ut addatur vox *incomplete* in definitione generis, quia, quod huic reſpondet voci, in definitione implicite continetur, & ex illa per modum conſectarii recte deducitur, cujus rei veritatem præſenti exhibuimus conſectario.

§. 568.

Quia itaque ſpecies ſub aliquo comprehenſæ genere, nonniſi partialem, ſeu reſpectivam determina- *Differentiæ ſpecificæ notio.*

S tio-

tionum suarum essentialium habent convenientiam (§. 567.), datur aliqua inter dictas species determinationum essentialium diversitas (§. 393.), quæ itaque *differentiam* constituit *specificam*, consistentem ergo in determinationibus, quibus species, ad idem pertinentes genus, inter se differunt.

Hoc modo ratio æqualitatis laterum inter se in triangulo æquilatero, ratio æqualitatis duorum & inæqualitatis cum tertio in triangulo æquicruro, ratio inæqualitatis omnium trium in triangulo scaleno constituit differentiam specificam, qua quælibet harum specierum, sub eodem genere comprehensarum, ab altera differt.

Multa monere solent Aristotelici de differentia in genere & variis ejus speciebus, de quibus tamen omnibus, quantum judicavimus satis, in Capite de eodem & diverso egimus. Heic ergo unice circa differentiam, quæ specifica audit, nostræ detinebuntur meditationes. Hanc differentiam *Porphyrius* in Isag. Cap. IV. ita definit: Διαφορά ἐστι τὸ χωρίζειν πεφυκὸς τὰ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, ὅπερ εἰς τὸ εἶναι συμβάλλεται, καὶ εἰς τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ὃ τοῦ πράγματος ἐστι μέρος: Differentia est id, quod habet vim separandi ea, quæ sunt sub eodem genere, quodque ad essentiam rei & ad id, quod res est, confert, atque est pars rei. Adeo perspicuum arbitror hanc Porphyrii definitionem differentiæ, aliis licet prolatam verbis, cum nostra tamen ex asse convenire, ut, ad ejus ostendendam cum nostra convenientiam, ne verbulo quidem babeamus

mus opus. Multo itaque melius rem ſuam egiſſent, & diſtinctiori rerum cognitioni conſuluiſſent, ſi hanc Porphyrii retinuiſſent definitionem, et loco ejus hanc non ſubſtituiſſent: *Differentia eſt quod prædicatur de pluribus in quale quid eſſentiale, ſeu conſtitativum*, vel ita: *Differentia eſt quæ cum genere conſtituit certam ſpeciem, & prædicatur de pluribus in quale quid.* Nam magna laborant hæ notiones obſcuritate tum ob inexplicatum, immo auſim addere, inexplicabile diſcrimen prædicationis *in quid*, & *in quale*, quaſi illud de genere & ſpecie ſolum valeret, hoc autem de differentia, & quaſi ex qualitatibus conſtitutivis & eſſentialibus, inter ſe convenientibus, non determinarentur genera & ſpecies, quaſi etiam differentia, quæ circa quale verſaretur, ingrederetur notionem ſpeciei, ex prædicatione *in quid*, ſecundum hos Philoſophos deſumtam. Deinde non minoris eſt obſcuritatis dictio, in definitione differentiæ occurrens: *prædicatur de pluribus.* Certe differentia non prædicatur de pluribus ſpeciebus, nam ſic non eſſet differentia, nec de pluribus generibus, quorum notionem, neque conſtitutive, neque conſecutive ingreditur; ſed ſolum de pluribus individuis, ſub ſpecie, cujus eſt differentia, comprehenſis. Rejecta igitur Scholaſticorum definitione differentiæ, noſtram retinemus rei veritati & Porphyrianæ definitioni amiciſſime conſentientem.

§. 569.

Differentia ſpecifica non ex accidentalibus vel extrinſecis determi- *Differentia ſpecifica un-*

 natio-

de desumenda. *nationibus, sed ipsis rei essentialibus est desumenda.* Differentiam enim non ingrediuntur aliæ determinationes, quam quæ cuilibet insunt speciei, & quibus una species ab altera dignoscitur (§. 568.). Sed a notione speciei removendæ sunt determinationes accidentales & externæ (§. 553.), illamque ingrediuntur sola essentialia (§. 547.). Non ergo ex accidentibus & extrinsecis determinationibus, sed solis rei essentialibus desumenda est differentia specifica.

Veritatem hujus propositionis perspexit etiam *Aristoteles*, qui L. VI. Top. Cap. VI. §. 10. bene monet, *videndum esse an differentia per accidens insit rei definitæ:* ὐδεμία γὰρ διαφορὰ τῶν μετὰ συμβεβηκὸς ὑπαρχόντων ἐςὶ καθάπερ ὐδὲ τὸ γένος. *Nulla enim differentia est in numero illorum, quæ per accidens insunt, quem ad modum nec genus;* quia fieri nequit, ut differentia eidem insit & non insit, uti illam rationem rectissime ibidem addit Aristoteles. Idem quoque innuit Porphyrius, ad differentiam specificam, ut mox audivimus (§. 568.), id, quod ad essentiam rei confert, requirens.

Usus Theologicus. Recte hinc impugnamus Pontificios, qui verbum Dei, tanquam genus, dividunt in verbum scriptum & non scriptum, tanquam in binas species, quasi ex scriptione, quæ verbo Dei nonnisi accidentalis est, differentiam desumere liceret specificam. Manet idem Dei verbum, idem conceptus divinus, sive scribatur, sive prædicetur, sive legatur,

gatur, sive audiatur, sive cantiletur. Hæc accidentalia solum sunt & extrinseca, ex quibus notio speciei & differentia specifica nonnisi absurde conditur. Peccant quoque, qui Philosophiam in varias divisuri species, dicunt aliam ante, aliam post lapsum esse, aliam sectariam, aliam electivam. Accidentia hæc Philosophiæ sunt, quæ aliam & aliam non faciunt Philosophiam. Certe si hæc divisio tam esset genuina, quam est absona, eodem diceremus jure Philosophiam aliam esse auditam, aliam prælectam, aliam disputatam, aliam pictam. In eandem hanc impingere videntur cautelam, qui, mineralia & vegetabilia in certas distincturi classes, ex accidentium, quæ illis conveniunt, discrimine, & locorum, quibus inveniuntur & crescunt, differentia, totam instituunt classificationem, potius ex interno, ubi obtineri poterit, quam ex hoc externo indicio derivandam.

§. 570.

Ignoratis essentialibus unde desumenda differentia specifica.

Ubi tamen ipsa essentialia cum attributis latent, differentiam specificam desumere licet ex possibilitate accidentis proprii, non autem communis. Nam in casu, ubi cum essentialibus latent attributa, ex intrinsecis determinationibus aliæ non remanent, quam solæ accidentales (§. 417.), quæ tamen, quà tales, differentiam specificam ingredi nequeunt (§. 569.). Si vero accidens fuerit proprium, tum ejus possibilitas locum tenet attributi proprii entis, cui competit (§. 384.),

 adeo-

adeoque pluribus diversæ essentiæ entibus (§. 409.), & per consequens, speciebus (§. 547.), convenire nequit. Constituit itaque determinationem, qua una species ab altera differt, seu quod idem est, differentiam specificam (§. 568.).

Longe vero aliter comparata est accidentis communis possibilitas, quæ enti instar attributi communis competit (§. 384.), pluribusque idcirco diversæ essentiæ entibus (§. 411. 412.), &, per consequens, pluribus speciebus simul convenit (§. 547.). Constituit ergo determinationem pluribus speciebus communem, quæ differentiam non ingreditur specificam (§. 568.). Quam ob causam ex possibilitate accidentis communis condi nequit differentia specifica.

Habet hæc veritas insignem in Physicis usum, ubi nonnisi per accidentia, quæ in organa nostra agunt sensoria, ad interiora corporum penetrare licet. Quare non penitus improbamus eorum in Historia Naturali operam, qui ex accidentium consideratione mineralium & vegetabilium instituunt classificationem, modo non acquiescant in accidentibus communibus, sed propriorum eligant possibilitates, speciem unam ab altera distincturi.

§. 571.

Definitio generum superiorum. Quem ad modum in constituendo ente magis & magis universali progredi licet per varios gradus

dus, usque dum deventum fuerit ad ens universalissimum (§. 545.); ita comparando varia genera, ex deprehensa mutua eorum convenientia oritur genus aliquod superius. Scilicet Genus, quod per convenientiam specierum definivimus (§ 562.), *Inferius*, seu *subalternum*, Philosophis jam dici suevit. Quod vero convenientia determinationum, quæ pluribus insunt generibus inferioribus, absolvitur, *Superius* vocari solet. In quo constituendo varii adhuc dantur gradus, usque dum deventum fuerit ad *genus generalissimum*, quod supra se nullum aliud habet genus, & Entis nomine venit.

Valent huc, quæ antea allegavimus, exempla (§. 545.), gradus in ente universali constituendo illustraturi.

§. 572.

Generum inferiorum & superiorum affectiones.

Genera ergo inferiora eodem modo referuntur ad superius, cui substant, quo species ad suum genus (§. 562.). Quam ob causam, respectu generis sui superioris, recte considerantur, ut species, genera hæc inferiora. De genere itaque superiori, immo & inferioribus, sub superiori comprehensis, eadem valent, quæ modo demonstravimus (§. 563. ad §. 567. inclusive), de genere inferiori in relatione ad suas species, & de his in relatione ad suum genus.

Ex. gr. *Animal* & *vegetabile*, tanquam duo genera inferiora, referuntur ad suum genus superius, *vivum*, eodem modo, quo diversæ animalium & vegetabilium species sua hæc genera inferiora spectant.

§. 573.

Differentiæ Genericæ definitio. Patescit hinc eodem modo determinari differentiam, quæ inter diversa intercedit genera inferiora, ac antea (§. 568). eam eruimus, quæ inter diversas locum habet species, ad idem pertinentes genus inferius. Exsurgit hinc *Differentia Generica*, quæ constituitur determinationibus, quibus genera inferiora, sub eodem contenta superiori, inter se differunt.

Triangulum v. gr. rectilineum genus est, quod sub se continet species, triangulum æquilaterum, æquicrurum & scalenum. Figura quadrilatera est etiam genus, quadratum, Rhombum, Rhomboidem & Trapezia comprehendens. Tertium genus constituit figura multilatera, continens illas figurarum species, quæ pluribus quam quatuor rectis lineis continentur. Hæc tria genera inferiora in eo conveniunt, quod sint figura rectis lineis inclusa. Primum genus inferius a secundo distat ratione trium laterum ad quatuor, a tertio vero ratione trium ad numerum laterum quaternario majorem. Hæc ergo numerorum laterum, quæ figuras includunt, diversitas differentiam constituit genericam harum figurarum, sub eodem genere superiori comprehensarum.

§. 574.

§. 574.

Habent se genera inferiora ad superius, quo continentur, ut species ad suum genus (§. 572.). Differentia igitur generica, quæ est inter diversa genera inferiora (§. 573.), ejusdem est affectionis ac differentia specifica (§. 568.). De illa itaque eadem valent, quæ de hac demonstravimus (§. 569. 570.). *Differentiæ genericæ affectiones.*

§. 575.

Ubi in entium universalium instituendis classibus (§. 545.) ulterius consideraruntur Philosophi, quam habeant inter se vel remotiorem, vel propinquiorem relationem, quæ supra infimam, speciei nomine insignitam, sunt collocatæ, occasionem nacti sunt sat prægnantem distinguendi genus in *Proximum* seu *Propinquum* & *Remotum*. *Illud* est, inter quod & alterum, cujus esse debet genus, aliud non intercedit. *Hoc* vero est, inter quod & illud, cujus est genus, aliud genus, vel plura etiam genera intercedunt. *Generis proximi & remoti definitio.*

Ex. gr. Quando in Logicis distinguitur notio, in genere spectata, in claram & obscuram; clara in distinctam & confusam; distincta in completam & incompletam; genus proximum ultimæ distinctionis, seu specierum notionis completæ & incompletæ, est notio distincta, quia inter hanc & dictas species, quarum est illa genus, aliud non intercedit genus. Notio autem

clara est dictarum specierum genus remotum, quia inter illas & hoc genus aliud intercedit, quod nomine notionis distinctæ insignitur. Eodem modo notio in genere est genus remotum in relatione ad notionem distinctam, generis inferioris loco consideratam, quia inter hanc & illam aliud intercedit genus, cui nomen est notio clara.

§. 576.

Notio speciei quibus componitur. *Notio speciei completa constat notione generis, sub quo ea proxime continetur, & differentia specifica.* Habet enim quævis species, sub eodem comprehensa genere, easdem determinationes essentiales, quibus genus illud constituitur, ab altera sub eodem contenta genere (§. 562. 563.), altera vero ab altera per differentiam specificam distinguitur (§. 568). Notionem itaque speciei ingrediuntur tum eæ determinationes essentiales, quibus constat ejus genus, tum quæ differentiam absolvunt specificam: illis distinguitur species ab aliis speciebus diversi generis (§. 565), his a se mutuo distinguuntur species ejusdem generis (§. 568.). Jam vero ex principio exlusi medii (§. 63.) liquet, species aut esse ejusdem, aut diversi generis, & præterea non dari alias. Differentia itaque specifica & notione generis, cui substat species, sufficienter dignoscitur species ab alia quavis. Sed sunt determinationes istæ essentiales, tum in genere obviæ (§. 563.), tum

in

in differentia ſpecifica conſpicuæ (§. 568.), cuilibet ſpeciei, quæ ſub genere comprehenditur, intrinſecæ (§. 417.). Notio itaque generis & differentia ſpecifica ſufficientes exhibent notas (§. 471.) dignoſcendi unam ſpeciem ab altera (per demonſtr.). Illis ergo notio ſpeciei completa componitur (§. 558.).

Nihil itaque pro adſerti veritate reſtat aliud, quam ut oſtendatur ad completam ſpeciei notionem formandam, cum differentia ſpecifica copulatam, non ſufficere notionem generis remoti, ſed requiri genus proximum. Quod quamvis ex modo allata demonſtratione haud obſcure pateſcat, majoris tamen gratia perſpicuitatis licebit idem indirecte oſtendere. Ponamus ad completam ſpeciei notionem non requiri genus proximum, ſed ſufficere remotum; quare, quia inter hoc & ſpeciem intercedit aliud, vel etiam plura alia genera (§. 575.), & proinde eſt genus quoddam ſuperius, ex convenientia generum inferiorum, inter quæ locum habet illud genus, cui proxime ſubſtat dicta ſpecies, originem trahens (§. 571.); ſequeretur notionem generis ſuperioris cum differentia ſpecifica exhibere notionem ſpeciei completam. Diſtinguuntur vero inter ſe genera inferiora, ſub eodem ſuperiori comprehenſa, per differentias genericas (§ 573.), quæ conſtant determinationibus in genere ſuperiori non obviis, obviis tamen in infe-

feriori (§. cit.), adeoque cuilibet speciei, sub illo comprehensæ, communibus (§. 571.), quæ differentiam non ingrediuntur specificam (§. 568.). Notio itaque speciei, præter notionem generis superioris & differentiam specificam, alias adhuc continet determinationes essentiales, neque ex notione generis superioris, neque ex differentia specifica deducendas, differentiam illam constituentes genericam: Docet autem Logica notionis completæ inter alia munus esse ea continere, quæ reliquis omnibus, quæ rei constanter insunt, inde deducendis inserviant: Notio itaque speciei, quæ ex notione generis superioris, seu remoti (per Demonstr.), & differentia specifica componitur, non est completa; Sed completa esse debet vi hypotheseos. Fieri ergo nequit, ut completa speciei notio constet notione generis remoti & differentia specifica; Adeoque, quia genus remotum & proximum per notiones suas sibi mutuo & contradictorie opponuntur (§. 575. 424.), ut completa obtineatur speciei notio, cum differentia specifica conjungenda est notio generis nonnisi proximi.

Ex. gr. Genus proximum hominis, tanquam speciei, est animal, differentia autem specifica est rationalitas, qua ab animantibus brutis dignoscitur. Notio itaque hominis completa exprimitur per animal rationale, seu, quod idem est, per ens compositum corpore organico & ani-

anima rationali. Genus hominis remotum est τὸ *vivum*, quod, cum rationalitate conjunctum, non constituit hominis notionem completam, quia inde, nisi absurde dicere velles facultatem sentiendi, quæ corpus supponit organicum, vel ex τῷ *vivo* fluere, atque ideo etiam vegetabilibus competere, vel ex animæ rationalis simplicitate, omnis organismi nescia, dependere; quia, inquam, facultas sentiendi inde derivari nequit. Genus itaque illud hominis remotum, τὸ *vivum*, cum rationalitate copulatum, non sufficit ad completam hominis notionem, sed requiritur genus proximum, animal puta, ex quo facultas sentiendi, quæ homini cum brutis est communis, recte determinatur.

Quam demonstravimus propositionem ita exprimit *Aristoteles* L. VI. Top. Cap. VI. §. 4. *πᾶσα εἰδοποιὸς διαφορὰ μετὰ τοῦ γένους εἶδος ποιεῖ*, *omnis differentia specifica cum genere speciem efficit*. Hinc omnes Aristotelici & Scholastici hanc eandem adprobarunt regulam, licet nemo eorum, ex vitio seculi, ejus demonstrativam introspexerit indolem, putans sibi satis esse ad auctoritatem magni Philosophi Aristotelis provocare, in qua tamen acquiescere non est genuini Philosophi character, qui assertorum addere debet sufficientes rationes, ex ipsis rebus hauriendas.

§. 577.

Quia genera inferiora referuntur ad suum superius, ut species ad genus, cui proxime substat (§. 571.): quia etiam

Notio generis inferioris quia

bus constat. tiam differentia generica, qua inter se distinguuntur genera inferiora, ad idem pertinentia superius (§. 573.), ejusdem cum differentia specifica est conditionis (§. 574.), evidens omnino est, *notionem generis inferioris completam componi ex notione generis superioris, cui proxime subest, & differentia generica* (§. 576.).

Propositionem præsentem, per modum corollarii ex præcedenti deductam, illustrat figuræ quadrilateræ, tanquam generis inferioris, notio, quæ componitur ex notione figuræ rectilineæ, ceu generis superioris, & numero laterum ternario, tanquam differentia generica. conf. not. ad §. 573.

§. 578.

Pluralitas determinationum in specie & generi inferiori. *Plures sunt in specie determinationes quam in ejus genere, & plures in genere inferiori, quam in ejus superiori.* Genus enim, cui proxime subest species, continet tantum determinationes speciebus communes (§. 562.); species vero quælibet præterea comprehendit differentiam specificam (§. 576.), h. e. determinationes sibi proprias (§. 568.). Plures itaque sunt in specie determinationes, quam in ejus genere. Pari modo: Genus superius, cui proxime substat genus inferius, absolvitur tantum determinationibus, quæ generibus inferioribus, sub illo comprehensis, sunt

ſunt communes (§. 571.), genus vero quodlibet inferius inſuper ſimul involvit differentiam genericam (§. 577.), quæ determinationibus abſolvitur, cuilibet generi inferiori propriis (§. 573.). Plures itaque dantur in genere inferiori determinationes, quam quæ in ejus ſuperiori occurrunt.

Ex. gr. Notionem hominis plures ingrediuntur determinationes, *rationalitatem* puta, quam quæ dantur in notione animalis, ceu generis. Plures etiam ſunt in notione animalis, tanquam generis inferioris, puta *ſentiens*, quam in notione generis ejus ſuperioris, *vivi*, ſub quo & vegetabilia continentur, facultate ſentiendi deſtituta.

Recte hinc dixit *Ariſtoteles* L. IV. Top. I. §. 12. *ἐπὶ πλέον γὰρ ἀεὶ τὸ γένος τȣ̃ εἴδȣς λέγεται*, genus ſemper latius patet quam ſpecies. Et *Porphyrius* in Iſag. Cap. IX. *τὰ μὲν γένη πλεονάζει τῇ τῶν ὑπ᾽ αὐτὰ εἰδῶν περιοχῇ. τὰ δὲ εἴδη τῶν γενῶν πλεονάζει ταῖς οἰκείαις διαφοραῖς*: Genera ſuperant ſpecies comprehenſione, ſpecies autem ſuperant genera propriis differentiis, & ita ex hiſce magis perficiuntur, ut ibidem habet Porphyrius §. 5.

§. 579.

Generis extenſio major quam ſpeciei.

E contra autem genus latioris eſt extenſionis, h. e. de pluribus valet rebus, quam ejus ſpecies, & quo ſuperius eſt genus, eo latioris etiam eſt extenſionis. Quia enim genus conſtituitur determinationibus eſſentialibus, quæ ſpeciebus ſunt communes (§. 562.), ſpecies vero conſtat deter-

determinationibus essentialibus, quæ pluribus insunt individuis (§. 547.), & quælibet species, ab altera, quæ sub eodem comprehenditur genere, secernitur per differentiam specificam (§. 568.), quæ aliis, quam individuis ejusdem speciei, competere nequit (§. 547.); Perspicuum est generis notionem non solum cuilibet comprehensæ speciei competere, sed & omnibus & singulis cujuslibet speciei individuis; speciei vero notionem non attribui posse nisi illis individuis solum, quæ sub hac specie continentur; Generis ergo notionem latioris esse extensionis notione suæ speciei. Quoniam genera inferiora respectu superioris, sub quo continentur, specierum habent naturam (§. 572.), eodem liquet modo, genus superius latioris esse extensionis, quam ejus inferius, & quo superius est genus, eo etiam latioris esse extensionis.

Manifestum hinc fit recte ab Aristotelicis esse observatum, *Speciem* actu ipso plures continere determinationes; *genus* autem potestate plura comprehendere ratione latitudinis & prædicationis suæ. *Stahlius* ex *Cajetano* tit. 10. Reg. 5. genus esse magis collectivum dicit multorum extensive, quia multo plura sub ejus adunatione cadunt; speciem autem intensive, quia magis adunat adunata. Hinc comparat speciem & genus cum duobus ducibus, quorum alter habet exercitum parvum, sed valde unanimem, alter exercitum magnum, sed diversarum factionum.

§. 580.

§. 580.

Non igitur a determinata specie ad genus, sed ab hoc ad illam universalis valet conclusio. Quando enim argumentandi fundamentum præbet determinata species, consideratur illa cum sua differentia specifica, quæ notionem generis non ingreditur (§. 568.). Quam ob rem a determinata specie ad genus universaliter non est colligendum; semper tamen a genere, quod prædicatur de qualibet comprehensa specie (§. 579.), ad speciem universalis valet conclusio.

Modus concludendi a genere ad speciem, & ab hac ad illud.

Dico a specie ad genus universalem non valere conclusionem, quo simul indicare volui, ab illa ad hoc particulariter recte colligi, quod pluribus ostendunt & illustrant Logici, quorum est officium distinctas tradere ratiocinandi leges, in indole rerum, quam Metaphysica subministrat, & natura mentis humanæ fundatas.

§. 581.

Posito individuo, quod sub aliqua specie stare potest, ponitur ipsa species; posita specie, ponitur genus, & posito genere inferiori, ponitur ejus superius. Individui enim, quod alicui subest speciei, notio componitur ex notione illius speciei & differentia numerica (§. 559.). Posito itaque individuo, ponitur, sub qua illud continetur, species.

Individuum infert speciem, hæc genus.

Notionem speciei completam ingreditur

 no-

notio generis (§. 576.), & generis inferioris notionem efficit cum differentia generica notio generis superioris (§. 577.). Posita itaque specie, ponitur genus, & posito genere inferiori, ponitur superius.

Studio in allata propositione additur, quod individuum alicui subsit speciei: Enunciatum enim, affirmans notionem individui constare notione speciei & differentia numerica (§. 579.), ut ipsa ejus insinuant hypothesis & demonstratio, non valet de alio individuo, quam de eo, quod sub aliqua specie continetur. Sine allata ergo restrictione non valeret hæc universalis assertio: *Posito individuo, seu ente singulari, ponitur aliqua ejus species.* Quam in abusum trahere posset, qui exinde, quod Deus sit ens singulare, incaute inferret dari aliquam speciem Divinam, Theologiæ & Revelatæ & Naturali prorsus inimicam.

Vim præsentis, quem attulimus, canonis de specie & genere tantum enunciat *Porphyrius* in Isag. Cap. IX. §. 6. ubi ita loquitur: εἴδους ὄντος, πάντως ἐςὶ τὸ γένος: *ubi est species, ibi omnino est genus.* Nobis vero, ob universalem inde deducendum usum, placuit etiam de individuo & genere inferiori efferre, quia ab illius positione ad speciei, & ab hujus ad generis superioris eodem colligitur modo, ac a specie ad genus.

§. 582.

Generum & specierum Posita itaque existentia individuorum, quæ speciebus subsunt,

poni-

ponitur simul existentia specierum, *existentia in* generum quoque tum inferiorum, *individuis.* tum superiorum. Licet ergo species & genera, ut entia universalia (§. 547. 562.), quà talia, non existant (§. 542.), existunt tamen in individuis existentibus.

Scilicet dum existit ejusmodi individuum, existit cum omnimoda determinatione (§. 528.), in qua etiam ipsa ejus continetur essentia, sine qua existere nequit. In ipsa individui essentia continetur notio tum speciei (§. 547.), tum generis (§. 563.). Er. gr. dum existit homo, actu simul datur animal rationale, seu notio speciei, existit animal, seu hominis genus proximum, existit itaque ens vivens & sentiens, consequenter existit vivens, quod genus hominis remotum constituit. Agitur vero hoc loco non de universalibus, quà talibus, sed quatenus individuis insunt. Præsens itaque assertio non pugnat cum priori, qua evicimus universalia, quà talia, non existere.

§. 583.

Sublata singularium actualitate, remanet possibilitas specierum & generum.

Sublata licet actualitate omnium entium singularium, quæ speciebus subsunt, remanet nihilosecius possibilitas tum specierum, tum generum inferiorum. Est enim entis possibilitas interna constans (§. 229.), quæ ergo, sublata licet entis actualitate, remanet. Hac autem remanente, remanet entis essentia (§. 324.), cum attributis (§. 343.),

 tam

tam propriis quam communibus (§. 347.), & per consequens, una cum determinationibus essentialibus & communibus & propriis (§. 466.); salva itaque manet tum notio speciei (§. 547.), tum generis (§. 562.), & inferioris & superioris (§. 571.).

Formarunt Aristotelici canonem, qui primo intuitu nostro videtur oppositus: *Remotis omnibus speciebus, tollitur & genus.* Sed agit hic canon de actualitate generis, quam tolli dicunt, remota actualitate omnium specierum, quod verissimum esse ex modo ostensis haud obscure colligitur (§. 582.). Nos vero, præsenti, quam stabilivimus, regula, de possibilitate, quæ in concipiente, h. e. intellectu Divino, remanet, agentes turbare nequit memoratus Aristotelicorum canon, circa cujus adplicationem iidem recte monent, caute esse agendum, ut plenaria Specierum inductio instituatur: Quod si enim vel unica species fuerit omissa & ignota, nihil certi concludetur, quum in illa, actu existente, nihilo secius conservetur actualitas generis (§. 585.), quod contra *Keckermanni* Log. system. p. 56. recte observat *Saurius* in Syntagm. Log. L. I. S. I. Cap. III. Q. I. p. 82.

§. 584.

Differentiarum specificarum oppositio. *Differentiæ specificæ plurium specierum, quæ sub eodem genere continentur, sigillatim generi suo minime, simul tamen eidem repugnant.* Componitur enim notio speciei completa ex differentia specifica & genere proxi-

ximo (§. 576.). Differentia ergo specifica & notio generis eidem speciei simul insunt. Idem locum habet de qualibet alia specie, sub eodem comprehensa genere. Differentiæ igitur specificæ plurium specierum, quæ sub eodem comprehenduntur genere, sigillatim spectatæ, generi suo non contradicunt (§. 43.). Constituunt differentiæ specificæ v. gr. A. & B, determinationibus diversis plurium specierum, quæ ad idem pertinent genus (§. 568.). Quam ob rem, quum fieri nullo modo possit, ut idem genus C habeat determinationes A, & simul determinationes B, h. e. habeat determinationes A, & simul non (§. 49.); differentiæ specificæ plurium specierum, quæ sub eodem continentur genere, simul eidem enti inesse nequeunt, atque ideo simul generi repugnant (§. 43.).

Ex. gr. Rationalitas & irrationalitas sunt differentiæ specificæ hominis & animantium brutorum, tanquam duarum specierum, sub eodem genere animalis comprehensarum: sigillatim si spectantur hæ species, neque rationalitas, neque irrationalitas notioni generis repugnat. Ubi vero conjunctim considerantur, impossibile sane est, ut detur aliquod genus, quod & rationale & irrationale simul sit: hoc ergo sensu differentiæ specificæ generi suo repugnant.

Prolixe docet *Aristoteles* L. IV. Top. Cap. III. quomodo ex contrariis disputandum sit de genere aut specie. Inde occasionem sumsere A-

ristotelici formandi canonem: *Nulla species habet aliquid, quod repugnat generi.* Qui canon, quia de qualibet specie sigillatim spectata agit, ex præsenti, quam demonstravimus, propositione, verissimus intelligitur: Quicquid enim speciei inest, vel differentiæ specificæ, vel generis nomine insignitur (§. 576.); sed neque illa repugnat generi (per dem.), neque hoc sibi ipsi contradicere potest. Recte ergo adseritur nullam speciem habere aliquid, quod repugnat generi.

§. 585.

Differentiarum numericarum oppositio. Quoniam notio individui completa componitur ex notione speciei, sub qua continetur, & differentia numerica (§. 559.), quemadmodum notio speciei ex notione generis, sub quo continetur, & differentia specifica (§. 576.); eodem, quo mox factum (§. 584.), ostenditur modo, *differentias numericas plurium individuorum, quæ sub eadem specie comprehenduntur, sigillatim speciei suæ minime, simul tamen eidem repugnare.*

Sic quamvis Petri differentia numerica non sit Pauli, atque adeo hujus & illius eidem homini simul inesse nequeat; neque tamen Petri neque Pauli differentiæ numericæ, sigillatim considerataæ, homini repugnant.

§. 586.

Attributorum communio interentia ejusdem generis. *Quæ ejusdem sunt generis, eadem habent attributa communia, easdemque modorum possibilitates,*

quæ

quæ attributorum communium instar sunt. Quæ enim ejusdem sunt generis, illa non omnia, sed quædum tantum essentialia eadem habent (§. 567.), consequenter iisdem quoque inter se conveniunt, quæ per essentialia ista communia determinantur (§. 398). Sed per quædam ista essentialia non determinantur nisi attributa communia (§. 347.), & accidentium possibilitates, quæ per modum attributi communis insunt (§. 375.). Quæ ergo ejusdem sunt generis, eadem possident attributa communia, easdemque accidentium possibilitates, quæ attributorum communium instar sunt.

Homo v. gr. & animal brutum ejusdem sunt generis, quod animalis venit nomine, eadem ergo eatenus habent attributa communia. Vivunt scilicet & sentiunt, tactu, visu, auditu, gustu & odoratu prædita sunt; facultate ambulandi & se movendi gaudent, & quæ sunt alia communia, ex notione animalis fluentia. Fieri ergo nequit, ut homo & brutum idem habeant attributum proprium, nam sic eandem integram possiderent essentiam (§. 404.), quod omnino repugnat. Non negamus quodlibet genus habere suum proprium, quo ab alio genere secernatur; species tamen, quæ eidem subsunt generi, eandem possidere nequeunt proprietatem, quæ non plures, sed unam eandemque generat speciem (§. 549.).

§. 587.

Quæ eadem habent attributa communia,

 ad

ad idem aliquod genus referuntur. Identitas enim attributorum communium infert identitatem quorundam eſſentialium (§. 403.). Genus autem conſtituitur partiali identitate eſſentialium, quæ ſpeciebus inſunt (§. 567.). Quæ ergo eadem habent attributa communia, ad idem aliquod pertinent genus, ſive inferius, ſive ſuperius (§. 571.).

Ex. gr. in Geometria triangulis quibusvis rectilineis, ſive æquilatera fuerint, ſive æquicrura, ſive ſcalena, idem convenit attributum commune, quod Euclides Prop. XXXI. El. I. exprimit per æqualitatem trium angulorum cum duobus rectis. Eidem ergo ſubſunt generi hæ triangulorum ſpecies.

CAPUT VI.

DE NECESSARIO ET CONTINGENTE.

§. 588.

Admonitio generalis. Quam utile & neceſſarium ſit ad ulteriores in ſcientiis progreſſus noſſe neceſſarii & contingentis naturam, tam injucundum pariter & diſciplinarum incrementis noxium, a multis tribui his terminis inconſtantem & ſine legitimo fundamento evolutum ſignificatum.

tum. Quod ſane cauſſa fuit non exigua multarum in hoc capite controverſiarum, quæ ſine diſtinctis horum terminorum notionibus tolli nequeunt. Has ergo evolvere & diſcretim enodare conabor.

§. 589.

Neceſſarium in genere dicitur, cujus oppoſitum eſt impoſſibile: ſeu, quia oppoſitum eſt, quod involvit negationem alterius (§. 424.), *Neceſſarium* eſt, quod aliter poſitum involvit negationem poſſibilitatis ſuæ. *Neceſſarii definitio.*

Ex. gr. In triangulo æquilatero omnes tres anguli ſunt ſibi mutuo æquales, & impoſſibile eſt ut ſint inæquales; ſunt itaque neceſſario æquales. Eodem modo neceſſarium judicamus, ferrum in aqua deſcendere, quum natatio ferri in aqua, poſitis his naturæ legibus, naturaliter ſit impoſſibilis.

§. 590.

Contingens eſt, cujus oppoſitum eſt poſſibile, ſeu quod aliter poſitum nullam involvit negationem poſſibilitatis ſuæ. *Contingentis definitio.*

Ita contingens eſt hæc mea ſcripto, nam poſſum ſcribere & non ſcribere, vel etiam aliud agere. Quod ergo ſcriptioni opponitur eſt poſſibile.

§. 591.

Quicquid eſt, illud aut eſt neceſſarium, aut eſt contingens. Ne- *Excluſio medii inter ne-*

 ceſſa-

cessarium & contingens. cessarium enim est, cujus oppositum est impossibile (§. 589.), seu, cujus oppositum involvit contradictonem (§. 125.). Contingens autem, cujus oppositum est possibile (§. 590.), seu, cujus oppositum nullam involvit contradictionem (§. 124.). Jam vero contradictionem involvere & eandem non involvere, sunt sibi mutuo contradictoria (§. 41.); Necessarium ergo & contingens contradictorie sibi opponuntur, & ideo non admittunt medium, seu: quicquid est, illud aut est necessarium, aut est contingens (§. 63.).

Observetur necessarium & contingens non eo contradictionis modo inter se opponi, quasi non possent simul esse; hoc enim manifestam involvere contradictionem, quivis fatebitur de entis necessarii & contingentis coëxistentia convictus. Omnis ergo, quæ inter necessarium & contingens locum habet, contradictio dependet ex eorum notionibus, sibi contradictorie oppositis, ita ut idem non possit uno eodemque respectu esse simul necessarium & simul contingens, sed vel necessarium, vel contingens. Hac ratione, si necessarium est, bis duo esse quatuor, non potest idem esse contingens. Similiter si contingens est me sedere, nequit idem uno eodemque respectu esse necessarium.

§. 592.

Mutabilis Definitio. Si in aliquo A pro B, quod ei competit, substitui potest aliud C, vel

vel, quod non inerat D iis, quæ insunt, superaccedere, ceteris, quæ in eodem A sunt, manentibus iisdem; dicitur tum B, tum ipsum A *mutabile*. Ut adeo *Mutabile* sit, quod possit fieri diversum ab eo quod est, aliquo sui remanente.

Quando ex tritico, sublata ejus contextura, remanentibus tamen ipsis ejus elementis, fit farina, & ex hac iterum, admistione aquæ, fit panis, mutationem tritico & farinæ tribuere solemus. Idem ostendunt alia vel sexcenta exempla, scilicet quod actu mutatur, non amplius manere idem, quod antea erat, licet aliquid sui retineat. Nam ubi nihil prioris remanet, non tam mutatur quam potius annihilatur ens. Ad omnem mutationem requiritur subjectum a parte rei, recipiens mutationem, quod est in potentia ad illam. Quatuor hinc postulat *Chauvinus* in Lex. Phil. sub tit. *Mutabilitas*, ejus requisita: 1:o) mutabilitatem esse nonnisi existentis, quia non-existens, seu merum possibile, ut mox demonstrabitur, mutari nequit. 2:do illud ens non remanere post variationem in totum idem. 3:o) aliquid tamen prioris remanere. 4:o) aliquid recipi, vel haberi, quod antea non aderat.

§. 593.

Mutabili opponitur *Immutabile*, quod ergo non potest fieri diversum ab eo, quod est, aliquo sui remanente: scilicet si rei cuidam nihil inest, pro quo aliud substitui potest, ceteris iisdem manen- *Immutabilis Definitio.*

nentibus, quæ eidem insunt, neque etiam iisdem non repugnantibus aliquid accedere potest; erit ea res, & id, cui nihil aliud in eadem re substitui potest, *Immutabile.*

Er. gr. Quadratum, quatenus est figura quadrilatera, æquilatera & rectangula, mutari nequit. Fieri enim nullo modo potest, ut, salvo manente vel angulorum numero, plura aut pauciora sint latera, vel salvo laterum numero, numerus angulorum alius fiat, vel etiam salva quadrati natura, qualitas angulorum mutetur.

§. 594.

Contingentis & mutabilis Reciprocatio.

Omne contingens est mutabile, & omne mutabile contingens. Contingens enim est, cujus oppositum est possibile, seu, quod aliter positum nullam infert possibilitatis negationem (§. 590.). Non ergo repugnat ut contingens fiat aliud, seu diversum ab eo, quod est, remanente prioris status possibilitate. Recte itaque statuimus Contingens esse mutabile (§. 592.).

Vicissim: Quod est mutabile, illud potest fieri diversum ab eo, quod est, aliquo sui remanente (§. 592.); ejus ergo, quod jam est, oppositum nullam involvit contradictionem (§. 124.). Omne igitur mutabile est contingens (§. 590.).

Ex.

Ex. gr. Contingens est me sedere, idem est quoque mutabile, quum hoc eodem temporis articulo vel ambulare, vel stare, vel cubare possem.

Ob hanc mutabilitatis & contingentiæ reciprocam indolem, quam ex notionibus datis sponte fluere vidimus, qui contingentiam per ordinem ad mutabilitatem definiunt, nostræ, quam dedimus, contingentiæ definitioni amicissime consentiunt. Nobiscum ergo facit Aristoteles L. VI. Eth. Cap. III. & L. I. Prior. Anal. Cap. XIII. §. 2. qui contingens definit per τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod potest se aliter habere. Quare etiam *Thomas* definit contingens per id, quod potest esse & non esse.

§. 595.

Necessarii & immutabilis reciprocatio. *Quod est necessarium, illud est immutabile, & vicissim immutabile est necessarium.* Nam necessarium, sine emergente impossibilitate, aliter poni nequit (§. 589.). Nequit ergo fieri diversum ab eo, quod est, & per consequens est immutabile (§. 593.).

Vicissim: Immutabile nequit fieri diversum ab eo, quod est (§. 593.); aliter itaque positum involvit negationem possibilitatis; & proinde est necessarium (§. 589.).

Necessitas itaque & immutabilitas adeo arcto nexu inter se sunt copulata, ut, uno posito, simul ponatur alterum, & uno sublato una tollatur alterum. Factum hinc est, ut ab immutabilitate con-

concludatur ad necessitatem, tanquam a definitione ad definitum. Recte itaque, & nostræ conformiter sententiæ, definit *Aristoteles* necessarium (ἀναγκαῖον) per τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod non potest aliter esse. L. VI. Metaph. Cap. V. & L. I. Post. XXIX. & alibi. Sic etiam Commentatores Hispani in Log. fol. 133. *Necessarium dicitur ens, impossibile ad aliter se habere & mutari. Mutari enim nihil aliud est quam aliter se habere nunc quam prius.* Hinc etiam *Mejerus* cum multis aliis Ecclesiæ nostræ doctoribus, in Met. Usual. Div. p. 243. dicit *Necessitatem esse entitatem invariabilem.*

§. 596.

Duplex Necessarii consideratio. Duplex esse impossibile, aliud absolutum, aliud hypotheticum, antea evicimus (§. 128.); Sed necessarium est, cujus oppositum est impossibile (§. 589.). Duplex ergo est necessarium, *aliud Absolutum*, cujus oppositum est absolute impossibile, seu quod aliter positum, in se & idea sua, sine ullo alio respectu contradictionem involvit (§. 128.); Aliud *Hypotheticum*, cujus oppositum est hypothetice impossibile, seu quod aliter positum, non in se & idea sua, sed propter conditionem, ideæ superaccedentem, contradictionem involvit.

Ex. gr. Absolute necessarium est, *bis duo esse quatuor*; nam si ponatur bis duo esse quinque vel tria, statuitur quid ipsis numerorum notionibus e diametro repugnans. Quare absolute impossibile

sibile est, ut bis duo non sit quatuor. Eodem sensu absolute necessarium est, *Deum existere.* Contrarium enim fingi nequit sine absoluta impossibilitate. Motus autem corporum cœlestium est nonnisi hypothetice necessarius, nam quod ei opponitur, non in se, sed respectu legum, quæ in natura jam stabilitæ sunt, est impossibile. Eodem modo ad generationem hominis hypothetice necessarius est maris & fœminæ congressus, quum id unice innitatur ordinario naturæ cursui. Quare etiam homo *Christus* sine concursu viri genitus est ex virgine Maria.

Veterum Philosophorum, cum nostra hac evoluta & explicata necessarii distinctione, ostendere consensum, eo minus judicamus necessarium, quo certius est omnes eorum nobiscum favere. Ex multis sufficiat allegasse *Stahlium*, qui pag. 17. Tab. Metaph. dicit *Absolutam necessitatem esse, cujus oppositum includit contradictionem, ut Deum esse justum, hominem esse animal.* Ex hypothesi vero, vel suppositione, necessarium vocat, *quod aliter se habere potest, posito tamen aliquo, non potest non esse, vel posito aliquo, non potest aliter se habere.*

Absolutæ necessitatis varia adpellatio.

Varia sunt vocabula, quibus absolutam necessitatem exprimere solent Philosophi. Nam nonnunquam vocatur *intrinseca*, quia ejus oppositum per ipsam rei ideam contradictionem involvit: *Metaphysica*, quia essentias concernit & attributa rerum, quæ Metaphysicæ sunt considerationis: *Geometrica*, quia attributa extensorum & figurarum, a Geometris considerari solita, ex ipsa eorum essentia fluunt,

quam

quam unicum esse absolutæ necessitatis fundamentum mox demonstrabitur: *Logica*, quia ex rerum definitionibus & ideis, quas Logica tractat, fluit. *Cœca* aliquando & *Bruta*, ubi enim unicum tantum est possibile, adimitur agenti electio & optio omnis aliud & aliud agendi.

§. 597.

Immutabilis Divisio. Quia necessarium & immutabile reciprocam inter se habent naturam (§. 595.), statim intelligimus immutabile æque ac necessarium (§. 596.) duplex statui debere: Aliud scilicet *Absolute immutabile*, quod absoluto sensu nequit fieri diversum ab eo, quod est: aliud *Hypothetice immutabile*, quod sub certa hypothesi non potest fieri diversum ab eo, quod est.

Illustrationis gratia videantur exempla mox allegata.

§. 598.

Absolute Necessarii & absolute immutabilis reciprocatio. Sine ulteriori deductione statim hinc elucet absolute immutabile esse absolute necessarium, & vicissim, absolute necessarium esse absolute immutabile; Hypothetice autem immutabile esse hypothetice necessarium, & inversim, hypothetice necessarium esse hypothetice immutabile (§. 596.).

Quemadmodum enim necessarium & immutabile in genere inter se reciprocantur (§. 595.), ita etiam absolute necessarium & absolute immutabile

mutabile, hypothetice necessarium & hypothetice immutabile, reciprocam inter se habent indolem. Nec ulla fieri potest ratione, ut una necessarii & immutabilis species in alteram degeneret.

§. 599.

Absolute necessario repugnat contingentia.

Absoluta necessitas repugnat contingentiæ, seu: quod est absolute necessarium, illud nequit esse contingens. Absolute necessarium est, cujus oppositum est absolute impossibile (§.596.), adeoque contradicit absolute possibili (§.137.). Contingens autem est, cujus oppositum est possibile (§. 590.), neque fieri potest ut alicujus oppositum simul contradicat possibili, & simul sit possibile (§. 53.). Ergo fieri etiam nequit, ut absolute necessarium sit contingens. Qui itaque cum Spinoza & fatalistis absolutam mundo adfingunt necessitatem, tollunt ejus contingentiam, Deumque non modo a gubernaculis universi removent, sed, quod pejus est, ipsam Dei existentiam aut directe, aut indirecte, negant. Hi enim mundum unicam substantiam somniantes, ex cujus diversa modificatione singula partialia generarentur, serie absolute immutabili, impiissimo ausu Deum cum mundo confundunt. Sed hanc impietatem facile evitabit, qui, evicta mundi contingentia, omnem ab illo removet absolutam necessitatem.

§. 600.

Hypothetice necess-

Quod hypothetice est necessarium, est contingens. Quandoquidem illud

tatis contingentia. contingens dicitur, cujus oppositum est possibile (§. 590.), hypothetice autem necessarii oppositum est hypothetice impossibile (§. 596.), adeoque in se possibile (§. 139.); Hypothetice igitur necessarium est contingens.

Qui itaque mundo non absolutam sed hypotheticam tribuunt necessitatem, ejus non tollunt contingentiam. Cavendum tamen ne hypotheticam mundi necessitatem ultra justos suos evehamus limites, & in consecutione omnes mundi eventus inevitabili subjiciamus fato.

§. 601.

Necessitas consequentis & consequentiæ. In propositione hypothetica, quæ ex suo antecedente & consequente constat, aut absolute necessarium est antecedens & absoluta necessitate influit in suum consequens; aut nonnisi hypothetice est necessarium, eademque necessitatis specie influit in suum consequens. Si prius, necessitas oritur consequentis, si posterius, consequentiæ. *Necessitatem* enim *Consequentis* esse dicunt, quando tam antecedens, quam consequens, est absolute necessarium. *Necessitatem* vero *Consequentiæ* vocant, quando necesse est aliquid esse vel non esse, ex eo, quod positum est aliud esse vel non esse, etsi neutrum in se sit necessarium.

Sic necessitas consequentis est, *Deum esse æternum*, quia necessarium ens est, & absoluta necessitate est

est æternus. Necessitas autem consequentiæ est, si dicas, necesse est hominem incalescere, si diebus æstivis stet sub sole. Quanquam enim utrumque in se sit contingens, nimirum & quod sub sole stet, & quod incalescat, illo tamen posito, non potest non hoc contingere. Eadem consequentiæ necessitate necesse est, *esse hæreses*, quia causa hæresium non tollitur, id est, quia diabolus cœlum terræ miscere non desistit, nec homines ipsius obtemperare libidini cessant. Hoc autem absolute non est necessarium, quum unusquisque diaboli incitamentis per Dei gratiam resistere possit.

§. 602.

Necessitatis consequentis & consequentiæ identitas cum necessitate absoluta & hypothetica.

Necessitatem consequentis cum absoluta, & consequentiæ cum hypothetica coincidere manifesto hinc elucet (§. 596.), atque ideo consequentiæ necessitatem contingentiæ rerum non officere (§. 600.).

Observat quidem *Musæus* Cap. XXVII. Metaph. §. 10. distinctionem necessitatis consequentis & consequentiæ, a distinctione necessarii in absolutum & hypotheticum, id præcipue differre, quod non nisi in pluribus enunciationibus, quarum una ex altera, vel aliis colligitur, locum habet illa, hæc vero extra propositiones obtinet etiam in entibus incomplexis. Totum vero hoc discrimen, ex Logicis, ut largior, desumtum, quoad res ipsas, quæ necessariæ dicuntur, ex-

traneum eſt, atque ideo, ut recte monet *Donatus* in Metaph. Uſuali §. §. 42. 43. 44. quà rem ipſam neceſſitas conſequentis eadem plane eſt atque neceſſitas abſoluta, & neceſſitas conſequentiæ eadem ac hypothetica.

Ceterum non de neceſſitate conſequentis ſed conſequentiæ, ſeu hypothetica, intelligenda ſunt Scripturæ dicta: Matth. XVIII. 7. *Neceſſe eſt ut ſcandala veniant.* Matth. XXVI. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quod ſic oportet fieri.* I. Cor. II. 18. *Oportet hæreſes eſſe.* Nam præſuppoſita & ſimul a Deo prævisâ hominum horum vel iſtorum malitia, in ſe contingente, non poſſunt non, quatenus præſcientia Dei infallibilis eſt, venire hæreſes, ſcandala, ipſaque Chriſti traditio; abſoluta vero neceſſitate non eveniunt.

§. 603.

Determinabilitatis unicitas quid? *Unico modo determinabile* eſt, ſeu, *unicitatem Determinabilitatis poſſidet*, cui abſolute repugnat, vel impoſſibile eſt alias habere determinationes, quam quas habet.

Ex. gr. Triangulo æquilatero abſolute repugnat alias habere determinationes, quam quas habet, & quæ trium æqualium laterum, figuram includentium, ratione exprimuntur, & quæ inde neceſſario deducuntur. Nam ſi alias habere poſſet determinationes, poſſet ſimul eſſe triangulum æquilaterum & ſimul non, quod omnino repugnat. Atque hinc triangulo æquilatero recte tribuimus unicitatem determinabilitatis.

§. 604.

§. 604.

Absolute necessarium est unico modo determinabile, & quod habet unicitatem determinabilitatis, illud est absolute necessarium. Quandoquidem enim absolute necessarium est absolute immutabile (§. 598.), adeoque ei absolute repugnat fieri diversum ab eo, quod est (§. 597.), consequenter, neque admittere potest alias, quam habet, determinationes (§. 390.); non potest non absolute necessarium possidere unicitatem determinabilitatis (§. 603.). *Absolute necessarii determinabilitas.*

Vicissim: quod unico modo est determinabile, ei absolute repugnat alias, quam habet, possidere determinationes (§. 603.), consequenter ei absolute impossibile est fieri diversum ab eo quod est (§. 390.), & ideo est absolute immutabile (§. 597.), proindeque absolute necessarium (§. 598.).

Ab unicitate itaque determinabilitatis ad absolutam necessitatem recte colligi judicat Illustr. *Wolfius* in Comment. Luc. de Diff. nex. & fat. Necess. Sect. I. §. 2. Et licet in Ontol. Lat. §. 284. unicitatem determinabilitatis necessario in genere tribuere videatur, quatenus tamen §. 325. hypothetice necessario mutabilitatem addicit, & per consequens possibilitatem diversas possidendi determinationes; eatenus certum est hypothetice necessario non competere determinabilitatis unicitatem, nisi huic termino complexo alia, quam nos ei adsignavimus (§. 603.),

attribuatur notio, ſed aliam receptus termini uſus non videtur admittere.

§. 605.

Neceſſarii determinatio. *Tam abſolute quam hypothetice neceſſarium determinatum eſt.* Ponamus A quodcunque eſſe abſolute neceſſarium, & ei competere determinationes B, C, D. Ita ergo habebit has determinationes, ut ei abſolute impoſſibile ſit illas non habere (§. 596.). Excluditur itaque ſine omni formidine oppoſitum, quod ſcilicet illas non habeat. Per conſequens, abſolute neceſſarium eſt determinatum (§. 193.).

Sit A hypothetice neceſſarium, habeatque determinationes B, C, ſub conditione F. Poſito F, impoſſibile eſt, ut non ponatur B, C, (§. 596.). τῷ A igitur ita competunt determinationes B, C, ut oppoſitum harum, quæ competunt, poſita conditione F, ſimul excludatur. Quam ob cauſam A illud, quod hypothetice neceſſarium eſſe diximus, eſt ſimul determinatum (§. 193.).

Ex.gr. Triangulum æquilaterum tria æqualia latera abſoluta poſſidet neceſſitate, ergo etiam determinato, non quà quantitatem laterum hanc vel illam, quæ dicto triangulo non eſt eſſentialis, ſed quà rationem æqualitatis laterum. Poſitis occaſione, inſtituto, & facultate ſcribendi, hypothetica neceſſitate ponitur ſcriptio, quæ ideo determinata eſt. Poſitis enim illis conditionibus, certum & indubium manet me ſcribere. Pari mo-

modo, posito in ordinario naturæ cursu, quod sol versetur in principio arietis, hypothetica necessitate fit æquinoctum, immo certum & determinatum est sub illa conditione æquinoctium fieri. Et profecto nisi determinata essent, quæ in mundo sunt hypothetice necessaria, tum præterita, tum præsentia, tum futura, omnis certitudo omniscientiæ divinæ absurde tolleretur. Prout in Theologia Naturali contra Socinianos, determinatam futurorum præscientiam negantes, uberius demonstratur.

§. 606.

Determinati & abs. necessarii distinctio.

Per bonam hinc elicitur consequentiam, *non omne determinatum esse absolute necessarium*. Nam datur determinatum, quod non est nisi hypothetice necessarium (§. 605.).

Habet hoc consectarium insignem usum in quæstione satis nota: *An infallibilitas præscientiæ Divinæ rerum, præcipue actionum humanarum, tollat earum contingentiam?* Sunt qui ita argumentantur: *Quicquid est certum & infallibile, illud est necessarium, non contingens. At actiones hominis, a Deo præscitæ, sunt Deo certæ & infallibiles; Ergo.* Sed certum & infallibile æquipollet determinato, quare major propositio in hoc syllogismo, non est universaliter vera, ut præsenti ostendimus consectario. Nihil ergo miri, quod contra regulas Logicales primæ figuræ falsa inde inferatur conclusio. Certum enim, immo certissimum est, determinatam rerum veritatem cum contingentia optime consistere posse, immo actu ipso consistere.

§. 607.

Possibilium necessitas. *Quod est absolute possibile, id absolute necessario est possibile.* Nam absolute possibili opponitur absolute impossibile (§. 137.). Cujus vero oppositum est absolute impossibile, id est absolute necessarium (§. 596.). Omnis ergo absoluta seu intrinseca, possibilitas est absolute necessaria.

Intrinsecas rerum possibilitates esse absolute necessarias cum *Cartesio* negat *Poiretus*, qui, evitaturus absurditatem nonnullorum, ut perhibetur, Scholasticorum Sententiæ de possibilitatum a Deo independentia, in alterum incidit absurdum, easdem liberrimo Dei Decreto subjiciens. Distinguit enim inter *Possibile anteideale* & *postideale*: illud nullum esse dicit sine decreto Dei libero; hoc, interveniente decreto divino, tale constitui. Unde si dicas absurdum esse quod bis duo v. gr. sint quinque, concedit Poiretus sensu postideali, quatenus scilicet decretum Divinum mutari nequit, non autem sensu anteideali, quo potuêre, ex ejus mente, bis duo esse quinque. Sed vana & absurda est hæc distinctio a Poireto efficta. Ponamus possibile anteideale, ex mente Poireti, nihil esse, nisi liberrimæ voluntatis Divinæ efficaciam, qua statuere possibilitates pro lubitu possit. Ante hoc ipsum decretum, aut determinate novit Deus veritates, quas formare possit, aut non: si novit, non opus erat decreto, veritates enim jam tum erant determinatæ, & a Deo, ut tales cognitæ: si non novit, tum non erat eo statu omniscius.

scius. Prius per hypothesin Poireti est absurdum, posterius dictu impium. Ergo ex absurditate & impietate composita est illa Poireti distinctio. Largitur Poiretus in Cogit. Rat. L. III. Cap. X. §. 5. Deum necessario concipere Se Ipsum, quæque ad essentiam, naturam, & attributa Ejus pertinent, & Illum nunquam fuisse ad hæc indifferentem. Largitur etiam, certus scio, cognitionem hanc Entis Infiniti de Se Ipso & viribus suis non minus ante, quam post ullum decretum, esse adæquatam. Sed anne adæquatæ virium cognitionis requisitum necessarium est, specifice, determinate, & distincte concipere, quicquid per hasce vires præstari quacunque ratione possit? Ita sane. Quis enim illam cognitionem adæquatam vocabit, quæ nonnisi indeterminata & confusa continet? Et numne adæquatior est cognitio, in qua nihil est vagi, nihil indeterminati, nihil confusi, numne, inquam, hæc adæquatior est illa, quam aliquid vagi, indeterminati & confusi obfuscat? Certissime, id notio adæquati postulat, a Logicis evoluta. Quam ob rem Deus antecedenter ad omne decretum adæquata Sui Ipsius & virium suarum cognitione gaudens (per concessa a Poireto), adæquate etiam, i. e. specifice, determinate, & distincte cognoscit, quæcunque per virium immensitatem sunt possibilia, idque antecedenter ad omne decretum. Perspicimus itaque vanum & irritum esse Poireti metum, quasi ex adserta possibilitatum necessitate sequeretur earundem a Deo independentia; omnino enim a Deo dependent, liberrimo tamen Ejus Decreto non subjacent, sed in immenso &

necessario Ejus intellectu radicantur. Excipis, *limites hac sententia poni infinitæ Dei potentiæ, si possibilitates rerum Ejus liberrimæ dispositioni non subjicerentur.* Limites non ponimus Dei potentiæ, quam sufficientissimam esse contendimus ad actuandum omne possibile; sed statuimus potentiam Dei non posse sibi ipsi & reliquis Dei attributis contrariam esse, jubendo aliquid esse possibile & simul non possibile, intellectumque postidealiter sibi repræsentare aliquod possibile, quod in eodem intellectu anteidealiter plane nihil vel impossibile fuit. Tolleretur sic infinita Dei perfectio & ex immutabili ente mutabile & successivum absurde constitueretur. Harmonica sunt Divina attributa, non subordinata, multo minus sibi inimica.

§. 608.

Possibilitatum immutabilitas. Quodvis absolute necessarium esse absolute immutabile antea demonstravimus (§. 598); Possibilitatibus vero rerum absolutam modo attribuimus necessitatem (§. 607.). *Eisdem ergo possibilitatibus absoluta quoque competit immutabilitas.*

Tribuit etiam Poiretus in Cogit. Rat. L. III. Cap. X. §. 5. p. 295. rerum possibilitatibus immutabilitatem, sed ex beneplacito Dei dependentem, quatenus non habemus caussam suspicandi Deum, illas statuentem, ad tempus statuisse, cum placeat Ei suum placitum; in se vero & ex se mutabiles esse, ita ut, quando ad tempus præsentes duraverunt, potuerint deinceps immutari, aliæque vel nullæ prorsus statui, si hoc

hoc Deo placuiſſet. Nihil vero ex tota hac philoſophandi ratione ſequitur aliud, quam Deum actu ſimpliciſſimo ſibi non repræſentare omnia poſſibilia, ſed alia & alia ſucceſſive excogitare poſſe, atque adeo ipſum Dei intellectum eſſe ſucceſſivum & mutabilem, quod infinitati Divinæ e diametro adverſatur. Nunquam ergo Poireto, quod ſtatuit, eſt concedendum, ſed omni potius conamine rejiciendum.

§. 609.

Eſſentiæ rerum ſunt abſolute neceſſariæ. Per eſſentiam habet ens, ſeu res quævis, intrinſecam poſſibilitatem (§. 324.), &, per conſequens, abſolutam neceſſitatem (§. 607.), ſeu, quod idem eſt, eſſentiæ rerum ſunt abſolute neceſſariæ. Idem alio demonſtratur modo: Poſito ente, ponitur ejus eſſentia, & poſita eſſentia, ponitur ens (§. 332.); poſito autem ente, ponitur intrinſeca ejus poſſibilitas (§. 228.), & hac poſita, ponitur abſoluta neceſſitas (§. 607.). Poſita igitur eſſentia, ponitur abſoluta neceſſitas, ſeu, eſſentia eſt abſolute neceſſaria. *Eſſentiarum neceſſitas.*

Alio adhuc modo & quidem indirecte. Ponamus eſſentias rerum non eſſe abſolute neceſſarias, earum itaque oppoſitum non eſſet abſolute impoſſibile (§. 596.), ſed abſolute poſſibile (§. 137.). Quam ob rem, quia oppoſita ſunt, quorum unum involvit negationem alterius (§. 424.), abſolute poſſibile eſſet, ut rebus denegarentur ſuæ eſſentiæ, & per conſe-

quens

quens, possibile esset, ut enti constanter non competeret sua essentia. Quod tamen absurdum esse ex antea demonstratis patet (§.329.). Evidens ergo est, essentias rerum esse absolute necessarias.

Usus doctrinæ. Dici vix potest, quantæ sit necessitatis & utilitatis præsens propositio, qua posita, ponitur, & sublata, tollitur fundamentum omnium disciplinarum. Nemo ignorat scientias inniti veris & accuratis rerum definitionibus, quæ nonnisi essentias rerum, vel quod earum esse potest loco, continebunt. Si ergo essentiæ rerum non essent necessariæ, sed contingentes, & mutabiles; contingentes quoque & mutabiles essent definitiones, ipsæque idcirco scientiæ. Taceo in Philosophia Practica, sine adserta & concessa essentiarum necessitate, vix ac ne vix quidem confutari posse & crassiores & subtiliores Indifferentistas; Non commemoro quam insignem habeat usum hæc doctrina in confutandis Socinianis, justitiæ Divinæ contingentiam absurde defendentibus. Ut adeo mirari conveniat, dari adhuc, qui sceposita apodictica, quam habet hæc doctrina, veritate, & secus habito omnium fere ex antiquitate Philosophorum consensu, Poireti, strenui arbitrariarum defensoris, legant vestigia, & ex confusa, quam habent, hujus rei notione seducti, consequentias forment, quæ inde non sequuntur. Putant ex adserta essentiarum necessitate, sequi earum in existendo necessitatem, absolutamque rebus omnibus creatis affingi necessita-

ſitatem. Dubium eorum ita & quidem recte expreſſit *Canzius* in Ontol. Polem. §. 48. *Talis eſt exiſtentia rei, qualem eſſe eſſentia permittit; atqui eſſentia eſt neceſſaria, ergo & exiſtentia.* vel ita: *Nulla exiſtentia aliter habere poteſt, quam eſſentia permittit, cujus eſt complementum. Atqui eſſentia neceſſario talis eſt, ergo & exiſtentia. Aut accedens ad eſſentiam exiſtentia eſſentiæ neceſſitatem aufert, aut non: ſi aufert, tum exiſtentia eſſentiam mutat, nec complet, quod eſt contra exiſtentiæ definitionem Si neceſſitatem eſſentiæ non aufert, tum ens exiſtens omne neceſſarium manet.* Sed ſalva eſt res Nam eſſentiarum neceſſitatem defendentes, non conſideramus eſſentiam *ſenſu Phyſico*, quo exiſtentiam ſimul includit, ſed *ſenſu Metaphyſico*, quo illa conſiſtit in prædicatis, ſibi mutuo non repugnantibus, quorum unum non determinatur ex altero, neque ex alio priori in ipſa re (§. 320.), quo etiam ſenſu competit enti tum actuali tum potentionali (§. 330.), ipſiſque rerum poſſibilitatibus ineſt (§. 331.). Quamvis igitur exiſtentia eſſentiam non mutet, neque mutare poſſit; inde tamen non ſequitur, ut volunt adverſarii, omne ens, quà exiſtentiam, eodem modo eſſe neceſſarium; potius inde colligitur omne ens, quà poſſibilitatem, in qua eſſentia continetur, ſemper manere neceſſarium, etſi exiſtentia contingenter acceſſerit. Abſolute eſt neceſſarium, ut trianguli rectilinei poſſibilitas conſtet tribus rectis lineis, quarum duæ, utcunque ſumtæ, tertia ſunt majores, quæ ſic ad ſpatium includendum ſibi mutuo non repugnant; ſed quis inde exſculpat: ergo triangulum rectilineum

Solvuntur objectiones.

um quodvis, in tabula v. gr. descriptum, absoluta existit necessitate? Non confundatur existentia cum essentia, quarum una alteri non est involuta & implicata, nisi in Ente Infinito, minime vero gentium in entibus finitis, de quibus adversariorum agit argumentum, quod hac etiam ratione in eos facile retorquetur: *Talis est rei existentia, qualis ejus essentia.* Est hæc fundamentalis adversariorum thesis. Inde subsumo: *atqui talis est rei essentia, ut meris etiam conveniat possibilibus* (§. 331.). *Ergo talis est rei existentia, ut meris quoque conveniat possibilibus. Ergo quicquid est possibile, existit.* Quicquid mihi responderint, sibi, ex hac allata majori propositione essentiarum necessitatem impugnantibus, responsum credant.

Essentiæ fundantur in Intelligente necessario.

Sed instant: *Ex adserta essentiarum necessitate sequitur earum a Deo independentia.* Absit. Nam essentiæ rerum, quatenus in solis earum continentur possibilitatibus (§. 331.), ipsæque possibilitates in absentia contradictionis consistunt (§. 124.), & per consequens in absentia simultaneæ adfirmationis & negationis unius ejusdemque de uno eodemque (§. 43.), ideoque vel in sola ejusdem adfirmatione, vel negatione; quia etiam tam adfirmatio, quam negatio, in conceptu consistit; certum manet ipsas rerum possibilitates & essentias sibi ens aliquod intelligens præstruere, sine quo nulla essent possibilia, nullæ essentiæ. Sunt vero essentiæ & possibilitates rerum absolute necessariæ, ut modo demonstravimus; debet ergo ens illud intelligens esse absolute necessarium. Nam ponas illud

lud hypothetica solum gaudere in existendo necessitate, ponendum simul erit ipsas possibilitates, quæ huic enti, ut evicimus, suam debent realitatem, tantum hypothetice esse necessarias, contingentes & mutabiles (§. 600. 594.), quod cum modo demonstratis conciliari nequit. Arguit itaque essentiarum necessitas ens intelligens absolute necessarium, in quo fundantur. Quare quum hoc ens non sit aliud, quam ens Infinitum, quod Dei nomine veneramur, perspicuum evadit, necessitatem essentiarum ex necessitate intellectus Divini dependere. Vanus igitur & irritus est metus, quem arbitrariarum essentiarum patroni sibi formant, quasi ex adsumta earundem necessitate sequeretur earum a Deo independentia; quum potius contrarium inde fluat.

Ex his bene intellectis facile solvitur objectio: *Si essentiæ rerum sunt absolute necessariæ, sequitur præter Deum esse aliquod absolute necessarium, quod absurdum.* Absoluta essentiarum necessitas, non ut a Deo independens, sed dependens concipitur: Deus enim, vi infiniti sui intellectus, omnes rerum ideas, non aliunde, ob summam, quæ Ei convenit, independentiam, haustas, sed ut in Se Ipso radicatas adæquatissime intuetur. Quam obrem nihil, nisi ut ab intellectu Divino immediate & necessario dependens, heic concipitur necessarium. Contunditur de cetero ab adversariis absoluta essentiarum necessitas cum Dei Ipsius necessitate: hæc existentiam includit, illa in meris versatur possibilitatibus; ab illa ergo ad hanc non valet consequentia.

Putavit *Aristoteles* L. VIII. Phys. cap. I. L. I. de

de cœlo. Cap. VIII. L. XII. Metaph. Cap. VI. alijsque in locis, non modo Deum, sed etiam reliquas substantias separatas, corpora cœlestia, materiam, elementa secundum se tota, & species omnes, saltem quæ ad universi perfectionem spectant, atque adeo ipsum universum, esse res simpliciter necessarias, nec ulla ratione posse non esse. Absurdam vero esse hanc Aristotelis opinionem, vel ex eo liquet, quod falso sibi persuasit, ex necessitate naturæ Divinæ profluxisse hunc mundum, Deumque non potuisse non exhibere hanc rerum universitatem, partim per causas medias, partim immediate per se. confer L. IX. Metaph. Cap. IX. L. XII. Cap. VI. & L. II. de cœlo Cap. III. Hinc tamen occasionem sibi sumsêre Scholastici proponendi quæstionem: *Utrum præter Deum aliquid sit necessarium simpliciter?* Quam quæstionem varii varie resolvere conantur. *Fonseca* L. V. Metaph Cap. V. Q. I. *Scheiblerus* L. I. Metaph. Cap. XVIII. n. 38. 40. *Stahlius* Tab. XII. Metaph. aliique distinguunt inter *entia incomplexa*, & *complexa*, seu, ut *Fonseca* loquitur, inter res & connexiones rerum. Concedunt illi in entibus incomplexis solum Deum esse ens absolute necessarium; interim non esse absurdum plurimas quoque dari connexiones rerum, seu propositiones, essentias rerum concernentes, absolute necessarias. Sed hæc responsio non probatur *Jacobo Thomasio* in Dilucidationibus Stahlianis p. 44. & seqq. qui arbitratur hoc modo non aboleri periculosam doctrinam: *Dari aliquod simpliciter necessarium præter Deum*, neque dici posse *necessitatem absolutam connexionibus* (h. e.

h. e. essentiis) *rerum advenire a se ipsis; siquidem*, ut ille putat, *necessitas est quædam existendi perfectio*. Atque hinc pag. 56. n. 83. 84. non nisi hypotheticam necessitatem essentiis rerum attribuit, quatenus, ut existimat, non sit ens nisi actuale, in quo, ubi sermo est de creaturis, semper sit relatio ad tempus præsens, præteritum & futurum. Sed duplici potissimum falsitatis fundamento innititur Thomasii adsertio: Alterum est, quod contra prius demonstrata (§. 227.) entis conceptum ad sola actualia restringat: Alterum vero, quod absolutam necessitatem judicet esse quandam existendi perfectionem, seu existentiam includere, quo sensu ultro largimur solum Deum esse necessarium, nec dari hoc modo ullam essentiarum necessitatem absolutam, sed omnem esse hypotheticam. Ubi vero ab absoluta necessitate removetur existentia, nihil adest periculi illam essentiis rerum tribuendi, non tamen ipsis a se advenientem, sed ab intellectu Divino pendulam. Neque penitus adprobo Fonsecæ & sequacium sententiam, qua putarunt illi dari entia incomplexa præter Deum absolute necessaria, nisi simul fateantur a necessitate removendam esse existentiam, illamque solum versari circa possibilitates rerum, ab intellectu Divino pendulas. Taceo distinctionem istam inter necessitatem rerum complexarum & incomplexarum, sensu Metaphysico, firmam non esse: debent enim propositiones, uti veritatem, sic etiam necessitatem, vel contingentiam, rebus ipsis, seu entibus incomplexis. Verissimus namque est canon: Modus prædicandi sequitur modum essendi. Omnis itaque, de qua hoc lo-

co differitur, essentiarum necessitas circa entia versatur incomplexa; inde tamen non sequi vidimus, præter Deum existere ullum ens absoluta necessitate.

§. 610.

Essentiarum immutabilitas. Quoniam absolute necessarium est absolute immutabile (§. 598.), & essentiis rerum absoluta competit necessitas (§. 609.); eidem quoque attribuenda est absoluta immutabilitas.

Scrupulum, quem incautos circa adserendam essentiarum immutabilitatem, haud leviter turbare solet, uberioris illustrationis gratia, breviter exhibebo. Est vero talis: *Multæ dantur res in aliud, quà essentiam a priori diversum, mutabiles, immo sæpius actu ipso mutatæ. Sic seminis essentia, seu id, cui seminis essentia competierat, in essentiam arboris mutatur: ex tritico fit farina, ex farina panis, ex pane chylus, inde caro, quæ essentialiter a pane differt; sic quoque in aliis perplurimis.* Fateor composita entia & speciatim corpora ejusmodi & longe plures, ut Physica docet, subire mutationes; nego tamen illud essentiarum immutabilitati quicquam officere: Notum enim est compositi essentiam in partium combinatione esse quærendam, composita idcirco, prout hac vel illa partium conjunctione gaudent, essentialiter differre. Constat etiam, omne compositum corporeum partes habere actu divisibiles, mobiles, translocabiles. Si igitur compositi partes actu ipso dividuntur, moventur, translocantur, & ablatæ per alias sive similes sive dissimiles restituuntur, fit, ut in hoc subjecto essentia spe-

ſpecifica una, quà inexiſtentiam, pereat, & inde enaſcatur altera, minime vero, quà poſſibilitatem ſuam abſtractam & intrinſecam, in qua eſſentia, cui immutabilitatem adjudicavimus, continetur; niſi abſone dicere velis, poſſibilitatem mutatam fuiſſe, vel mutari poſſe in impoſſibilitatem. Liquet igitur allata exempla eſſentiarum immutabilitati nihil derogare, accepto eſſentiæ vocabulo ſenſu metaphyſico, quo exiſtentiam excludit. Ultro autem largimur eſſentias rerum finitarum, ſenſu acceptas phyſico, quo cum exiſtentia conjunctæ ſpectantur, mutabiles eſſe, indeque natam, quæ in Phyſicis ſtatuitur, mutationem eſſentialem. *Sed ſi verum eſt*, inſtas, *quod ſcribere non verentur quidam Scholaſticorum, Deum potuiſſe eſſentias rerum perfectiores aliterque creare, falſa erit de immutabilitate eſſentiarum adſertio.* Taceo quod ſacer docet codex omnia & ſingula initio creationis fuiſſe valde bona, potius urgens, quod rem adficit præſentem, Deum ſcilicet initio creationis potuiſſe creare & non creare, creare has & alias eſſentias, non eo tamen ſenſu, quaſi hæ eædem eſſentiæ, jam creatæ, perfectiores creari potuiſſent, quod manifeſtam inferret repugnantiam, ſed quod loco harum aliæ conſtitui potuiſſent. De cetero nondum ingredimur illam controverſiam, an hic mundus præ reliquis omnibus poſſibilibus ſit perfectiſſimus, vel anne dentur alii mundi hoc perfectiores. Certum eſt, nullius momenti eſſe Scholaſticorum ſententiam ad infrigendam eſſentiarum immutabilitatem.

Adſertionis, quæ ſtatuit eſſentias rerum eſſe immuta-

Usus Theologicus. mutabiles, insignis occurrit usus in controversia, quæ nostris olim cum *Matthia Flacio* intercessit. Hic enim in fervore disputationis, Vinariæ cum Victorino *Strigelio*, synergista, anno sexagesimo seculi decimi sexti, habitæ, contendit, & deinde cum adseclis propugnavit, hominem post lapsum in essentia sua mutatum, peccatumque ipsam hominis substantiam esse, ut videre licet in Disputationis illius actibus a *Simone Musæo* editis. Est vero hæc sententia admodum absurda. Nam quum essentiæ rerum sint immutabiles, homo in statu corruptionis, sive peccati, aliam ab ea, quam in statu integritatis habuit, essentiam haud suscipere potuit: Nec diversi status & modi rem essentialiter variare possunt.

Nec minus utilitatis præbet essentiarum immutabilitas contra Pontificium dogma de transsubstantiatione, ab Innocentio III in Synodo Lateranensi audacter definitum, & a Tridentinis patribus sess. XIII. Cap. IV. repetitum, quo *per consecrationem panis conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, perverse docent*. Sed quatenus per substantiam heic intelligunt essentiam, eatenus evidens est, ex hoc eorum dogmate sequi essentiarum mutabilitatem, dudum explosam. Rejiciamus ergo illud dogma cum tota patronorum ejus cohorte.

Neque audiendi amplius sunt Hallenses, qui hominem regenitum & irregenitum specie differre credunt: Quia enim differentia specifica non est nisi essentialis (§. 569.), ex hac opinione

ne sequeretur hominis immutari essentiam, cum ex irregenito fit regenitus, aut contra. Sed sunt essentiæ rerum immutabiles. Falsa ergo facile agnoscitur hæc Hallensium Doctrina.

§. 611.

Adfirmata jam & demonstrata essentiarum absoluta immutabilitate (§. 610.), abunde patescit nullum ens esse essentialiter mutabile, atque adeo essentialem mutabilitatem, a quibusdam adfirmatam Philosophis, contradictionem in adjecto involvere (§. 48). *Essentialis mutatio nulla.*

Ubi vero ad mentem, non ad verba horum attendimus Philosophorum, qui essentialem attribuunt rebus mutationem, modo a Poiretianismo alieni fuerint, nobis re ipsa contradicere non videntur, quum essentiæ vocabulum non metaphysico, cui nos constanter innitimur, sed physico sumant sensu, quo essentialem rebus non denegavimus mutationem. conf. not. ad §. 610.

§. 612.

Essentiæ rerum augmenti & diminutionis sunt incapaces. Sua enim sponte largiuntur omnes nihil augeri & minui posse, nisi quod sit mutabile. Sed sunt essentiæ rerum immutabiles (§. 610.). Augeri ergo & minui nequeunt. *Essentiæ augeri & minui nequeunt.*

Consistit essentia rei in certis prædicatis, sibi mutuo non repugnantibus, quæ neque a se invicem, neque ab alio priori in ipsa re determinantur (§. 320.), *Essentiæ sunt sicut numeri.*

& quorum quodlibet essentialis nomine venit (§. cit.). Hæc a se invicem, salva manente eadem essentia, & salva ejusdem immutabilitate, separari nequeunt, neque alia eis addi possunt. Considerari ergo potest essentia rei ut numerus determinatus, cui nihil addi, nihil demi potest, salvo manente eodem numero. Hinc dixit *Aristoteles* L. VIII. Metaph. Cap. III. *εἰσί πως ἀριθμοὶ αἱ οὐσίαι. Essentiæ sunt sicut numeri.* Certumque est ante Aristotelem in schola *Pythagoræ* & *Platonis* essentias fuisse non numeris modo, sed & figuris Mathematicis comparatas, sed alio, quam fecit Aristoteles, sensu: In schola Pythagoræa & Platonica plenissima fuit mysteriis hæc de numeris doctrina. Neq; quamlibet essentiam cuilibet numero similem statuebant, sed cui numero cujus rei essentia responderet, studebant definire, adeo ut *Eurytus* Pythagoræus dispositis calculis diceret, hunc esse hominis, illum cujusvis rei numerum, teste *Ramo* L. XIV schol. Metaph. Cap. V. fol. 1054. Vim ergo similitudinis, judice *Jacobo Thomasio* in Dilucid. Stahlianis p. 21. magis quærebant in perfectione, pulchritudine, ac proportione numerorum, inter se comparatorum, quam ut Aristoteles in eorundem singulorum indivisione, salvo manente eodem numero. Quod expressis verbis indicat Aristoteles, quando citato loco ita ratiocinatur: *Quem ad modum de numero ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diversus, etiam si minimum auferatur, aut addatur; ita nec definitio* (quam cum essentia dicto loco permutat), *nec ipsius quid erat esse* (h. e. ipsa essentia), *erit amplius,*

plius, ablato aliquo aut addito. Quod totum ut facilius capiant juniores, fit exemplum essentiæ hominis, quam in compositione ex anima rationali & corpore organico consistere communiter statui solet. Ponamus demi rationalitatem, remanente corpore vivo organico, transiturus erit homo in animal brutum: fingas removeri corpus organicum, & habebis ens spirituale finitum: huic ponas addi majorem perfectionem essentialem, & transibit illud in angelum. Ut adeo perspicias, demto vel addito aliquo essentiali, non amplius manere idem ens. Certum quidem est *Aristotelem* cit. l. præcipue intellexisse essentias rerum compositarum, quia verbis paulo antecedentibus mentionem injicit ὀσίας συνθέτȣ, *essentiæ compositæ*, quæ realem admittit essentialium distinctionem; & quia vetusta Philosophia Deum, ob summam simplicitatem unitati potius quam numero similem statuebat; Quatenus tamen omnis entis essentia, utut simplicissima, pro nostro tamen concipiendi modo diversis constat essentialibus (§. 320.), inter quæ si non reale, formale tamen datur discrimen (§. 453.); eatenus etiam dicere licet, omnem essentiam esse sicut numerum, modo caveamus ne hanc similitudinem ultra comparationis tertium extendamus, realemque enti adfingamus compositionem, quod nonnisi formalem admittit, & potius realem, ut cum Scholasticis loquar, identificationem (§. 454.), quam separationem.

Usus Theologicus.

Regula hæc, quæ docet indivisibilia esse entis essentialia, salvo manente eodem ente, insignem habet usum

in decidenda quæstione, inter Scholasticos agitata: *num Christus triduo mortis suæ verus fuerit homo?* Affirmant *Hugo de S. Victore* L. II. de Sacram. P. I. cap. II. & *Lombardus* L. III. Dist. 22. qu. I. sed principiis confisi diversis. Hugo enim hominis essentiam in sola anima rationali collocat, ideoque quum mortuo Christo anima ejus fuit superstes, Eum triduo mortis hominem mansisse censet. Lombardus vero Christum ideo triduo mortis hominem fuisse putat, quia post separationem animæ a corpore partes eæ remanserint, & cum utraque Divinitas Filii personali unione fuerit conjuncta. Ab his discedunt alii Scholasticæ Philosophiæ doctores. *Omnes fere moderni*, ait *Albertus* in illam Lombardi distinctionem art. I. *concordant in hoc, quod falsa sit affirmativa, & quod magister hic deceptus fuerit.* His consentit *Thomas* P. III. Sum. qu. 50. art. 4. *Christum vere fuisse mortuum est articulus fidei: unde asserere omne illud, per quod tollitur veritas mortis Christi, est error contra fidem. Pertinet autem ad veritatem mortis hominis, vel animalis, quod per mortem desinat esse homo, vel animal.* Cum Thoma faciunt *Durandus* in L. III. Sent. Dist. 22. qu. I. *Johannes de Rada*, Scotista, P. III. Controv. Theol. controv. II. art. 3. aliique plures, immo & Orthodoxi. Quoniam enim essentiæ rerum sunt sicut numeri, & indivisibiles, divisis a se & solutis humanæ naturæ partibus essentialibus, manere nequit eadem natura, neque ergo homo; sed triduo mortis Christi anima humanæ ejus naturæ a corpore vere fuit soluta, quia teste S. Sacra vere fuit mortuus; triduo ergo mortis verus non mansit homo.

mo. Neque sufficit cum Lombardo dicere triduo mortis mansisse hypostaticam unionem Filii cum anima & corpore, & ideo Christum illo tempore verum fuisse hominem. Nam unio animæ & corporis inter se fuit necessaria ad hoc, ut Christus esset homo. Hugonem vero, integram hominis essentiam in sola rationalitate collocantem, oppido errare vel exinde liquet, quod differentiam rei specificam cum integra ejus essentia confundat, quæ genere & differentia specifica simul componitur.

Ceterum abutuntur præsenti regula Ariani & Photiniani, ita argutantes: *Quicquid ab æterno habuit essentiam suam, ei ab æterno nihil potuit addi, vel illud ab æterno non potuit generari.* At Filius Dei ita; Ergo. Sed vacillat major propositio. Nam Filius Dei absolute non habuit ab æterno essentiam, citra sui ex essentia Patris generationem. Corruit ergo tota argumentandi vis, cui tamen multum semper tribuerunt hæretici.

§. 613.

Attributa rerum sunt absolute necessaria. Unice per essentias rerum determinantur attributa (§. 340.), sed aut necessario aut contingenter (§. 591.): si contingenter, possent attributa per essentias determinari, & non determinari (§. 590.). Posita igitur essentia, possent illa poni & non poni (§. 194.). Quod tamen manifestam involvit contradictionem (§. 343.). Non ergo nisi necessario per essentiam determinantur at- *Attributorum necessitas.*

 tri-

tributa; sed aut absolute aut hypothetice (§. 596.). Si hypothetice, contingens esset attributorum ex essentia determinatio (§. 600.), quod modo demonstratis repugnat. Absolute ergo necessaria est attributorum ex essentia determinatio, seu, quod idem est, attributa rerum sunt absolute necessaria. Aliud pro eadem veritate argumentum: Attributa re ipsa identificantur cum essentia rei (§. 452.). Re ipsa igitur sibi mutuo convenientem habent indolem attributa & essentiæ (§. 389.). Sed sunt essentiæ rerum absolute necessariæ (§. 609.). Non ergo possunt non attributa rerum de eadem hac absoluta necessitate participare.

Ex. gr. Sub dupla trium angulorum ad quatuor rectos ratio est trianguli rectilinei attributum necessarium. Absolute enim est impossibile triangulum esse triangulum, & tamen hanc rationem posse aut majorem aut minorem constitui, prout propositione XXXII. El. I. demonstrat *Euclides*. Est igitur hoc trianguli rectilinei attributum absolute necessarium. Pari ratione intellectus & voluntas sunt absolute necessaria spiritus attributa, nam essentiæ spiritus eorum repugnant opposita.

§. 614.

Possibilitatum accidentium necessitas. Sunt accidentium possibilitates proximæ attributa (§. 379.). Illis ergo absoluta quoque competit necessitas (§. 613.).

Exem-

Exempli loco sit figuræ quadrilateræ, cujus anguli oppositi sunt æquales duobus rectis, in circulo inscriptibilitas, quæ ex ipsis hujus figuræ essentialibus facile demonstratur, & ita quidem, ut si illa dictæ figuræ non competere poneretur, manifesta exsurgeret absurditas. Quam ob rem non potest non hæc in circulo inscriptibilitas esse absolute necessaria. Eodem modo se habet inflammabilitas pulveris nitrati, quæ ex essentialibus hujus pulveris partibus, sulphure nimirum, carbonibus & nitro immediate deducitur, ut adeo, posita hac essentia pulveris, non possit non ei competere, etsi actus ejus, ut experimenta physica docent, possit in vacuo Boyleano suspendi, ubi non major sed minor ejus copia in ferrum candens demittitur, ut observat cum *Hauksbejo Musschenbroekius*, remanente nihilosecius ipsa inflammabilitate, ut essentiæ pulveris hujus insita.

§. 615.

Attributorum immutabilitas. Prona hinc fluit consequentia, attributis rerum (§. 613.), & accidentium possibilitatibus proximis (§. 614.), absolutam competere immutabilitatem (§. 548.).

Illustrari hoc potest exemplis modo allatis (§. 613. 614.), vel etiam ejusdem generis aliis.

§. 616.

Accidentium contingentia. *Accidentia enti contingenter insunt.* Accidentia enim enti, cui competunt, inconstanter insunt (§. 366.), seu, quod idem est, quando insunt, possunt

non

non inesse, salvo manente eodem ente (§. cit.). Oppositum ergo inexistentiæ accidentium est possibile, & proinde ipsa contingenter enti insunt (§. 590.).

Quot accidentium dantur exempla, tot manifestissima sunt hujus veritatis specimina: Est enim communis accidentium natura, quod rationem sufficientem, cur actu insint, in essentia rei minime habeant, sed rationes, inexistentiam determinantes, adhuc requirant alias (§. 370.), atque ideo, posita essentia, non statim ponantur (§. 365.), sed sint in se a suis subjectis separabilia (§. 366.). Ex. gr. Calor & frigus sunt lapidis accidentia, quæ pro circumstantiarum, in quibus collocatur lapis, varietate, variant, eique proinde non nisi contingenter insunt.

§. 617.

Contingentium accidentalis natura. *Quicquid enti contingenter inest, accidens ejus est.* Quicquid enim enti inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel accidentia est referendum (§. 372.); Sed tum essentialia, tum attributa absolute sunt necessaria (§. 609. 613.), accidentibus autem competit contingentia (§. 616.). Quicquid ergo enti contingenter inest, accidens ejus est. Idem alio ostenditur modo: Quod inconstans est, esse potest & non esse, & ideo contingentem habet naturam (§. 590.); sed quod inconstanter enti inest, ejus accidens est (§. 373.). Quodcunque ergo enti contingenter inest, ejus est accidens.

§. 618.

§. 618.

Quia omne contingens mutabile est, & omne mutabile contingens (§. 594.), omnia accidentia enti mutabiliter insunt (§. 616.), & quicquid enti mutabiliter inest, ejus est accidens (§. 617.). Proinde ens, quod accidentibus destituitur, expers est omnis mutabilitatis, & vicissim, quod mutabilitatis est expers, accidentibus destituitur. *Accidentium & entium mutabilitas.*

Insignem pollicentur hæc consectaria usum Theologiæ Naturalis tractationi, ad removenda a Deo tum accidentia, tum omnem mutabilitatem, Enti absolute perfecto & necessario prorsus incommunicabilem.

§. 619.

Accidentia enti insunt non absoluta, sed hypothetica necessitate. Habent accidentia in existendo contingentiam (§. 616.), quæ absolutæ necessitati repugnat (§. 599.). Nequeunt ergo accidentia absolutam possidere in inexistendo necessitatem. Ratio sufficiens, cur accidentia actu insint, non continetur in essentialibus entis, sed in aliis rebus, ab essentia ejus diversis (§. 364.): Impossibile autem est, ut his rebus positis, in quibus continetur ratio sufficiens accidentium, accidentia ipsa simul non ponantur (§. 199.), etiamsi remotis illis conditionibus extraëssentialibus in se non sit impossibile *Accidentium hypothetica necessitas.*

le

le, ut posito ente, ejusque essentia, nondum ponantur accidentia (§ 365.). Quod ergo inexistentiæ accidentium opponitur, non est nisi hypothetice impossibile (§. 128.). Ipsa idcirco accidentia non nisi hypothetica necessitate enti insunt (§. 596.).

Ex. gr. Hypothetice necessarium est, ut lapidi insit calor, qui ejus est accidens. Nam posito lapidem aliquandiu calori solis fuisse expositum, ponitur ejus calor, non ergo nisi conditionatè. Neque putandum est hypotheticam accidentium necessitatem eorum tollere mutabilitatem, optime enim consistit illa necessitatis species cum contingentia (§. 600.), & per consequens, cum mutabilitate (§. 594.).

§. 620.

Essentiale unius entis degenerare nequit in accidens alterius.

Quod est vel essentiale, vel attributum unius entis, nequit esse alterius accidens. Sint duo entia A & B. Habeat A essentiale vel attributum C, contendo hoc idem C non posse esse accidens entis B. Sed ponamus contrarium. Idem ergo C, quod quoad A est immutabile (§. 615.), quia est ejus vel essentiale, vel attributum (per hypoth.), esset quoad B mutabile (§. 618.), quia ejus accidens (per hypoth.). Consequenter immutabilitas, attributo vel essentiali C attribuenda, non esset absolute, sed sub certa conditione talis (§. 597.). Hoc autem per ante demonstrata (§. 615.)

est

est absurdum. Fieri ergo nequit, ut essentiale vel attributum unius entis sit accidens alterius.

Ex. gr. Extensio est attributum corporis, nequit ergo illa fieri accidens animæ. Facultas intelligendi, quæ Angelo, prout attributum, inest, nequit competere animæ, ut accidens, quia inde sequeretur, quod, quoad Angelum est absolute immutabile, esset quoad animam mutabile, adeoque, quod sine ulla conditione est mutabile, esset sub certa conditione mutabile. Quod, ut nemo non intelligit, in ipsis terminis contradictionem involvit.

Objicis: *Durities lapidi, ut attributum, inest, sed competit aquæ, dum in glaciem abit, ut accidens. Quod igitur est attributum unius, potest fieri accidens alterius.* Putas ergo eandem duritiem, quæ lapidi, ut attributum, inest, aquæ in glaciem concretæ competere; sed contrarium docet penitior naturæ consideratio. His accedit multos dari lapides, qui in igne suam duritiem amittunt, in liquidam mutati massam. Horum lapidum æque ac aquæ concretæ accidens est durities, non attributum. Neque præsenti positione negatur, posse duo plurave entia habere aliquod vel accidens, vel attributum commune, quorum utrumque conceditur, sed id solum removendum esse demonstravimus, posse essentiale, vel attributum unius entis, salva sua indole, abire in accidens alterius.

§. 621.

Quicquid enti absoluta inest ne- *Quid. in*

ces-

ente abs. necessarium. *cessitate, id vel inter essentialia, vel attributa ejus est referendum.* Quicquid enti inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel accidentia est numerandum (§. 372.). Sed accidentia non insunt enti absoluta necessitate (§. 619.), quæ tamen essentialibus & attributis convenit (609. 613.). Quicquid ergo enti absoluta inest necessitate, id vel inter essentialia vel attributa locum habet.

Accurate itaque scimus, quæ sint absolutæ necessitatis prædicata, essentialia scilicet & attributa, quæ omni competunt enti (§. 329. 342.), adeoque etiam potentionali (§. 295.) & mere possibili (§. 294.). Unde statim patescit, quod mox demonstrandum est plenius, extra intrinsecam rerum possibilitatem, cui fundamentum præbet essentia (§. 344.), non quærendam esse ullam, ut rebus competentem, absolutam necessitatem.

Ceterum, vel me tacente, liquet contra disjunctivam prædicati, quod præsens ingreditur enunciatum, peccare naturam, qui ita colligit: Hoc vel illud absoluta inest necessitate huic vel isti enti, ergo ejus constituit essentiam; quum potius concludere debeat: ergo ejus constituit vel essentiale vel attributum. In hanc impingit cautelam *Cartesius* P. II. Princ. §. 4. ex extensionis absoluta necessitate & immutabilitate, quam ex relatione illius cum mutabili duritiei, ponderis & coloris natura, ostendere conatur, ad essentiam corporis, in sola extensione collocandam, colligens, quum potius disjunctive dice-

dicere debuisset, extensionem esse vel essentiam vel attributum. Nihil magis ex propositis sequitur præmissis.

§. 622.

Absolutæ necessitatis fundamentum est sola essentia entis; quæ vero necessitas aliunde originem trahit, non est nisi hypothetica. *Absolutæ necessitatis fundamentum.* Quicquid enti absoluta inest necessitate, id vel inter essentialia, vel attributa, est numerandum (§. 621.). Essentialia neque a se invicem neque ab alio priori in ipsa re determinantur (§. 320.); Attributa autem ex essentialibus unice determinantur (§. 340.), & positis essentialibus, statim ponuntur (§. 343.). Sola ergo essentia absolutæ necessitatis est fundamentum.

Quicquid vero aliunde quam ex essentia determinatur, accidens est (§. 364.) quod nonnisi hypotheticam habet necessitatem (§. 620.). Omnis ergo necessitas, aliunde quam ex essentia proveniens, non est nisi hypothetica.

Maxime est momenti fundamentale, quod inter necessitatem absolutam & hypotheticam intercedit, discrimen, sine quo vix ac ne vix quidem contra fatalistas, absolutam rebus omnibus affingentes necessitatem, digne disputabitur, nec sine eo quicquam præstabitur contra Platonicos, creationem mundi per emanationem ex essentia Divina explicantes. Taceo alias plures & admodum intricatas, quæ in Theologia Naturali occurrunt, quæstiones, quæ ex notitia hujus

 discri-

discriminis, quà maximam partem, solvi possunt, & solvuntur.

§. 623.

Entis necessarii definitio. Ens, cujus existentia fundatur in ejus essentia, est absolute necessarium (§. 622.). Ut adeo *Ens Necessarium* sit, cujus existentia est absolute necessaria, seu, quod rationem sufficientem suæ existentiæ in propria sua essentia habet (§. 622.).

Est hoc Necessarium, quod alii dicunt *Necessarium in essendo*, h. e. secundum mentem eorum, *in existendo*, & quod *Chauvinus* in Lex. Phil. sub hoc tit. explicat per id, *quod habet essentiam semper exercitam*; i. e. semper existentem, vel, ut alii loqui amant, *quod a semet ipso semper, & nulla habita ratione aut causæ, aut effecti, aut cujuslibet alterius adjuncti, existit*. Non ergo nisi verbis a nostra entis necessarii explicatione differt *Chauvinus* cum aliis, quos citat. Solent quidem alii cum *Donato* in Metaph. Usuali Cap. XX. §. 13. seq. sub entis necessarii adpellatione comprehendere omne id, quod ita existit, ut non possit non existere, sive absolute, sive hypothetice. Longe vero est accuratius, & ad varias evitandas confusiones melius, entis necessarii notionem extra absolutam in existendo necessitatem non extendere. Immo certus sum non aliunde magis, quam ex latiori ista entis necessarii acceptione, originem traxisse quæstionem istam inter Scholasticos vehementer agitatam: *an præter Deum aliquid sit necessarium simpliciter?* quam quæstionem, quantum nobis visum fuit satis, antea dilucidavimus (§. 609.).

Ens

Ens necessarium, quod heic explico, & existere & solum Deum esse demonstrat Theologia Naturalis, consentiente Sacra Scriptura, quæ nomen יהוה, ut Deo proprium & essentiale proponit Exod. XV. 3. Ex. VI. 2. 3. Es. XLVIII. 2. LIV. 5. XLII. 8. & soli Deo vindicat Es. XXXVII. 20. Ps. LXXXIII. 19. Descendit hæc vox ex radice Chaldaica הוה, cui respondet radix Hebræa היה *fuit*. Ratione igitur Etymologiæ denotat existens, & quidem non contingenter, quod creaturarum proprium est, sed necessario. Ut adeo, teste S. Scriptura, non nisi Deo competat esse ens necessarium.

§. 624.

Ens contingens est, cujus existentia non est absolute necessaria, seu, cujus existentiæ ratio sufficiens non continetur in ejus essentia. *Entis contingentis definitio.*

Ejusmodi entia sunt, quæ in hac existunt universitate, mundus quoque ipse, verbo omnia creata & finita.

§. 625.

Quoniam quodlibet est vel non est (§. 64.), omne existens habet existentiam vel absolute necessariam, vel non: si prius, Necessarium ens est (§. 623.), si posterius, Contingens (§. 624.). *Omne ergo existens est vel necessarium, vel contingens.* *Excluditur medium inter necessarium ens & contingens.*

Ratione igitur existentiæ recte dispescimus ens in necessarium & contingens, nec præter hæc

duo datur aliud tertium. Ratione autem possibilitatis internæ, quæ cum ente in genere reciprocatur (§. 228.), ens omne est necessarium (§. 607.), nec ullum hoc respectu est contingens. Sed magno cavendum est studio, ne ens necessarium cum necessario in genere confundatur. Illud respicit existentiam unice, hoc suam considerationem ab existentia abstrahit & removet. Unde recte dicimus, essentias rerum, etiam finitarum, esse absolute necessarias (§. 609.), male vero & perverse illas esse entia necessaria; nam sic etiam necessario existerent, quod absurdum. Non ergo mirum eos, qui ens metaphysicum cum ente actuali confundunt, & in necessarii notione relationem semper habent ad existens, ferre non posse absolutam essentiarum necessitatem, quæ tamen, modo propositum discrimen inter ens necessarium & necessarium in genere ante oculos habeas, & digne respicias, nec ens actuale cum ente metaphysico idem statuas, nihil habet absurdi.

§. 626.

Qualitas existentiæ entis necessarii & contingentis.

Essentia entis necessarii est ejus attributum. Existentia autem entis contingentis est ejus accidens. Ratio enim sufficiens existentiæ entis necessarii continetur in ejus essentia (§. 623.). Sed attributum est, cujus ratio sufficiens continetur in essentia entis (§. 140.). Existentia igitur entis necessarii est ejus attributum.

Existentia entis contingentis non est absolu-

ſolute neceſſaria (§ 624.), non igitur vel ad eſſentialia vel ad attributa referri debet (§. 621.); Quia tamen enti contingenti, ex hypotheſi, competit, pluraque entis interna prædicata non ſunt, quam eſſentialia, attributa & accidentia (§. 372.); perſpicuum manet exiſtentiam entis contingentis eſſe ejus accidens.

Quam utile & ſimul neceſſarium eſt noſſe, quantum licet, accuratum diſcrimen inter ens neceſſarium & contingens, ne vel atheorum vel gentilium perverſo inſtituto Deum cum mundo & rebus mundanis confundamus; tantæ quoque eſt neceſſitatis ſcire, ad quam claſſem internorum prædicatorum pertineat exiſtentia entis cum neceſſarii, tum contingentis, ne illam in utroque ente ejusdem cenſeamus ordinis. Quod ut clarius adhuc pateſcat, plura addere decet, eandem expoſitura rem.

§. 627.

Cujuscunque entis exiſtentia eſt ejus attributum, illud eſt ens neceſſarium. Et cujuscunque entis exiſtentia eſt ejus accidens, illud eſt ens contingens. Cujuscunque enim entis exiſtentia eſt ejus attributum, illius exiſtentia eſt abſolute neceſſaria (§. 613.); ſed cujus exiſtentia eſt abſolute neceſſaria, illud eſt ens neceſſarium (§. 623.). Cujuscunque ergo entis exiſtentia eſt ejus attributum, illud eſt ens neceſſarium.

E contra: cujuscunque entis exiſtentia eſt ejus accidens, illius exiſtentia non eſt abſolu-

te necessaria (§. 619.); Sed ens, cujus existentia non est absolute necessaria, est contingens (§. 624.). Ens ergo, cujus existentia est ejus accidens, contingens recte statuitur.

Ob hanc reciprocationem inter existentiam entis necessarii & ejus attributum, nec non inter existentiam entis contingentis & ejus accidens, modo demonstratam, verioris Logices praeceptis convenienter definire potuissemus Ens Necessarium per illud, *cujus existentia est ejus attributum*, & Contingens *per illud, cujus existentia est ejus accidens*; maluimus tamen receptas entis necessarii & contingentis retinere notiones, ne novis, etsi in se veris, turbetur lector.

§. 628.

Existentiae ab essentia discrimen. Ubertim hinc patescit, inter existentiam & essentiam entis necessarii non reale, sed formale dari discrimen (§. 453.), & re ipsa inter se identificari (§. 454.): Inter existentiam vero & essentiam entis contingentis, modalem locum habere differentiam (§. 444.), & per consequens etiam realem (§. 445.).

Multum inter se disputant scholasticae Philosophiae Doctores, quomodo inter se distinguantur essentia & existentia entis. Largiuntur cum *Svarezio* Disp. Metaph. XXXI. sect. VI. p. 159. T. 2. accuratiores, Existentiam Dei, seu Entis Necessarii, esse de ejus essentia; entis vero contingentis non esse de ejus essentia, sed provenire ex efficientia alterius entis, scil. ne-

cessa-

cessarii. Ultro itaque concedunt & simul recte contendunt, essentiam Entis Necessarii ab ejus essentia non differre realiter. Circa distinctionem vero essentiæ & existentiæ entis contingentis in diversa rapiuntur. Quidam pugnant pro distinctione reali, quidam pro modali, quidam pro rationis. Tota autem lis, quantum capio, inde originem trahit, quod alii existiment essentiam ab existentia, etiam in ente contingente, non esse separabilem, essentiam semper cum actualitate copulatam considerantes, urgentesque præterea reale non dari discrimen nisi inter existens unum & aliud. Hoc sensu, ad quæstionem propositam: *an inter essentiam actualem & existentiam reale detur discrimen?* respondent negando, & recte quidem ex suppositis; quum fingere reale discrimen inter essentiam actualem & existentiam, quia essentia actualis nihil est aliud quam existentia, idem plane sit, ac fingere reale discrimen inter unum idemque a se ipso. Quod definitioni distinctionis realis, etiam a nobis traditæ (§. 435.), e diametro adversatur. Alii contrà essentiam entis in præcisione ab ejus existentia considerantes, & ipsam internam entis contingentis possibilitatem, in qua essentiam ejus contineri recte dicunt, ab ejus existentia, re ipsa, separabilem contendentes, reale quoque discrimen non modo inter existens & existens, sed etiam inter ea, quorum unum quocunque modo non est alterum citra intellectus nostri operationem (§. 435.), statuentes, censent inter essentiam & existentiam entis contingentis idem dari discrimen ac inter ens in potentia & ens in actu, seu,

 in-

inter potentionalitatem & actualitatem ejusdem entis, a se mutuo separabiles. Conf. *Svarezii* l. c. p. 161. n. 22. Hoc etiam sensu nos dicimus, secundum regulam prius propositam (§. 442.), & ab antiquitate agnitam, dari reale discrimen inter essentiam & existentiam entis contingentis. Hinc est quod graves Scholasticæ Philosophiæ auctores, prout observat Svarezius l. c. p. 163. statuant existentiam creaturæ esse ejus accidens. His re ipsa non adversatur Svarezius, etsi ponat creaturam, quando est, necessario esse, actu scil. composito (§. 68.); nam creaturæ, sensu diviso, quem nos spectamus, nullam in existendo affingit necessitatem. Sed ais: *Si verum est, quod heic statuitur, dari scilicet reale discrimen inter essentiam & existentiam entis contingentis; sequi inde absurdum, quod antea profligavimus* (§. 208.), *existentiam nimirum essentiæ novam addere realitatem.* Neutiquam. Nam omnis realitas habet suam quidditatem, ut cum Scholasticis loquar, seu entitatem (§. 271. 272.), &, per consequens, essentiam (§. 329.). Jam vero, quum unius entis non sit nisi una essentia (§. 333.), intelligitur existentiam enti contingenti novam non addere realitatem. Neque contrarium sequitur ex adserta distinctione reali inter essentiam & existentiam entis contingentis, quum illa distinctio locum habeat non modo inter ens & ens, quæ distinctio realis est essentialis (§. 437.), sed etiam inter ens & ejusdem entis modos (§. 414. 445.). Hanc, non illam, inter existentiam & essentiam entis contingentis statuimus: Illa vero, non hæc, novam, vel potius aliam, infert essentiam, aliam realitatem.

Di-

Diſtinctio itaque realis, heic loci a nobis defenſa, non infert quod exiſtimat opponens.

§. 629.

Entis neceſſarii immutabilitas. *Ens neceſſarium & quà eſſentiam, & quà exiſtentiam, eſt abſolute immutabile.* Ens neceſſarium eſt, cujus exiſtentia eſt abſolute neceſſaria (§. 623.), adeoque etiam abſolute immutabilis (§. 598.). Eſt vero etiam eſſentia ejus abſolute immutabilis (§. 610.). Ens ergo neceſſarium & quà exiſtentiam, & quà eſſentiam, eſt abſolute immutabile.

Eſſe ens neceſſarium quà omnia, quæ poſſidet prædicata, abſolute immutabile, ſuo demonſtrabitur loco, ubi notionem infiniti evolvimus. Heic ſufficit nobis oſtendiſſe exiſtentiæ & eſſentiæ immutabilitatem, quæ ex notione entis neceſſarii ſponte fluit.

§. 630.

Entis contingentis mutabilitas. *Ens contingens, quà exiſtentiam, eſt mutabile, &, quodcunque mutabili ratione exiſtit, contingens eſt.* Exiſtentia entis contingentis eſt ejus accidens (§. 626.) ideoque mutabilis (§. 618.). Viciſſim: Quicquid mutabili ratione exiſtit, illud exiſtit accidentaliter (§. 618.), ſed quod accidentaliter exiſtit, eſt ens contingens (§. 627.). Quodcunque ergo mutabili ratione exiſtit, illud eſt ens contingens.

Recte hinc ex actuali mutatione rerum, quæ in mundo ſunt, ad earum & totius mundi conclu-

dimus contingentiam. Docent variæ & innumeræ Physicorum observationes, tum homines ipsos, tum etiam omnia animalia, immo & vegetabilia, ipsamque tellurem, & qua internam & qua externam constitutionem, solem, lunam, & reliqua astra, constanti subjecta esse mutationis legi, ut adeo hinc non obscure pateat horum omnium contingens & mutabilis existendi ratio, quam in Theologia Naturali, ex contemplatione hujus universi Dei ostensuri existentiam, plenius D. v. exponemus.

§. 631.

Ens Necessarium oriri & interire nequit.

Enti necessario repugnat ortus & interitus. Cui enim ortus & interitus non repugnat, illud potest quà existentiam & incipere, cum antea non existeret, & desinere, cum antea existeret (§. 308.); ei itaque non repugnat, quà existentiam fieri diversum ab eo quod est (§. 390.), &, per consequens, mutabili ratione existere (§. 592.). Sed Enti Necessario repugnat mutabilis existentia (§. 629.); Ergo etiam Eidem repugnat ortus & interitus.

Hinc ut absurdam rejicimus non modo Deorum Dearumque generationem, a gentilibus effictam, sed & perversum atheorum principis *Anaximandri* figmentum, quo nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos somniavit, prout de eo testatur *Cicero* L. I. de nat. Deor. Nihil enim excogitari potest absurdius, quam Deum cum mundo, Ens necessarium cum contingente, com-

mi-

miscere, Illique æque ac huic ortum & interitum adsignare. Tollunt hæc somnia tum ipsam Entis Necessarii, tum Contingentis naturam: illius, ut præsenti demonstravimus thesi, hujus vero, quia sublato inter ens Necessarium & Contingens discrimine, utriusque sejuncta negatur natura.

§. 632.

Ens contingens oriri & interire potest. Est enim ens contingens, quà existentiam, mutabile (§. 630.), potest itaque fieri diversum ab eo, quod est (§. 592.), seu, potest existere & non existere. Potest itaque, ubi antea non existit, quà existentiam incipere, & cum antea exstitit, quà existentiam desinere. Potest ergo & oriri & interire (§. 308.). *Enti contingenti competit ortus & interitus.*

Inferunt ortus & interitus mutationem status vel meræ possibilitatis in actualitatis, vel actualitatis in meræ possibilitatis: Ejusmodi autem mutatio de alio prædicari nequit ente, quam cujus existentia est ejus accidens (§. 618.), ideoque valet non nisi de ente contingente (§. 627.). De mundi, ut entis contingentis, ortu & interitu, tum ex veterum, tum recentiorum hypothesibus multa hic adferri possent, modo id permitteret instituti, quo detinemur, ratio, non Theologicis, sed Metaphysicis destinata curis. Monere tamen placet, vehementer eos errare, qui censent omnes eos ab atheismi labe esse immunes, qui quovis modo mundi concedunt ortum & interitum: Nam quamvis, de jure, certum

tum sit, ortum & interitum de mundo statui non posse, nisi simul concedatur illum esse contingens, & proinde, ut mox demonstrabitur, rationem suæ existentiæ non agnoscere nisi in Ente Necessario, h. e. Deo; juxta tamen de facto testatur Historia *Anaximandrum*, *Democritum*, *Lucretium*, aliosque hujus generis, hunc, quem incolimus, mundum & factum & certo tempore interiturum esse docuisse, sed, quod dolendum, atheismi tamen occupatos fuisse vitio.

§. 633.

Contingentis existentiæ ratio in Ente Necessario.

Si existit ens contingens, ejus existentiæ ratio sufficiens contineri nequit nisi in Ente Necessario. Quia existit ens contingens (per hypoth.), habet existentiæ suæ rationem sufficientem aut in se ipso, aut in alio existente (§. 216.). Si in se ipso, tum aut in essentia sua, aut in propria virtute, qua se ipsum produxisset, possideret existentiæ suæ rationem sufficientem. Illud contra rei veritatem & adsumtam hypothesin, adeoque absurde mutat ens contingens in necessarium (§. 623.); hoc ab omni ratione est alienissimum, quum ponat ens contingens agere, antequam existeret, adeoque existere antequam existeret (§ 207.). Utrumqve ergo in primum incurrit principium (§. 53), utrumque contradictione laborat (§. 54.). In se ipso itaque continere nequit contingens rationem existentiæ suæ sufficientem

tem

tem, adeoque vi disjunctivi, quem modo proposuimus, syllogismi, habet ens contingens rationem existentiæ suæ sufficientem non nisi in alio existente, quod aut est ens contingens, aut necessarium (§.625) Si contingens, tunc ob mox demonstrata, illius iterum existentiæ ratio daretur in alio existente, & sic porro in infinitum, quousque permanemus in serie entium contingentium. Nunquam ergo heic pervenire liceret ad rationem ultimam, seu sufficientem (§. 85.); daretur itaque progressus rationum in infinitum (§. 104), qui tamen dari nequit (§. 105). Ens igitur illud, in quo continetur ratio sufficiens contingentis, nequit esse contingens, adeoque non potest non esse ens necessarium (§. 625.).

Analysis contingentium infinita Leibnitii defenditur.

Dicunt hinc nonnulli cum *Leibnitio* in Princip. Phil. §. 36 37. analysin contingentium esse infinitam, h. e. quousque in serie entium contingentium progredimur, nos nunquam reperire posse rationem ultimam, sed oportere ex hac rerum serie tandem egredi, & principium omnium rerum contingentium agnoscere altius, quod præter substantiam necessariam esse nequit aliud. Comparat itaque *Leibnitius* analysin contingentium cum numeris irrationalibus: Nam quemadmodum illi, v. gr. radix quadrata ex numero quinario, quamdiu in Arithmetica permanemus, nunquam accurate & determinate exprimi possunt, licet ap-

approximando magis magisque ad illos deveniamus, facto autem ad Geometriam adſcenſu accurate determinantur: ita quouſque in ſerie entium contingentium ſubſiſtimus, nunquam reperire licet rationem exiſtentiæ talem, de qua non iterum quærere novam & liceat & debeat, ut rationem ultimam exiſtentiæ contingentis conſecuturis neceſſum ſit, miſſa contingentium ſerie, ſua cogitatione ad ens adſcendere neceſſarium. Diverſiſſima ergo eſt *Leibnitii* ſententia de analyſi contingentium infinita, ab illa, quam cum *Anaximandro* propugnat *Spinoza*, qui atheiſtico furore fingunt, dari progreſſum rationum in infinitum in ſerie entium contingentium, & præter hunc progreſſum aliam non dari rationem contingentium. Vera enim eſt Leibnitii ſententia, ad agnoſcendam ſupremi Numinis exiſtentiam manifeſto deducens: Impium autem & abſurdum eſt Anaximandri & Spinozæ figmentum, ad negandam ſummi Numinis exiſtentiam efformatum: Incurrit namque in manifeſtiſſimam, quam antea (§. 105.) demonſtravimus, veritatem. Ponamus tamen, ut hos atheos eo majoris convincamus abſurditatis, dari ejusmodi infinitam contingentium ſeriem, quæ in ſe, ſine provocatione ad ens neceſſarium, contineret rationem exiſtentiæ ſufficientem; *tunc illa ratio aut ſita eſſet in tota iſta ſerie, aut in una vel altera ejus parte, aut in duabus, tribus vel pluribus conjunctim.* Plures caſus ſub hac hypotheſi non dantur. Sed *a veritate diſcedit primus*, Nam quia quælibet pars,

Anaximandri & Spinozæ negatur.

In ſerie contingentium non eſt ratio ſufficiens exiſtentiæ contingentium.

ſe-

feriei ingrediens compositionem, conceditur contingens, & proinde non ut in se, sed ut in alio rationem suæ existentiæ habens, compositum, seu totum, non haberet hoc ex singulis partibus, sed ex earum conjunctione: At τὸ *non possidere in se rationem suæ existentiæ*, est aliquis realitatis defectus, ut per se patet. Ex privationibus autem & negationibus utcunque additis & multiplicatis nunquam oriri potest aliquod positivum, sunt enim non-entia (§. 282.), ex quibus fieri nequit ens (§. 262.). In tota ergo serie contineri nequit ratio sufficiens existentiæ. Pari modo ostenditur eandem non reperiri in duabus vel pluribus partibus seriei, simul sumtis, unde tertii, quod assumsimus, membri patescit absurditas. Sed *neque secundum valet:* Nam quælibet pars, ex hypothesi, ejus est indolis, ut rationem existentiæ in se non contineat sufficientem, ergo multo minus totius. Falsa itaque & erronea est sententia, in serie entium contingentium, rationem existentiæ ejus quærens sufficientem. Potius hinc sat luculenter colligimus tot dari exstantissima existentiæ Entis Necessarii documenta, quot in hac universitate dantur entia contingentia, quorum sane immensus est numerus. Huic principio nititur quæ inter quinque *Thomæ* vias tertio ponitur loco, a contingenti ad ens necessarium colligens, *Leibnitio* atque *Wolfio* eousque adamata, ut hic non dubitet in Rat. Prælect. Sect. 2. Cap. III. hoc argumentum pro existentia Dei demonstranda reliquis præferre omnibus. Quod quousque veritati sit consonum, heic exponendi non est locus, qui demum dabitur in plenaria Theologiæ Naturalis pertractatione.

§. 634.

Ens contingens existit vi aliena. Quia ens contingens rationem suæ existentiæ non habet nisi in ente necessario (§. 633.), intelligitur ens contingens non existere vi propria, sed vi alterius entis, a se diversi, vi scil. Entis Necessarii.

§. 635.

Ratio existentiæ contingentis non continetur in essentia vel attributis Entis Necessarii. *Ratio sufficiens existentiæ entis contingentis non continetur in essentia vel attributis entis necessarii.* Nam si ex essentia Entis Necessarii determinaretur existentia entis contingentis, absoluta hæc laboraret necessitate (§. 622.). enti contingenti prorsus inimica (§. 624). Idem sequitur absurdi posita determinatione entis contingentis ex aliquo entis necessarii attributo, quod ex essentia unice determinatum (§. 340.), mutaret ens contingens in necessarium (§. 622.).

Hinc ut absurdam rejicimus eorum opinionem, qui mundum ex essentia Divina emanasse statuunt. Est perantiqua hæc de rerum omnium ex Deo emanatione opinio. Placuit illa multis populis orientalibus, ut observat *Hinckelmannus* in detectione fundam. Boehmiani p. 84. Recepta fuit Judæis Cabbalistis, quod fuse ac copiose docet *Jac. Basnage* Histoire des Juifs L. IV. C. VII. & VIII. Placuit etiam Ægyptiis & Indis. Non eodem tamen modo omnes hanc ex-

explicant opinionem: Sunt qui æternam mundi a Deo promanationem profitentur, cui opinioni Aristotelem cum Platonicis addictum fuisse perhibent. Sunt qui certo demum tempore hanc contigisse promanationem sibi imaginantur, ut *Weigelius*, *Fluddius*, *Boehmius* & alii. Horum rursus alii somniant mundum ejusdem esse cum Deo naturæ, alii a Deo differre ut animam a corpore. Sunt porro qui necessitati totum tribuunt negotium, Deumque non potuisse non ex se mundum generare credunt. Alii aliter. Confer *Moshemii* Not. ad *Cudworthi* system. Intellect. p. 358. Et quamvis hi omnes absurditatis arguantur ex præsenti, quam demonstravimus, positione; Potissimum tamen hinc detegitur error Platonicorum, eorumque, qui mundum ejusdem cum Deo faciunt naturæ, & absolutæ necessitatis fato hanc attribuunt promanationem. Hæ opiniones, si tam essent veræ, quam sunt falsæ, oppido sequeretur mundum, tanquam ens contingens, existentiæ suæ rationem sufficientem agnoscere in essentia entis necessarii. Sed absurda est hæc sequela, absurdæ ergo sunt dictæ opiniones, ex quibus illa sponte fluit.

§. 636.

Ens necessarium non opus habet vi entis alterius ad existendum. Et vicissim: Ens, quod non opus habet vi entis alterius ad existendum, est ens necessarium. Ens necessarium continet rationem sufficientem existentiæ suæ in sua essentia (§. 623.), adeoque in nullo ente alio, a se diverso.

Ens necessarium vi aliena non existit.

 Ex-

Exiſtit igitur, etiamſi ponatur nullum aliud ens, ab ipſo diverſum exiſtere (§ 199). Conſequenter vi entis alterius ad exiſtendum non indiget.

Idem etiam indirecte ſic oſtenditur: Ponamus ens neceſſarium indigere vi entis alterius ad exiſtendum, quare ideo de illo affirmanda eſſet exiſtentia, quia ponitur vis entis alterius; ex alio itaque ente determinaretur ejus exiſtentia (§. 194.), & per conſequens, non in ſe ipſo, ſed in alio illo ente rationem ſuæ exiſtentiæ haberet ſufficientem (§. 198). Poſſidet vero ens neceſſarium rationem ſufficientem ſuæ exiſtentiæ in ſua eſſentia (§. 623), adeoque in ſemet ipſo. Quare ex aſſumto, quod ens neceſſarium indigeat vi entis alterius ad exiſtendum, ſequitur illud non eſſe neceſſarium; quod quum manifeſta laboret abſurditate, intelligitur ens neceſſarium non indigere vi entis alterius ad exiſtendum.

Nec majori difficultate evincitur veritas converſæ propoſitionis: Quod non opus habet vi entis alterius ad exiſtendum, illud aut eſt ens neceſſarium, aut contingens (§. 625.); Sed contingens indiget vi entis alterius ad exiſtendum (§. 634). Ergo quod non opus habet vi entis alterius ad exiſtendum, illud eſt ens neceſſarium.

§. 637.

Ens neceſ- Per immediatam hinc fluit con-

ſe-

sequentiam, *Ens Necessarium vi propria existere, sibique ipsum sufficere ad existendum. Et quod vi propria existit sibique ipsum sufficit ad existendum, esse ens necessarium.* *sarium vi propria existit.*

Quamvis certum sit ens, vi propria existens, vi suæ essentiæ existere; modum tamen, quo ens vi propria existat, distincte explicare non valemus. Probe scimus modum, quo quid vi aliena existat, quum quotidie experiamur causarum efficientium influxum ad producendum, quod antea non erat. Hinc, ut recte observat *Wolfius* §. 26. Th. Nat. P. I. magis negante, quam ajente sensu, ens quodpiam a nobis dicitur vi propria existere, ita ut idem sonet ac non existere vi aliena; re tamen ipsa non est negativum quid, sed maxime positivum: Removemus enim ab hoc conceptu existere vi aliena, quod te ipsa denegat enti, cui illud competit, existentiæ rationem in se ipso possidere. Vi ergo oppositorum denotat τὸ vi propria existere non negativum quid, sed positivum.

§. 638.

Quum nullum ens se ipsum præstare vel producere possit existens (§. 296.), sequitur id, quod nonnisi vi propria existit, per nullas vires existentes præstari posse existens, & proinde non esse existibile (§. 156.). *Ens ergo necessarium, quod non nisi vi propria existit* (§. 637.), *esse nequit existibile*. Et vicissim: *quod est* *Ens necessarium non est existibile, & vicissim.*

est existibile, illud nequit esse Ens necessarium. Nam quod per vires existentes præstari potest existens, illud nequit vi propria existere, &, per consequens, nequit esse ens necessarium (§. 637.); Sed omne existibile per vires existentes præstari potest existens (§. 156.). Quod ergo est existibile, illud nequit esse Ens Necessarium.

Objicitur: *Ens necessarium existit* (§. 623.), *ideoque est possibile quid* (§. 211.), *& per consequens existere potest* (§. 141.), *seu est existibile.* Supponit hæc argumentatio existibilis notionem, a nostra (§. 156.) diversam, nihil ergo nostræ detrahit sententiæ. Nam si definiveris existibile per absolute possibile, eo lubentius largior Ens Necessarium esse existibile, quo certius est sub absolute possibili in antecedentibus (§. 154.) comprehendi etiam illud ens, cujus absoluta possibilitas est ratio sufficiens existentiæ ejus, h. e. Ens Necessarium (§. 623.). Sin vero concesseris existibilis notionem, quam nos usui recepto conformiter exhibuimus (§. 156.), & qua diximus illud esse existibile, quod per vires existentes produci potest existens, nisi enti necessario omnem ad existendum necessitatem absurde detrahere velis, eique meram adfingere dependentiam, fatearis necesse est illud non posse esse existibile. De cetero conferas quæ antea & evicimus & dilucidavimus (§. 157.).

Intelligere hinc licet eos, qui cum *Javello* in fine Quæst. Metaph. contendunt Ens Necessarium nullo modo esse possibile, per vocabulum pos-

possibilis aliud non denotare velle quam existibile. Nam alioquin negare non licet Deum, seu Ens Necessarium, esse possibile quid, etsi non possibile merum, tamén possibile non-merum, & quidem illud, cujus existentiæ ratio continetur in ejus possibilitate.

§. 639.

Existibilis & contingentis reciprocatio.

Diversissima vero est entis contingentis indoles; illud enim omne est existibile, & quicquid est existibile, illud est contingens. Siquidem enim contingens non vi propria, sed vi alterius entis, a se diversi, existere potest (§. 634.), per vires ergo alterius illius entis præstari potest existens; Et idcirco est existibile (§. 156.).

Vicissim: Existibile per vires existentes, seu alicujus existentis, præstari potest existens (§. 156.), & ideo existentiam habere nequit vi propria. Non ergo est ens necessarium (§. 637.). Sed inter necessarium & contingens ens non datur medium (§. 625.). Quicquid igitur est existibile, illud est ens contingens.

Aliter: Omne existibile est ens (§. 231.); Omne vero ens est vel necessarium vel contingens (§. 625.). Nequit autem existibile esse necessarium (§. 638). Non ergo est nisi contingens.

Huic in speciem obverti potest: *Omne existibile est absolute possibile* (§. 160.); *sed absolute possibile*

est absolute necessario tale (§. 607.); *ergo omne existibile est absolute necessarium, non contingens.* Sed peccat hæc argumentatio contra regulas Logicales, minus in conclusione continens quam fuit in præmissis, ex quibus positis nihil amplius sequitur, quam *omne existibile esse absolute necessario & non contingenter tale.* Inde vero quomodo exsculpat Opponens, existibile esse necessarium, non plane video. Nemo ignorat eam esse contingentis naturam, ut absolute impossibile sit ejus mutatio in Ens Necessarium, omneque idcirco contingens necessario contingens sit, scilicet quoad essentiam & definitionem. Sed quis inde sine aperta absurditate colligat, ens contingens esse necessarium, scil. quoad existentiam. Par ratio est illius, quo opponens militat, argumenti.

Quod de reciprocatione existibilis & contingentis modo stabilivimus, convenit effatis veterum, quorum plerique contingens in latissimo significatu explicaturi, dicunt esse id, quod impossibili opponitur, seu quod pro possibili accipitur. Hinc *Thomas Aquinas* Part. I. Quæst. 2. art. 3. Summ. Theol. p. 15. argumentum, ex contingenti ad Ens Necessarium colligens, vocat viam sumtam *ex possibili & necessario.* Jam si possibile explicatur per id, cui producendo suppetit aliqua causa, quam possibilis definitionem hi adprobare solent, licet in quæstione de omnipotentia Divina probanda aliam malint possibilis definitionem, allatæ tamen non inimicam (conf. quæ obs. ad §. 163.); **liquet hos Philosophos sua contingentis explicatione nihil**

hil aliud dicere voluisse, quam contingentis & existibilis reciprocationem.

§. 640.

Ens, quod vi propria existit, seu quod non indiget vi entis alterius ad existendum, dicitur *Ens a se*. Esse vero ens a se, abstracte consideratum, *Aseitatem* Scholastici vocant. Ens, quod indiget vi entis alterius, ut existat, *Ens ab alio* adpellatur. *Entis a se, & ab alio definitio.*

Quod mox adnotavimus (§. 637.), idem de aseitate valet, quæ est negativum quid in modo, uti loquuntur, significandi, quia nos illam aliter explicare non valemus. Non vero esse negativum in modo essendi: sic enim est vere positivum quid, fundamentum ei præbens, quod per aseitatem ab Ente a se removemus.

§. 641.

Prona hinc fluit consequentia, *Ens a se esse ens necessarium*, & vicissim: *Ens necessarium esse ens a se* (§. 637.). Pari modo: *Ens contingens esse ens ab alio, & ens ab alio esse ens contingens* (§. 634.). *Entis a se & Necessarii, Contingentis vero & Entis ab alio reciprocatio.*

Quilibet, vel me non monente, intelligit, Ens Necessarium non dici Ens a se, quasi esset sui ipsius causa, sibique ipse existentiam largitus esset, quod repugnat (§. 296.); sed in oppositione ad ens contingens, quod vi aliena existit (§. 634.), vocari ens a se, quia essentia ejus, si-

ne ullo alio adveniente, ipsa sibi ad existendum sufficit. Quamvis igitur absurda sit sententia, statuens Ens Necessarium, seu Deum, esse ens a se effective; videtur tamen *Platonem* ei addictum fuisse, qui L. X. de Republ. dicit *Deum tum cetera omnia, tum semetipsum fecisse & produxisse.* Eandem cum Platone tibiam inflat *Lactantius Firmicus*, qui in Inst. Div. L. I. Cap. VII. ita philosophatur: *Quia fieri non potest, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex se ipso procreatus.* & in L. II. Cap. VIII. *Ex se ipso est, ut in primo libro diximus, & ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, &c.* Nec ab hoc errore abhorruit *Seneca*, quem ut sibi consentientem citat Lactantius L. I. cap. VII. Quidam Lactantium excusare conantur; Sed ostendit *Mosbemius* in notis ad Cudworthi Syst. Intell. T. I. p. 485. illum nullo jure defendi posse, quum tota ejus argumentatio satis ostendat absurdam, quam tuetur, sententiam.

§. 642.

Necessitatis Physicæ & Moralis definitiones. Plura quidem adhuc restant de Ente necessario, ejusque ab Ente contingente discrimine, notatu dignissima; sed Methodi, quam nobis proposuimus, memores, singula suis reservamus locis, ad species hypothetice necessarii curatius evolvendas pedem promoventes. Est hypothetice necessarium, cujus oppositum est hypothetice impossibile, seu quod aliter positum, non in se & idea sua, sed propter conditio-

ditiones ideæ ſuperaccedentes, contradictionem involvit (§. 596.). Eſt vero hypothetice impoſſibile aliud Phyſicum, aliud Morale (§. 170. 175.). Hypotheticam itaque neceſſitatem in *Phyſicam* & *Moralem* diſpeſcere ſolent. *Illa* eſt cujus oppoſitum eſt phyſice impoſſibile, ſeu, quæ ob virium naturalium ſufficientiam & ordinem naturæ aliter poni nequit (§. 170.). *Hæc* eſt, cujus oppoſitum eſt moraliter impoſſibile, ſeu, quæ ob obſervandam actionum rectitudinem aliter poni non poteſt (§. 175.).

Ejusmodi phyſicam neceſſitatem deprehendere licet in tota rerum corporea natura. Phyſicam neceſſitatem habent ſolis, lunæ, & reliquorum aſtrorum motus & adſpectus, & quæ inde proveniunt Eclipſes, dierumque & noctium viciſſitudines, quæ ſalvo naturæ ordine aliter quam eveniunt, evenire nequeunt. Phyſice neceſſarium eſt ignem comburere in illo conjectos crines; aquam ad inclinationem alvei in flumine defluere, & ejus generis ſexcenta alia. Moraliter neceſſarium eſt homini, præſertim probo, ab aliorum abſtinere læſionibus, quia ſi aliud ageret, turbaretur actionum rectitudo. Eodem ſenſu neceſſarium eſt officiali in republica, rite & ſecundum legem præſcriptam, ſuum obire munus; Neceſſarium Regi, urgente ſalute reipublicæ, fœdus cum aliena pangere civitate, & quæ ſunt hujus generis alia.

Phyſice Neceſſarii divi-

Qui *Ariſtotelem* preſſe ſequuntur, dicunt phyſice neceſſarium eſſe, quod ob cauſam, phyſicam ſcilicet, ali-

sio secundum Aristotelicos. ter esse nequit. Hinc præeunte eodem L. II. Post. Cap. II. t. 48. & seqq. L. II. Phys. Cap. IX. totuplicem constituunt necessitatem physicam, quotuplex ab eo ponitur causa. Sic aliud statuitur *Physice necessarium a causa efficiente*, quod posita tali causa efficiente non potest non poni, seu, quod tanquam effectus, perpetuo & indissolubili nexu cohæret cum efficiente. Quo modo sol necessario efficit diem; Glacies, a frigore concreta, necessario resolvitur per calefactionem ignis. Sed hanc necessitatem a causa efficiente bipartitam ponit idem Aristoteles, alteram *κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμήν*, quam interpretes vocant necessitatem naturæ. Hoc modo lapis, fune suspensus, resecto fune, perpendiculariter ad superficiem terræ tendit; alteram *βιαίαν, ἢ παρὰ τὴν ὁρμήν*, violentam, quæ est præter aut contra subjecti appetitum, seu instinctum. Hoc modo violente movetur lapis, quando in altum, contra naturalem gravitatis directionem, projicitur. Aliud *Necessarium est ob finem*, sive, ad *finem acquirendum*, & quidem bifariam, *α*) *ad esse finis simpliciter*, ita ut finis sine eo plane obtineri nequeat. Quæ hinc exsurgit *necessitas* vocari solet *Exigentiæ*. *β*) *ad bene finis*, ut scilicet melius & facilius acquiratur. Quæ hinc oritur *necessitas*, vocari solet *Expedientiæ*. Ita homini ad vitam prolongandam necessaria quidem est respiratio cum cibo & potu, necessitate exigentiæ, Medicamenta autem necessitate expedientiæ. Eodem modo cum possit quis pedes peregrinari,

Necessitas exigentiæ, & expedientiæ.

grinari, equus necessarius est peregrinanti, necessitate expedientiæ tantum. Hoc etiam sensu diximus & probavimus (§. 35.) Metaphysicam esse futuro Theologo necessariam, non necessitate exigentiæ, sed expedientiæ. Diffiteri non possumus, necessitatem finis tam late a quibusdam explicari, ut non modo, prout Aristoteles voluit, sit species physicæ necessitatis, sed & simul sub se comprehendat moralem. Loquuntur hoc exempla, passim allegata: Ita dum dicunt diligentiam esse necessariam Studioso necessitate finis, ad acquirendam eruditionem; Christiano esse necessaria exercitia charitatis ad ostendendam fidem; bellum esse necessarium ad repellendos hostes: dum inquam, hæc & similia tanquam necessitatis finis exempla allegant, vel primo intuitu & sine ulteriori discursu ad necessitatem moralem pertinentia; satis superque manifestant, se sub necessitate finis etiam comprehendere necessitatem moralem. Neque hoc, etiamsi fortassis a mente Aristotelis discedat, in se absurdum est; versatur enim necessitas moralis nonnisi circa actiones liberas spirituum, ad certam dirigendas rectitudinis mensuram, utcunque æstimatam, quæ heic finis obtinendi, vel cum suis actionibus uniendi, obtinet locum. Evidens præterea est, omnem actionem liberam ob certum suscipi finem, quia ideo suscipitur, ut fiat. Hactenus itaque dicere possumus necessitatem moralem esse necessitatem finis. Maluimus tamen ab illa nimis universali, quæ ad physicam quoque pertinet, formula abstinere, quum magis jam usitata criorque sit moralis necessitatis adpellatio, quæ statim,

tim, vel ipso titulo, distinguitur a physica necessitate. Tertiam speciem physicæ necessitatis, secundum Aristotelem, constituere solent *Necessitatem Formæ*, qua aliquid propter formam immutabiliter se habet: Sic homo necessario est rationalis, quia formam ipsius dicunt animam rationalem. Nondum quidem locus est explicandi formam, quam Aristoteles ipse vocat λόγον τῆς οὐσίας, Peripatetici *rationem substantiæ*, Cartesiani cum Gassendistis *rationem essentiæ*; quantum tamen adsequor, differentiam rei specificam absolvit. Unde, quia illa differentia non ex accidentalibus rei, sed ejus essentialibus desumitur (§. 569.), quibus absolutam tribuimus necessitatem (§. 609.), perspicuum est necessitatem formæ potius ad necessitatem absolutam quam physicam, quæ hypotheticæ est species, pertinere. Quarto loco ad necessitatem physicam, qui Aristotelem sequuntur, numerant *Necessitatem materiæ*, qua aliquid immutabiliter inesse rei propter materiam dicunt. Exempli loco allegant laternam, quatenus necessario transmittit lumen, quia ex vitro & cornu constat, quod materiam habet pellucidam: Provocant quoque ad animalia, quæ ratione corporis corruptioni necessario sunt obnoxia: entia enim materialia sunt & composita. Quatenus heic loci sumunt materiam non sensu metaphysico, quo notionem generis vel comprehendit, vel ei respondet, sed sensu physico, eatenus ambabus, ut ajunt, manibus concedo necessitatem materiæ esse quandam necessitatis physicæ speciem, quum nec ipsi materiæ, nec vi ejus, ulla absoluta competat necessitas.

§. 643.

§. 643.

Ex allata definitione physice & moraliter necessarii statim intelligitur, & illud & hoc in se esse contingens. Est enim physice necessarium, cujus oppositum est physice impossibile (§. 642.), adeoque cujus oppositum est nonnisi hypothetice impossibile (§. 171.); cujus ergo oppositum in se est possibile (§. 139.). Sed contingens est, cujus oppositum in se est possibile (§. 590). Physice ergo necessarium in se contingens est. Q. E. U.

Physicæ & Moralis Necessitatis contingentia.

Moraliter necessarium diximus, cujus oppositum est moraliter impossibile (§. 642.), &, per consequens, cujus oppositum in se est possibile (§. 182.). Sed quod sibi oppositum habet possibile, contingens est (§. 590.). Ergo moraliter necessarium in se est contingens Q. E. A.

Utrumque hoc conjunctim & breviter sic demonstratur: Tam physice quam moraliter necessarium est hypothetice necessarium (§. 642.), utrumque ergo contingens est (§. 600.).

Competit ordini naturæ sua necessitas, sua immutabilitas, non tamen tanta, quæ tollat ejus contingentiam & absolutam mutabilitatem. Sic licet physice sit necessarium, aquam ad inclinationem alvei in flumine defluere; in se tamen est contingens, & viribus infinitis mutabile. Potuit itaque per miraculum, tempore *Josuæ*, aqua

qua fluminis Jordani, muri instar perpendiculariter adscensa, subsistere & non defluere. Sed de ordinis naturæ legumque motus contingentia alias plura.

§. 644.

Absoluta necessitas a physica & morali removetur. Quia contingentia cum absoluta necessitate conciliari nequit (§. 599.), intelligitur neque physicam, neque moralem necessitatem esse absolutam (§. 643.).

Fecit quidem quorundam in loquendo inconstantia, ut sub absoluta necessitate physicam quoque comprehendere soleant: Quare absolutam subinde explicant per eam, qua quid per naturam, seu propriam, seu ipsius causæ, a qua proficiscitur, non potest non esse. Hanc deinde distinguunt in internam, soli Deo competentem, & externam, sub qua physicam necessitatem contineri ajunt. Sed quum hi iidem, de absoluta essentiarum necessitate recte disputantes, aliam iterum huic vocabulo adjungant notionem, maluimus ab hac in loquendo inconstantia recedere, & physicam necessitatem ab absoluta penitus distinguere: Nam secundum notiones prius positas, quas etiam constanter retinemus, diversissimi generis sunt absoluta & physica necessitas, a nemine, nisi qui vel directe, vel indirecte, vel minimum præter intentionem suam fatalismo & spinozismo faveat, commiscendas ac velut genus & species considerandas Facile itaque solvitur quæstio, quæ a *Javello* L. XII. Metaph. Qv. 30. proponitur: *An angeli sint entia*

tia necessaria absolute? Non opus est cum Javello distinguere inter absolute necessarium per causam intrinsecam tantum, & per causam intrinsecam scil. essentiam, illamque absolutæ necessitatis speciem angelis concedere & cœlis, quibus cum Aristotele incorruptibilitatem attribuit: Non, inquam, opus, sed statim respondemus & angelis & cœlis absolutam necessitatem esse denegandam, nec aliam eis competere posse, quam physicam, cum contingentia eorum optime connexam.

§. 645.

Quod moraliter est necessarium, physice necessarium esse nequit. Nam quod moraliter est necessarium, ejus oppositum moraliter est impossibile (§. 642.), &, per consequens, quoad agentia naturalia, physice possibile (§. 182.). Quoniam vero physice possibili opponitur physice impossibile (§. 165. 170.), unumque nequit simul esse alterum (§. 53.): quia etiam physice necessarium est, cujus oppositum est physice impossibile (§. 642.); sua radiat luce, moraliter necessarium non esse physice necessarium. *Moraliter & physice necessarii discrimen.*

Perutile est & necessarium solicite distinguamus inter moraliter & physice necessarium; conveniunt quidem genere proximo, scilicet, hypothetice necessario, sub quo tanquam binæ species continentur. Consentiunt quoque in omni eo, quod ex generica notione determinatur: Atque hinc utrique dictæ speciei adsignavi-

vimus contingentiam (§. 643.), indeque pendens ab absoluta necessitate discrimen (§. 644.); Differunt tamen specifica sua natura, ob quam unum esse nequit idem alterum (§. 547. 546.). Et certe, si moraliter necessarium esset simul physice necessarium, quod sufficientiam virium agentis ad unicum restringit, tale & non aliud, sequeretur nullam esse moralium actionum, circa quas moralis versatur necessitas, veri nominis libertatem, sed meram ubique regnare physicam & mechanicam necessitatem, locum itaque amplius non dari imputationi morali, præmiorum & pœnarum justæ irrogationi. Sed hæc omnia absurda & periculosa judicas? recte. Scias ergo moraliter necessarium a physico sejungere, nec alterum cum altero commiscere, cujus vitii reus est Spinoza, nullam veri nominis libertatem animæ humanæ relinquens; sed omnes ejus actiones physica necessitate determinari fingens. Cujus sententiæ absurditatem in Psychologia pluribus D. V. commonstraturi sumus.

§. 646.

Contingentiæ moralis consideratio. Ubi itaque non ad genericam, sed specificam moraliter necessarii indolem, de qua physica prædicari nequit necessitas (§. 645.), attendimus, liquet contingentiam, morali necessitati attributam (§. 643.), diversam esse debere a contingentia, quæ physicæ necessitati competit (§. cit.). Quoad vires itaque alterius entis, ad quas refertur contingens (§. 634.), aliud est *absolute existibile, seu contingens* (§. 639.), quod quoad

quoad vires Entis Neceſſarii (§. 634.), aliter eſſe poteſt, quam eſt: vocatur hoc nonnullis *contingens Generale*, de quo hactenus diſſeruimus: *Aliud eſt in relatione ad ordinarium naturæ curſum*, viresque in mundo exiſtentes, vi quarum aliter eſſe nequit, quam eſt, quod generaliter loquendo contingens vocari debet (§. 643), phyſice tamen neceſſarium manet (§. 642.): *Aliud quoad vires hujus vel illius agentis moralis* (agens morale vocatur, quod intellectu & libera voluntate gaudet), phyſicas, ſeu naturales aliter eſſe poteſt quam eſt, & proinde phyſice non eſt neceſſarium (§. 642.). Vocatur hoc nonnullis *contingens ſpeciale*, aliis, aptiori, ut videtur adpellatione, *contingens intrinſecum*, quibus hæc contingentia denotat facultatem agentis ex principio interno agendi & non agendi, agendi hoc & aliud, quod per facultatem ejus eſt poſſibile.

Contingentiam hanc intrinſecam cum neceſſitate morali conſiſtere, & hanc viciſſim cum illa, fuſius oſtendere & explicare hujus non eſt loci; ſed Pſychologicis & Pneumaticis imbuti principiis in Philoſophia Practica univerſali illud exponere ſolemus. Hoc autem loco monemus ſolum, non confundendam eſſe, quam heic tuemur, contingentiam intrinſecam, cum contingentia actionum liberarum morali, ab indifferentiſtis moralibus, vel craſſius, vel ſubtilius, defenſitata, quam juſtitiæ Divinæ, Legis Natu-

turalis indoli, ipſarumque actionum liberarum naturæ inimicam eſſe demonſtrant ſaniores. His ſimul addamus contingentiam intrinſecam a nobis perbrevi expoſitione declaratam, coincidere cum eo, quod *Stahlio* & *Muſæo*, ad ductum Ariſtotelis, adpellatur *contingens æqualiter*, ἐπ' ἴσης, & eis explicatur, per id, quod æque poteſt eſſe & non eſſe, cujusmodi ſunt, quæ a libero hominum arbitrio pendent, ut ambulare, ſtare, ſcribere: Poſitis enim omnibus ad ſcribendum requiſitis, non magis in poteſtate hominis eſt ſcribere quam non ſcribere, etiamſi neutrum ſine ratione agat, ut in Pſychologicis exponitur.

§. 647.

Continuatur ulterius. Sed ut hæc contingentiæ diſtinctio clarior evadat, oportet eam ex principiis prius poſitis aliquanto altius repetere. Contingens in genere definivimus per illud, cujus oppoſitum eſt poſſibile (§. 590.). Eſt vero poſſibile duplex, aliud intrinſecum, ſeu abſolutum, aliud extrinſecum, ſeu reſpectivum (§. 135.). Aliud itaque eſt contingens, cujus oppoſitum eſt abſolute poſſibile; aliud, cujus oppoſitum eſt poſſibile extrinſecum. Quoniam autem omne contingens eſt exiſtibile (§. 639.), nec ullum aliud eſt contingens, niſi, quod ſit exiſtibile (§. cit.), & quia idcirco omne contingens habet relationem ad vires alicujus exiſtentis (§. 156.), omneque exiſtens vel neceſſarium, vel contingens eſt (§. 525.); ſequitur contingens illud, cujus oppo-

ſitum

ſitum eſt abſolute poſſibile, aliud non eſſe, quam id, cujus oppoſitum eſt æque exiſtibile, ſcil. quoad vires Entis Neceſſarii. Illud vero, cujus oppoſitum eſt poſſibile externum, ſiquidem priori opponitur, aliud eſſe nequit quam id, cujus oppoſitum eſt exiſtibile per vires entium contingentium, ſeu finitorum, h. e. cujus oppoſitum eſt phyſice poſſibile (§. 165.). Prius vocamus *Contingens generale*, ſeu *Metaphyſicum*, poſterius *Contingens Phyſicum*. Quoniam vero pro duplici & uſitato entium contingentium diſcrimine in corpora & ſpiritus, duplex conſtitui ſolet poſſibile phyſicum, aliud corporum aliud ſpirituum finitorum (conf. not. ad §. 165.); Non ſine ratione aliud conſtituitur *Contingens Phyſicum in mundo materiali*, quod ideo appellare licebit *Contingens Phyſico-corporeum*, vel etiam *Contingens corporeum*, cujus oppoſitum eſt poſſibile in corporibus, ſeu per corporum vires exiſtibile; aliud *Contingens Phyſicum in ſpiritibus*, quod etiam vocare licebit *Contingens Phyſico-Pneumaticum*, ſeu, *Morale*, cujus oppoſitum eſt poſſibile in ſpiritibus finitis, vel, per vires ſpirituum finitorum exiſtere poteſt.

Ut diſtinctionum harum ideæ evadant clariores, illuſtrationis gratia nonnulla adferre placet exempla. Ob vim centrifugam, vi centripetæ adverſam, motumque Planetarum vertiginis, quo dierum noctiumque fiunt viciſſitudines, colligi-

mus figuras planetarum esse sphæroideas, quod de Jove ex accuratissimis *Cassini & De la Hirii* observationibus est evidens, de tellure autem, idem extra dubium ponunt immota Illustris *Newtonii* argumenta, observationes Gallorum recentiores, circa utrumque polum institutæ. Quia vero, absolute loquendo, possunt corpora & moveri & quiescere, quum neque quies, neque motus sit eis essentialis, sed accidentalis, in se quoque possibile est, ut tollatur motus vertiginis planetarum, quo sublato, figura eorum evaderet sphærica, non autem Sphæroidea. Præter has figuras aliæ quoque innumeræ sunt possibiles. Hæ vero mutationes, quibus tollatur motus vertiginis planetarum, & loco figuræ sphæroideæ imprimatur eis sphærica vel alia, per naturæ vires produci nequeunt, manent itaque absolute existibiles, exempla Metaphysicæ contingentiæ præbentes. Eodem sensu in se possibile est & absolute existibile, ut homo iter in lunam instituat, etiamsi ob vim gravitatis, constanter renitentem, per naturæ vires id nunquam præstaverit. Est itaque hoc etiam contingens non Metaphysicum, sed Physicum. Docet experientia semen fœcundum, terræ commissum, accedente debita soli cultura, & congrua cœli tempestate, posse in fructificando vigecies, immo, trigecies se multiplicare. Quatenus vero in natura rerum corporea præsto sunt vires, quibus etiam evenire potest contrarium, eatenus est hoc contingens Physico-corporeum. Ita contingens est, naves, mari commissas, tempestate non everti: adsunt enim in natura corporea vires, quibus contrario dari potest locus

effe-

effectui. Huc etiam pertinet turris vel ædis immota consistentia, nam adsunt in natura vires, vel per adplicationem pulveris pyrii, vel per vehementiorem procellam, vel per alias res exercitæ, quibus & turris & ædes dejiciantur. Ad contingens Physico Pneumaticum pertinent actiones spirituum finitorum, a libera eorum voluntate pendentes, quæ per vires, horum entium internas possunt suscipi & non suscipi, alio quoque & alio modo peragi. Est hoc contingens idem, quod mox §. 646.) sub contingentiæ intrinsecæ titulo comprehendere voluimus, neque hæc duo inter se differunt, nisi quatenus quis velit contingentiam intrinsecam etiam extendere ad actionum liberarum, quæ, Deo conveniunt, contingentiam, quo in casu dabitur discrimen inter contingens intrinsecum & Physico-Pneumaticum, ut inter latius & angustius.

§. 648.

Necessitas moralis Ethica & Juris. Duplicem antea constituimus impossibilitatis moralis speciem (§.185.), alteram Ethicam, Juris Alteram. Quoniam vero moraliter necessarium audit, cujus oppositum moraliter est impossibile; alia est *Necessitas Moralis Ethica*, alia *Juris*. Illius oppositum Ethicam habet impossibilitatem; hujus, impossibilitatem Juris. Illa ob rectitudinem actionum ex affectu & confusa cognitione æstimatam, aliter quam est esse nequit: Hæc ob rectitudinem actionum, ex distincta agendorum cognitione, quam

 lex,

lex, cui ſubeſt agens, ſuppeditat menſuratam, aliter poni nequit. Utraque vero neque in ſe, neque quoad vires agentis repugnat, nam utraque moralis eſt, cui contingentiam adjudicavimus Metaphyſicam (§. 643. conf. §. 647.), neceſſitati abſolutæ oppoſitam (§. 596.), cui etiam phyſicam denegavimus neceſſitatem (§. 645.), & proinde virium naturalium inſufficientiam (§. 642.).

Diſtinctio neceſſitatis moralis in Ethicam & Juris, Cl. *Canzio* recte adprobata in Ont. Pol. §. 107. Illuſtri *Leibnitio* uſitata non fuit, qui §. 349. Theod. neceſſitatem moralem explicaturus, eandemque a neceſſitate Metaphyſica diſtincturus, dicit illam a libera ſapientiæ electione oriri, reſpectu cauſarum finalium, & compellere ſapientiſſimum ad electionem optimi, vid. §. 366. l. c. Optimum vero putat non eſſe niſi unicum, nec agnoſcere ſibi ſimile, Deumque non potuiſſe non hoc ipſum eligere, quia Ipſe alioquin defeciſſet a ſapientia ſua, quam ſibi eſſentialem habet, conf. §. 159. Theod. Hanc neceſſitatem vocat vir Illuſtris *Felicem in Deo neceſſitatem*; *Neceſſitatem Deo dignam*; *Neceſſitatem ſapientis*; *Legem ſapientiæ*. Quæſtiones de mundo optimo, aliisque agnitis, quæ ex data occaſione facile hinc orirentur, in Theologia Naturali commodius quam in Metaphyſica pertractantur; illas ergo heic facimus omiſſas, monentes ſolum diſtinctionem Neceſſitatis in Ethicam & juris non modo in Philoſophia Practica, ubi veriorem obligationis indolem inveſtiga-

ſtigare tenemur, ſed etiam in Pſychologia in doctrina de libertate, aliisque ampliſſimum nobis polliceri uſum.

§. 649.

Neceſſarii ex conditione conſequente definitio.

Hypothetice neceſſarium diximus (§. 596.), cujus oppoſitum non in ſe & idea ſua, h. e. non ob eſſentiam rei competentem (§. 622.), ſed ob conditiones, extra eſſentiam rei poſitas, contradictionem involvere judicatur. Sunt autem conditiones iſtæ variæ, aliæ namque *Antecedentes*, aliæ *Concomitantes*, aliæ *Conſequentes*. Totuplicem ergo ſubit quoque hypothetica neceſſitas diviſionem. Alia nempe eſt ex conditione conſequente, alia ex concomitante, alia ex antecedente. *Neceſſarium ex conditione conſequente* eſt, cujus oppoſitum, non ſcilicet eſſe factum, vel non eſſe factum hoc modo, quo tamen factum eſt; contradictionem involvit vi principii contradictionis, quod non permittit idem eodem reſpectu ſimul eſſe & non eſſe.

Eſt hæc univerſalis omnium præteritorum neceſſitas, & quidem ex conditione non antecedente, ſed conſequente: Antecedenter igitur illa non impedit, quominus actio, antequam facta ſit, poſſit fieri & non fieri, non ergo ſubtrahit actionem libero agentium arbitrio. *Sed putas forte hanc neceſſitatem re ipſa coincidere cum abſoluta, quia ex ipſa notione facti deducitur, factum infectum fieri non poſſe, non ergo, niſi nomen hy-*

hypotheticæ retinere necessitatis. Sed spectatur factum vel *antecedenter*, prius scil. quam factum est, tum utique non est nisi merum possibile, cui non repugnat existere; vel *consequenter*, posito, quod jam existat. Priori sensu non repugnat factum infectum fieri posse, posteriori autem plane repugnat. Deducitur vero hæc contradictio, seu impossibilitas, non ex essentia facti, quæ in intrinseca ejus continetur possibilitate, sed ex ejus existentia, quæ facto, tanquam enti contingenti, nonnisi accidentaliter competit (§. 626.). Non itaque absolutam sed hypotheticam generare potest hæc impossibilitas necessitatem (§. 612.). *Factum*, inquis, ex alio me impugnaturus latere, *potest revera fieri infectum. Deus peccata nostra delet a sua facie, i. e. omniscientia rejicit. Quicquid vero ne a Deo amplius intelligibile est, non est.* Sed delictum ab homine commissum, & ob gratiam, in Christo factam, a Deo misericorde deletum, non sensu physico & absoluto, de quo heic loquimur, quasi re ipsa nunquam fuisset commissum, sed sensu Theologico fit infectum, quatenus culpam non amplius habet & dominium nec radicem ulterius nocendi.

Observat *Anshelmus* T. III. op. fol. 62. *sequentem necessitatem currere per omnia tempora hoc modo. Quicquid fuit necesse est fuisse, quicquid est, necesse est esse; quicquid futurum est, necesse est futurum esse.* Quibus Anshelmi verbis, declarationis gratia, addit *Jacob Thomasius* in Dilucid. Stahl. p. 56. *In creaturis sicut existentia præsens, necessitatem parit præsentem, sic præterita præteritam, futura futuram, salva interim in his omnibus creaturæ con-*

contingentia. Recte quidem, nam omnis hæc necessitas fundatur non in essentia, sed in existentia creaturarum, quæ illis nonnisi accidentaliter vel competiit si præterita, vel competit, si præsens, vel certo competitura est, si futura. Est ergo manetque hypothetica. Non nego consequentem, quam loquor necessitatem etiam ad futurum quatenus futurum est, adplicari posse, proprie tamen loquendo non occupatur illa nisi circa præteritum, quum futurum conditiones postulet antecedentes, de quibus mox, præsens autem ex concomitante oriatur.

§. 650.

Necessitatis ex conditione concomitante definitio. *Necessitas ex conditione concomitante est*, cujus oppositum, non scil. existere rem vel actionem, quando existit, vel non existere hoc modo, quum eum tamen in existendo observet, contradictionem involvit. Fundatur hæc necessitas in Aristotelico illo & satis noto principio: *Omne quod est, quando est, necesse est esse*, cujus indolem & naturam antea declaravimus (§. 68.).

Si mihi obverteris *hanc necessitatem quatenus ex memorato fluit principio, absolute necessario, non posse non esse absolutam, minime autem hypotheticam.* Te eodem, ac mox circa similem instantiam (ad §. 649.), feci modo, facile confutabo, observata distinctione inter id, quod antecedenter, & quod concomitanter est, ceteris, quæ citato loco allegantur, manentibus iisdem.

Necessitas hæc hypothetica ex conditione concomi-

mitante non influit in factum aliquod antecedenter, seu, ut quidam loqui amant, non sensu diviso, sed concomitanter, seu, sensu composito, quatenus dum fit, non potest simul non fieri. Non ergo jugulat hæc necessitas libertatem agentium, quæ non in eo ponitur, quod possint, quando jam agunt, simul agere & non agere, eodem sensu & eodem respectu, quod sane ἀδύνατον; sed in eo quod, priusquam agunt, possint agere & non agere pro arbitrio.

Colligimus hinc concursum divinum, quo Deus in effectus & actiones rerum creatarum, juxta earundem naturam & indigentiam, cooperatione communi & immediata influit, quia non prævius est & antecedens, sed concomitans, incipitque eo ipso momento, quo causa secunda operari incipit, nullam liberis agentibus adimere libertatem, vi cujus facultatem nihilo secius retinent agendi & non agendi, agendi hoc & aliud.

§. 651.

Necessitatis ex conditione antecedente definitio & diversitas.

Conditio antecedens est, quæ prius existit, quam res, cui affert hypotheticam necessitatem. Unde facile intelligimus *Necessitatem hypotheticam ex conditione antecedente* esse, cujus oppositum ob conditionem antecedentem implicat. Differt vero hæc necessitas pro diversitate conditionis antecedentis, *alia*, ad vires agentium relata, illa ad unicum constringit, *alia* ad unicum non constringit, sed posita licet, aliud tamen & aliud

liud per easdem vires relinquit producibile, etiamsi ob conditionem positam certum sit & determinatum hoc & non aliud eventurum.

Exemplum conditionis antecedaneæ agentis vires ad unicum non constringentis, at illustre præbet Dei præscientia, qua posita certum quidem est & infallibile, quia omnis maculæ & erroris plane est expers, in tempore futurum, quem ad modum illud præscivit; hypotheticam tamen non facit necessitatem sed supponit, viresque agentium intactas relinquit. Tantum enim abest, ut divina præscientia requiratur ad res futuras, ut potius ipsæ res futuræ præsupponantur a divina scientia, ut quæ ferri in eas alioquin haud posset, ipsasque prævidendo attingere, nisi illæ essent futuræ, plane ut quævis alia scientia suum objectum semper præsupponit, non facit. Palmarium eorum argumentum, qui ex infallibilitate præscientiæ Divinæ ad necessitatem rerum præscitarum colligere solent, antea (§. 606.) confutavimus. Ceterum proponit *Becanus* in Theol. Schol. P. I. Tract. I. Cap. X. argumentum, quo ex præscientiæ divinæ necessitate ad necessitatem peccati, a Protoplastis committendi, colligi videtur. Est vero illud tale: Si *Deus necessario præscivit Protoplastos peccaturos, necessario peccarunt; atqui Deus necessario præscivit. Ergo. Consequentia majoris probatur regula Logica: Quando conditionalis propositio est vera, si ejus antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium.* Idem argumentum a *Tho-*

Thoma proponitur P. III. Q. XIV. art. 13. p. 89. ad quod solvendum adfert pag. 91. varias aliorum responsiones, quas tamen omnes rejicit, neque his meliorem ipse substituit, *Armacanus*, si fides *Wiclefo* habenda, in solutione hujus argumenti XX laboravit annis, & tandem charybdin evitaturus incidit in scyllam, putans Deum in sua præscientia errare posse Existimo autem non insolubile esse, quod sistitur, argumentum, à necessitate præscientiæ divinæ ad necessitatem rerum præscitarum concludens. Fateor & simul urgeo absolute necessariam esse Dei scientiam, quatenus est essentiale ejus attributum; hinc tamen, non sequitur necessitas rerum actualium, a Deo præscitarum, nisi quum ipsa Dei scientia sit æterna, statuere velis ipsas res futuras, circa quas speciatim Dei occupatur præscientia, jam ab æterno a Divina præscientia exstitisse productas, adeoque nec fuisse unquam futuras, & consequenter nec præscitas, quæ quidem omnia, cum contra hypothesin, tum ipsam veritatem, & in se etiam repugnantia sunt. Consideratur quidem Divina præscientia ut conditio antecedens, non tamen ut determinans rerum præscitarum actualitatem, quare ab illius necessitate ad harum necessitatem colligi nequit. Vocari potest scientia Divina in sensu, uti loquuntur, illativo causa futurorum scilicet cognoscendi, ut adeo posita præscientiæ Divinæ infallibilitate, quæ ob infinitudinem intellectus Divini poni debet, certo & determinato verum sit, res futuras extra Deum poni. Minime vero gentium præscientia Dei, in sensu productivo, futura sciendo ita com-

complectitur, ut causa eorum fiendi pronuncianda esset. Limitata itaque majori propositione in allato Becani argumento: *Si Deus necessario præscivit Protoplastos peccaturos, sequitur eos necessario sensu scil. illativo, non productivo peccasse*, Limitata, inquam, hoc modo propositione majori, non alia exsurgit conclusio, quam Protoplastos necessario sensu illativo, non autem productivo peccasse, seu quod idem, infallibiliter certum fuisse peccaturos esse protoplastos, sine omni tamen & absoluta & physica necessitate. Neque quicquam præsidii contra nos sumere licet ex allegata Logices regula, quæ non de sensu productivo, sed illativo agit, nec unquam valet ex necessitate antecedentis ad necessitatem consequentis colligere, sensu productivo, nisi quatenus antecedens fuerit necessarium determinans consequentis, ceu, sui determinati, sed non est præscientia necessarium determinans futurorum, ergo nullam his infert præscientia necessitatem.

Conditio antecedens, vires agentium ad unicum constringens, in corporibus locum habet & mundo Physico, non autem in spiritibus, qui intellectu & libera voluntate sunt præditi, vi cujus, positis licet conditionibus antecedentibus, suadentibus nimirum & allicientibus, possunt nihilo minus vires suas aliorsum vertere & inclinare: Non enim admittimus *Præmotionem*, vel *Prædeterminationem*, quam quidam Scholasticorum, Thomistæ præsertim & Dominicani, Prædeterminantes ideo vocati, cum Reformatis tuentur, existimantes illam in eo consistere, quod Deus, antequam creatura se ad agendum accingat,

gat, ad ipsam actionem efficaciter excitet & adplicet: Hac enim admissa præmotione nulla amplius agentibus liberis concederetur libertas, Deusque causa malarum actionum absurde constitueretur. Sed excipiunt pradeterminantes: *Secunda causa agere non potest, nisi agatur a prima. Quicquid autem ab alio agitur illud sub conditione primæ causæ agentis necessario agit.* Respondeo breviter inter vim creaturarum, & vis illius certam limitationem & adplicationem; in illam influit Deus sustentatione & concursu non autem in hanc. Secunda causa agere nequit nisi sustentetur a prima, hinc tamen non sequitur primam vel constringere agendi vires causæ secundæ, vel in formale actionis ejus influere. Sed de hac re alias plura.

CAPUT VII.
DE
UNITATE ET MULTITUDINE.

§. 652.

Unitatis definitio. Unitas consistit in inseparabilitate eorum, quibus ens in suo esse determinatur, seu quia ens in suo esse per essentiam suam constituitur, consistit *Unitas* entis in inseparabilitate essentialium ejus. Hinc in concreto unum dicitur ens, quod habet unitatem, seu quod habet inseparabilitatem eorum per quæ est, quod est.

Toti

Toti Philosophorum choro adeo familiares sunt, a nobis allatæ unius & unitatis notiones, ut nemo sit, qui eas non admittat. *Aristoteles* L. V. Cap. VI. Met. dicit: *universim, quæcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dici*. conf. L. IV. Met. Cap. VI. & L. X. cap. I. & alibi passim. Videatur *Scaligerus* Exercit. 65. sect. 2 & 8. Hinc agmine veluti facto collocant omnes unitatem entis in ejus indivisione, seu dicunt unitatem esse illam affectionem entis, qua illud in se est indivisum. Ubi vero jam in memoriam revocamus essentias rerum esse absolute necessarias & immutabiles, patet indivisionem in essentia, involvere indivisionem absolute necessariam & immutabilem, seu quod idem est, indivisibilitatem, vel inseparabilitatem essentialium, atque adeo unitatis, quam dedimus, notionem veterum effatis apprime consentire. Haud ignoro *Lippium* in Metaph. Magna p. 211, aliosque, unitatem per affectionem entis, qua illud indivisibile per se est, definientes, non laudari ab aliis, qui formale unitatis non in divisibilitate, sed in indivisione collocandum esse censent, putantes actu ipso existere ens, quod partibus constat essentialibus, in quas dividi potest. Sed confundunt hi ens Metaphysicum, de cujus unitate quæritur, cum ente actuali, essentiam Metaphysicam cum Physica, non de hac, sed de illa essentialium prædicamus inseparabilitatem, neque vi hujus, sed illius habet ens suam absolutam unitatem.

§. 653.

Unitas entis, non negativum *Unitatis positivum quid,*

tiva natura. quid, sed positivum infert. Consistit unitas entis in inseparabilitate essentialium ejus (§. 652.), non ergo nisi arctissimam & absolute necessariam infert essentialium entis connexionem, quæ sane nullius realitatis dicit absentiam, sed hujus potius, quæ connexionis essentialium titulo venit, præsentiam. Nihil ergo infert negativi (§. 263.), sed positivi quid involvit (§. 261.).

Definitur quidem unitas per inseparabilitatem, vel, ut aliis placet, indivisionem; negativus tamen hic terminus neminem turbet, quum ratione significatus non negationem sed realitatem importet, separabilitati, quam negat oppositam: Quod sequenti præmisso theoremate clarius adhuc patebit.

§. 654.

Entis & unius reciprocatio. *Omne ens est unum & omne unum est ens* Habet omne ens essentiam sibi constanter competentem (§. 329.), & quidem unam non multiplicem (§. 333.), sunt vero entis essentialia absolute immutabilia (§. 610.), omnisque separabilitas mutabilitatem infert; sunt ergo eadem essentialia a se mutuo prorsus inseparabilia, habetque omne ens vi unius suæ essentiæ essentialium suarum inseparabilitatem, ideoque & unitatem (§. 652.), & per consequens unum est (§. cit.).

Viciſſim. Quodcunque est unum, illud habet

habet unitatem seu essentialium inseparabilitatem (§. 652.); quod gaudet essentialium inseparabilitate, omnium essentialium instructum est complexu, seu, quod idem est, ipsam possidet essentiam (§. 320.), sed quod essentiam habet ens est (§. 332.). Quodcunque ergo est unum, ens est.

Ob hanc reciprocam unius & entis indolem, unitatem inter entis Metaphysici attributa, quæ singula sunt propria (§. 361.) & cum ipso ente reciproca (§. 355.), referre non dubitamus. Est quidem unitas a parte rei nihil aliud, quam ipsum ens, inadæquate sumtum, sub ratione inseparabilitatis, jam a me traditæ, distingvitur tamen ab eodem, quemadmodum reliqua omnia ejus attributa (§. 453.) per formam, sibi propriam, quam in inseparabilitate essentialium collocavimus.

Turpiter hac doctrina abutuntur *Antitrinitarii*, & imprimis *sociniani*, ad absurdum inde deducere conantes Christianæ Religionis infallibile dogma de S. S. Trinitatis mysterio: Ita enim argumentantur: *Quodcunque est unum, illud simul trinum esse nequit, nam sic esset unum & simul non unum, quod impossibile. At Deus est unus, ergo trinus esse nequit.* Respondemus nos nunquam statuere Deum eodem respectu esse simul unum & trinum, quod omnino contradictorium foret, sed esse unum essentia & trinum in Personis, essentialiter non differentibus. Sic ergo limitata majori propositione, corruit conclusio. Laborat de cetero propositum argumentum vitio

quatuor terminorum: Adsunt namque 1:o) unum essentia. 2:do) Trinum essentia. 3:o) Deus. 4:o) Trinum Personis. Quid ergo miri, quod falsa inde inferatur conclusio & religioni inimica. Absit deinde putemus unitatem Metaphysicam, omni enti recte attributam, tollere Personarum in Deo trinitatem, quum potius ex illa, quia præter inseparabilitatem essentialium nihil infert aliud, sponte fluat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non inter se divisam, sed unam eandemque habere essentiam.

§. 655.

Unitas positiva est. Elucescit hinc, quod mox (§. 653.) aliunde demonstravi, *unitatem entis non esse negativum quid, sed positivum.* Est enim omne ens positivum, & omne positivum, ens est (§. 280.), sed omne ens est unum, & omne unum est ens (§. 654.). Ergo omne unum est positivum.

Quidam itaque ad positivam unitatis rationem attendentes, loco termini: *inseparabilitatis*, qui Grammatice negativus est, in definitione unitatis adhibent terminum positivum, quando dicunt unitatem esse complexum omnium eorum, quibus ens in suo esse constituitur. Quod etiam intendit Illustris *Wolfius*, dum in Elementis Arithm. definit unum per id, quod ita est aliquid, ut nihil præterea idem esse possit. In his unius & unitatis definitionibus, quæ nostris amicissime consentiunt, nihil ne quidem quoad terminos involvitur negativi & privativi, sed meram dicunt illæ, positivam, quam possidet unitas,

ra-

rationem. Potuimus ergo has assumere definitiones, immo & certo sensu debuimus, nisi nobis obstitisset Logicale præceptum de non innovandis terminis & definitionibus, ubi nihil realis vitii habent usitatæ & receptæ.

§. 656.

Ens omne est vel universale vel singulare (§. 541.), Est autem omne ens unum (§. 654.); Ergo tam universale quam singulare ens unum est. Hinc abstractum, *unitas*, duplicem quoque subit considerationem, alia nimirum est *universalis*, alia *singularis*. *Illa* competens enti universali, consistit in inseparabilitate, vel complexu eorum, quibus ens universale in suo esse constituitur. *Hæc* conveniens enti singulari absolvitur complexu eorum, quibus ens singulare determinatur. *Unitas universalis & singularis quid?*

Quod de immutabilitate essentialium in genere evicimus (§. 610), id de ente universali, quod essentiali plurium vel singularium, vel minus universalium identitate continetur (§. 544. 545.), locum quoque invenit: Nam si sua immutabilitate & inseparabilitate destituerentur essentialia, ad ens universale requisita, eidem mutabilitatis legi subjacerent essentialia entium singularium, quorum convenientia constituuntur universalia. Penitus ergo actum foret de absoluta essentialium immutabilitate, prius extra dubii aleam posita. Quod quum sit absurdum, enti universali sua relinquatur necesse est essen-

tialium immutabilitas, suaque hinc pendens unitas.

Neque hoc novum & inusitatum est, quod de unitate entium universalium & singularium statuimus, sed a veteribus quoque agnitum Philosophis, qui insuper considerantes ens univensale esse vel genus vel speciem, dixêre aliud esse unum genere, ut homo & brutum, qui sub notione animalis continentur, aliud unum specie, ut Petrus, Paulus, qui notione specifica hominis conveniunt. Unum singulare vocat Aristoteles unum omnino, unum numero, confer quæ antea observavimus ad §. 528. De cetero observes eos, qui distinguunt unitatem in *formalem* & *singularem*, illamque huic opponunt, re ipsa per formalem nihil intelligere aliud, quam quod nos universalem adpellavimus, & si quidam eorum distinguere velint inter universalem & formalem, quasi hæc naturæ rerum re ipsa competeret, illa vero naturæ universali, ab intellectu factæ, conveniret; quatenus tamen non admittimus aliquam naturam universalem ab intellectu fieri, nisi quæ ipsa involvat convenientiam rerum realem, aliudque præterea contineat nihil (§. 544. 545.), quatenus etiam per ens universale non intelligimus ipsam intellectus operationem, quæ utique ab objecto, seu, re repræsentata differt, sed rem ipsam repræsentatam; eatenus non video ullum distinctionis fundamentum inter unitatem universalem & formalem, sed utramque re ipsa coincidere existimo.

§. 657.

Entis per se, Distinguere solent Metaphysici

ci unum in unum per se & unum per accidens, quam distinctionem haud intelligere licet nisi præmissis notionibus entis per se & per accidens. *Ens per se* dicitur, in quantum non spectatur nisi secundum ea prædicata, quæ ex definitione seu essentia subjecti positi necessario eidem competunt. *Ens per accidens* adpellamus, quod consideramus secundum ea prædicata, quæ in subjecti positi definitione, vel essentia fundantur; sed accidentaliter ei conveniunt. Jam vero subjectum aliquod, aut absolute ponitur, & accidentali consideratione non affectum, aut relative prout cum hac vel illa accidentali determinatione copulatum spectatur. Pro varia igitur hac subjecti positione vel determinatione varia ejus exsurgit definitio & essentia, & hinc prædicata ejus, vel extra definitionem subjecto competunt, vel per & propter definitionem; i. e. pro varia subjecti determinatione, indeque pendente varia definitione, aliquid potest esse ens per se & ens per accidens.

& per accidens definitio.

Sic *homo rationalis* est ens per se, quia prædicatum facultatis ratiocinandi definitione & essentia hominis comprehenditur. *Homo doctus* est ens per accidens, quia doctrina homini per ejus essentiam & definitionem, quatenus homo est, non essentialiter sed accidentaliter competit, sed si subjectum *homo* hac determinatione simul af-

ficitur, quod sit doctus, & homo doctus definitur per illum, qui literas callet; tunc, quia literarum scientia definitione hujus subjecti, ita determinati, comprehenditur, idcirco idea hominis docti, literas callentis, sistit nobis entis per se notionem. Multæ quidem aliæ occurrunt entis per se & entis per accidens definitiones, allatis vero & a nobis assumtis meliores reperire potui nullas. Ratione unitatis, seu, quatenus unum est ens illud dividit Aristoteles L. V. Met. Cap. VII. in ens per se & ens per accidens, neutrum vero difinivit, exposuisse contentus, quot modis utrumque dicatur. Ens per se dispescit secundum decem sua prædicamenta, vel, ut ipse dicit, ens per se esse ea omnia, quæ prædicationis figuras significant. Ens per accidens duobus modis dici statuit, primum, cum subjectum & accidens conjunguntur, ut *homo musicus*, Deinde, cum duo accidentia copulantur, quæ eidem subjecto insunt, ut *ædificator rusticus*, si idem homo simul ædificator & rusticus est. Ipse ergo Aristoteles nullas tradidit definitiones entis per se & entis per accidens, sed modos solum recensuit; quibus utrumque ita dici existimavit. Hinc non levis inter asseclas ejus agitata est controversia, quid proprie ad ens per se, quid ad ens per accidens sit referendum. Putarunt quidem nonnulli *ens per se* ad ductum Aristotelis definiendum esse per id, quod in aliquo decem prædicamentorum collocatur; eoque ipso facile tolli omnem de Ente per se disceptationem. Sed frustra, quum sic explicaretur ignotum per æque ignotum. Disputant enim inter se non solum de numero, sed & na-

& natura prædicamentorum; ut admodum obscurum sit, quid hoc sensu foret ens per se. Hanc obscuritatem tollere conatur *Svarezius* disp. Met. IV. S. III. §. 6. dicens *Ens per se* esse, quod præcise ea importat, quæ ad essentiam, integritatem, sive complementum talis entis in suo genere per se & intrinsece requiruntur. *Ens per accidens* autem, quod importat aliquid, quod nec ad essentiam, nec ad integritatem, nec ad complementum talis entis in suo genere per se & intrinsece requiritur. Hæ definitiones Svarezianæ plerisque placent & a *Petro Musæo* in Instit. Metaph. Cap. XXIX. §. 7. & 8. qua singula explicantur momenta. Certum quidem est Svarezianas definitiones, accuratius pensitatas, nostris convenire, quum *præcise, per se*, & *intrinsece* ad ens positum requiri vel non requiri, nihil sit aliud, quam tantum considerari secundum ea prædicata, quæ ex definitione positi subjecti vel necessario vel accidentaliter ei competunt; certum, inquam, positæ tamen ut Svarezio ponuntur, & ad aliam clariorem non reductæ notionem, adhuc aliquid obscuri habent. Hinc ergo *Musæus* c. 1. §. 9. & 10. clarius suam expressurus mentem dicit ens per se esse, quod nullis aut certe iis partibus constat, quæ a natura primo & per se ad id ordinatæ sunt, ut ad tale ens constituendum uniantur. Ens per accidens vero, quod constat partibus discretis, aut unitis quidem, sed non a natura, aut saltem non per se, vel si per se, non primo ad hujusmodi unionem ordinatis. Meo autem judicio non sustulit Musæus difficultates in definitionibus Svarezianis occurentes, sed

auxit potius vocibus, vel idem cum definito significantibus, vel æque obscuris. Melius rem suam egisse videtur *Donatus* in Metaph. Usual. Cap II. §. 43. seqq. Qui ens per se esse dicit, quod est unius essentiæ, sive essentia illa sit simplex, sive composita, sive completa, sive incompleta, dummodo absit ab ea accidentalis compositio. Ens vero per accidens esse vocat, quod ex pluribus rebus accidentaliter est conflatum. Non est ut multis ostendamus amicissimum harum definitionum cum nostris consensum, claret enim Donatum aliud, quam quod nostris expositum est, dicere non voluisse.

§. 658.

Unum per se & per accidens, quid? Hisce jam præmissis breviter dico *unum per se* vocari, quod habet inseparabilitatem eorum, quibus ens per se constituitur; *unum* autem *per accidens* adpellari, quod habet inseparabilitatem eorum, quibus ens per accidens constituitur.

Quæ fuere in veteri Philosophia sententiarum divortia & obscuritatum semina in explicando ente per se & per accidens, perbrevi enarratione mox exhibita, eadem etiam occurrunt in definiendo uno per se & per accidens. Non ergo judicamus opus, illis enumeratis, hæc repetere, id solum observantes unum de quo in præsenti agimus capite, proprie loquendo, esse unum, quod veteribus dicitur, per se, & non nisi improprie unum per accidens sub se comprehendere, cujus ex *Aristotelis* L. V. Met. cap.

VI.

VI. duos memorant modos, α.) *Quando subjectum & accidens* dicuntur unum, ut homo musicus. β). *Quando duo accidentia unum* dicuntur, quæ eidem subjecto accidunt, ut musicum & justum esse, si simul Corisco accidant: *Improprie*, inquam, quia enim unum cum ente Metaphysico reciprocatur, ut adeo unitas in abstracto ejus constituat attributum proprium (§. 654.), cum accidentibus, ex quorum cum subjecto posito connexione pendent ens per accidens, & unum per accidens, neutiquam commiscendum. Quia etiam unitas, quam loquor, Metaphysica ex essentialium entis pendet absoluta necessitate & immutabilitate (§. cit.), accidentali conjunctioni prorsus deneganda (§. 616. 617.); jure me dixisse intelligo unum per accidens tanquam speciem sub uno Metaphysico non nisi valde improprie considerari posse.

Quamvis ergo putaverim non adeo magnæ utilitatis esse hanc distinctionem in unum per se & unum per accidens; quia tamen ex Calvinianis *Goclenius* P. I. Probl. Log. Probl. 40. *Alstedius* P. V. Theol. Polem. p. 346. & alii excitarunt quæstionem: *An Christus θεάνθρωπος sit unum per se, an vero per accidens?* non potuimus non dictam adferre distinctionem, ex qua, licet proposita quæstio longe altioris quam Philosophici sit indaginis, splendidissimo tamen revelationis lumine collustrati haud difficulter respondemus Christum θεάνθρωπον esse unum per se, non autem unum per accidens: Quia enim hoc subjectum: Christus θεάνθρωπος, definitur per illud, in quo caro λόγῳ personaliter unita

est, liquet utramque naturam vi definitionis, adeoque per se de hoc subjecto prædicari, & per consequens ipsum subjectum esse ens per se, non autem per accidens (§. 657.). Sed obvertunt citati auctores: *Quicquid alteri adiungitur & accidit, illud cum eo conjunctum facit unum per accidens: At humana Christi natura τῷ λόγῳ est adjuncta: Ergo.* Sed limitanda est major: Quicquid alteri extra definitionem ejus adjungitur & accidit, illud cum eo conjunctim facit ens per accidens (§. 657.). Hinc ergo de humana Christi natura, quia definitione τῦ θεανθρώπυ continetur, neganda est minor cum conclusione. Instant. *Quicquid perfectioni Divinæ refragatur, id non doceri fas est. Atque Deum facere cum re creata ens unum per se, haud consentit divinis perfectionibus. Ergo.* ℞ facere carnem cum λόγῳ ens unum per se essentialiter derogat perfectionibus Divinis, concedo, ubi vero, prout nos defendimus, caro cum λόγῳ constituitur unum per se personaliter, nihil perfectionibus Divinis defenditur inimici. Non ergo obstat quominus dicamus Christum esse unum per se personaliter.

§. 659.

Unicum quid? *Unicum* dicitur ens, qnod alia excludit entia ejusdem cum illo essentiæ, seu, ubi ens aliquod ita est comparatum, ut absolute impossibile sit aliud dari ens ejusdem cum illo essentiæ, tunc vocamus ens illud *unicum.*

Latiori sensu alii dicunt unicum esse quod excludit

cludit

cludit consortium aliorum similium, vel coëxistentium, vel se invicem succedentium. Hoc significatu præter Deum vocant Solem, Regem, Papam, unum esse; Quum tamen nec Sol nec Rex, nec Papa aliorum similium vel coëxistentium, vel se invicem excipientium penitus excludant consortium, potius in strictiori, quem expressimus, quem hoc latiori sensu unicum sumimus, suo ostensuri loco Ens Infinitum esse solum, quod unicum ratione entitatis suæ, statuere debemus.

§. 660.

Natura unici.

Quod unicum est ens illud non admittit alia ejusdem secum generis & speciei. Et quod non admittit alia ejusdem secum generis & speciei, illud est ens unicum. Quod enim ens admittit alia ejusdem secum speciei, illud est ejusdem cum aliis essentiæ (§. 547.). Sed quod unicum est ens illud non admittit alia ejusdem essentiæ (§. 659.); Excludit ergo consortium aliorum entium ejusdem secum speciei. Consequenter, quia genus absolvitur convenientia determinationum essentialium, quæ pluribus speciebus (§. 563.), & ideo pluribus individuis ejusdem speciei sunt communes (§. 547.); agnoscere nequit ens unicum alia ejusdem secum generis. Q.E.U. Vicissim, si quod non admittit alia ejusdem secum generis & speciei non esset ens unicum, non ergo excluderet illud alia ejusdem secum essentiæ (§. 659.), sed, vi oppositorum, admitte-

mitteret, cum quibus sub communi specie comprehenderetur (§. 547.). Consequenter, quia notio speciei completa, constat notione generis & differentia specifica (§. 576.); neque respuerit alia ejusdem secum generis. Sed repugnat hoc hypothesi. Quodcunque ergo ens admittere nequit alia ejusdem secum speciei & generis, id ens unicum est. Q. E. A.

Idem etiam directe ostenditur: Quod non admittit alia ejusdem secum speciei, illud respuit alia ejusdem secum essentiæ (§ 547.), sed quod excludit alia ejusdem secum essentiæ est ens unicum (§. 659.). Ergo, Idem ostenditur de genere.

Non negamus ens unicum in pluribus subsistere Personis, quod fide scripturæ sacræ certissimi credimus, sed contendimus modo ens, quod ratione suæ essentiæ unicum est, & Dei nomine veneramur, non habere Personas, quæ per modum individuorum essentiæ Divinæ, tanquam generi vel speciei substent: Essentia enim Divina, ut loquitur B. *Chemnitius* Cap. 1. de Pers. Christi, prædicatur de Patre, de Filio, & de Spiritu Sancto non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis, nec ut totum de partibus, sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo, Hypostases vero, seu, Personæ Trinitatis unum sunt, propter *ταυτοτητα* identitatem essentiæ, atque ideo non differunt essentialiter, nec separatim una extra aliam & sine alia subsistit: Pater enim in me & ego in Pa-

Patre inquit Filius; modo tamen subsistendi realiter differunt.

§. 661.

Quod unicum est, unum quoque est; sed non omne unum est unicum. *Unici & unius differentia.* Quod enim unicum dicimus, ens est (§.659.), sed omne ens est unum (§. 654.). omne igitur unicum est unum. Q. E. U.

Unum est vel singulare vel universale (§. 656.), sed multa dantur tum singularia, quæ alia admittunt ejusdem secum speciei (§. 547.), h. e. quæ sub eodem genere vel inferiori vel superiori comprehenduntur (§. 572.). Quod ergo unum est, non respuit alia ejusdem secum speciei & generis; quod autem unicum est, illud hoc omne consortium respuit (§. 660.). Non ergo omne unum est unicum. Q. E. A.

Sic Petrus unus est homo non tamen unicus, quum plura sint hominum individua, quibus unitas æque competit ac Petro. Huic ergo cum exclusione aliorum non attribuenda.

§. 662.

Si A, B, C, D, &c. dicuntur unum, quodlibet eorum agnoscitur unum, notione quadam fixa ad ipsum adplicata. *Modus agnoscendi unum.* A enim unum est, quatenus ea sunt inseparabilia, per quæ in genere entium determinatur (§. 652.). Agnituri igitur A ut unum, repræsentamus nobis illa esse inseparabilia, per quæ in illo entium genere determina-

na-

natur, h. e. notionem illius generis vel distinctam vel confusam habemus, quam ad ens illud A adplicamus. Idem eodem modo elucescit de B, & de quolibet reliquorum, quod unum dicitur.

Ponamus ex. gr. A esse hominem, agnoscimus ergo A ut unum, quatenus hominem intelligimus, dicentes A esse unum hominem. Hominem vero esse agnoscimus adplicando notionem hominis sive distinctam sive confusam ad ipsum A. Obscura notio huic non sufficit fini, quum objectum A, illa polita, non agnoscamus, prout in Logicis clarius edocetur.

§. 663.

Quando unum in genere intelligitur? *Unum ergo quando simpliciter dicimus*, h. e. sine ulla relatione ad hoc vel illud ens, *id unum esse supponitur vi notionis entis in genere.*

Obtinet hoc in Arithmeticis, ubi abstracte de uno agimus, nullum nominantes certæ speciei, vel certi generis. Cum dicimus ex. gr. senarium ex sex, Denarium ex decem constare unitatibus, unitatem neque multiplicare neque dividere, aliaque ejusmodi, supponitur unum vi notionis entis in genere. Intelligimus *Unitas Arithmetica.* hinc unitatem, quam alii vocant, *Aritbmeticam* unitati Transcendentali, seu, Metaphysicæ non esse contradistinctam, sed illam sub hac omnino comprehendi. Et profecto si Unitas illa Arithmetica non agnosceretur vi notionis entis in genere, competeret nonenti

enti & nihilo, unde quia unitas illa statuitur principium numeri, qui Arithmeticæ est objectum, numerus nihil esset, ipsaque disciplina jure vocaretur scientia nihili. Quod tamen absurdum esse omnes ultro largiuntur.

§. 664.

Ubi itaque ad entia attendimus prout in certas distribuuntur classes, genera & species, quæ per suas notiones inter se dignoscuntur: *Eædem* sunt *Unitates*, quæ per eandem notionem agnoscuntur; *Diversæ* vero, quæ per diversas dignoscuntur notiones (§. 662.). *Unitates Eædem & diversæ.*

Sic si A denotat globum, B, C, D, etiam, sunt A, B, C. D, eædem unitates. Ubi autem A significat globum, B hominem, C nummum, D libram, quælibet harum unitatum per sibi propriam notionem agnoscitur. Sunt ergo hoc casu A, B, C, D, diversæ unitates.

§. 665.

Si A est unum, B unum, C unum, nec tamen A, B, & C. idem sunt, erunt A, B, C, simul, *Multa*. *Multa quid?*

Ex. gr. hic homo est unus, ille est unus, iste est unus, hic ergo ille & iste simul sunt plures, seu multi homines. Apparet itaque multitudinem indeterminate exprimere quoties unum ponatur, ut adeo multitudo etiam sit, ubi unum vel bis ponitur. Quod non novum est, sed ab *Euclidis* tempore usurpatum, qui numerum per unitatum multitudinem definiens, etiam binario pluralitatem attribuit. Uni

Uni opponit *Aristoteles* multum, & unitati multitudinem L. X. Metaph. Cap V. Hinc Aristotelici unitatem in indivisione collocantes, *Multum* esse dicunt, quod actu divisum est. Putant ergo ad multitudinem constituendam requiri unitates, quarum quælibet ab altera divisa & separata est, cum aliqua tamen unione, h. e. unitates istas eatenus constituere multitudinem, quatenus simul spectantur. Re igitur ipsa coincidit multitudinis notio, quam tradunt Aristotelici, cum illa, quam ex *Wolfii* Ont. §. 331. nos exhibuimus.

Est hæc multi ratio, qua uni opponitur, receptissima, usuque scripturæ sacræ comprobata. Rom. V. 19. 1. Cor. VIII. 5. 6. Luc. IV. 25. Etsi non diffitear, multum nonnunquam opponi pauco, Matth. IX. 37. Messis est multa, operarii vero sunt pauci. Sed dantur in multitudine varii gradus, ut adeo non mirum sit majorem opponi minori, retenta tamen nihilo secius eadem notione multitudinis generali, quam hoc exhibere voluimus loco.

§. 666.

Numeri definitio. Unitates istæ, quibus multitudo constituitur (§. 665.), si eædem sunt, nulloque communi termino copulantur, *Numerum* vel *Quantitatem discretam* efficiunt. Si vero communi copulantur termino, quantitatem constituunt continuam, de qua suo loco in sequentibus. Est itaque *Numerus* multitudo, vel, si placet collectio unitatum earundem.

Reti-

Retinemus heic usitatam, quantitatis discretæ, seu, numeri definitionem, quam nobis cum *Aristotele* L. X. Metaph. cap. I. exhibuit *Euclides* El. VII. d. 2. non expresse quidem addit Euclides unitates debere esse easdem, quarum multitudine numerus constituetur, sed facile hoc subintelligendum patet ex axiom. V. El. VII. ubi statuit unitatem metiri omnem numerum per unitates, quæ in ipso sunt; Nulla autem mensura locum habet nisi inter quantitates ejusdem notionis. Debent ergo unitates, ex quibus componitur numerus, eædem esse. Idem etiam confirmat usus numerandi receptus; Si enim una unitas designat hominem, altera bovem, tertia canem, numerum ternarium inde conficere non valemus, nam neque tres sunt homines, neque tres boves, neque tres canes. Videmus itaque numero certum non competere sensum, nisi unitates fuerint eædem, ut unam alteri substituere liceat.

§. 667.

Numeri determinati & indeterminati definitiones.

Numerus Determinatus est, qui refertur ad unitatem datam. *Indeterminatus* vero, qui refertur ad unitatem vagam, pro qua assumi potest quodcunque visum fuerit.

Ex. gr. Numerns ternarius determinatus est, quia supponitur in illo unitas determinata, ad quam refertur, & quæ ter repetita illum adæquat. Sic etiam. 4. 5. 6. ceteri sunt numeri determinati, quia in his indicatur quoties unitas repetenda illos constituit. Indeterminatus vero est

numerus, quem exprimere ſolent Mathematici literis alphabeti. Sic quando jubent radicem quadraticam extrahendam eſſe ex numero quovis $a^2 + 2ab + b^2$ non certum aliquem intelligunt numerum, ſed indeterminate & vage quemvis, ſive fuerit 240, ſive 625, ſive alius quivis. Notetur de cetero numerum, quem determinatum adpellavi, hactenus indeterminate ſumi, quatenus in abſtracto ſpectantur unitates, quæ illum ingrediuntur, h. e. quatenus ſolum ſub notione entis in genere cogitantur, non vero ſub hac vel illa notione, huic vel illi ſpeciei propria. Sic dum abſtracte dico numerum ternarium, nulla relatione facta ad certam & determinatam unitatis ſpeciem, numerum ternarium, qui determinatus eſt, *indeterminate ſumo*; quando vero numerum hunc adplico v. gr. ad homines, dicens tres eſſe homines, *determinate ſumo* eundem numerum determinatum.

§. 668.

Numerorum materia & forma. Quæ modo ſunt dicta (§. præc.) multum faciunt ad illuſtrandam diſtinctionem, veteribus uſitatam Philoſophis, qua numerum vel ratione *Materiæ* vel ratione *formæ* conſiderarunt. Per *materiam* numeri intellexêre, quæ ſunt uni & alteri numero communia, ſeu, ipſa numerabilia, ut nummos. *Formam* vero numeri eſſe voluerunt, quod cuilibet numero proprium eſt, ideam ſcilicet cuilibet determinato numero propriam, qua plura facta eorundem

dem comparatione, in unam rediguntur summam, ut, decem, sex, septem, &c. Forma ergo numeri illis idem est ac nobis numerus determinatus, sive determinate, sive indeterminate acceptus. Materia autem numeri non ideo coincidit cum numero indeterminato, qui ad vagam refertur unitatem (§. præc.), sed cum objectis numerandis idem potius est.

Inserviunt hæc variis decidendis quæstionibus, que in veteri præsertim Philosophia identidem agitari solent. Quæritur 1:o) *an numerus aliquid rebus numeratis sit additum?* Facilis est responsio. Materia numeri rebus nihil addit, quum illa denotet nonnisi rem ipsam numerandam, quæ nihil addit sibi ipsa. Neque forma numeri est aliquod rebus additum. Idea enim numeri qualis est ejus forma, est cogitantis non rei cogitatæ quidam modus, extrinsecus ergo quoad res numerandas: Nam a numerante, non vero a rebus numeratis dependet, si loco centenarii numeri dicas, bis quinquaginta, sive quater viginti quinque, sive qvinquies viginti, sive aliter. Si homines loco decadicæ numerandi rationis uterentur dyadica, alia prodiret numerorum forma rebus ipsis non mutatis. Nihil ergo addit forma rebus numeratis. 2:o) *An aliqua numero competat efficacia?* Resp. Numero, ratione materiæ spectato, efficacia competit, modo res numerandæ non fuerint mere passivæ, sed aliquo saltim modo activæ: Ubi enim cuilibet rei numeratæ sua competit efficacia, rebus multi-

plicatis, quarum cuilibet homogenea convenit virtus, non poteſt non in compoſitione major inde reſultare agendi vis, juxta tritum illud: *funiculus triplex difficile rumpitur*. Unde Poëta: *Nos numeri ſumus, & fruges conſumere nati*. Sic plura ligna incenſa plus calefaciunt, quam pauca. Numero itaque, ratione materiæ ſpectato, ſua convenit efficacia, quæ eidem, ratione formæ conſiderato, omnino eſt deneganda: Quid enim effectis producendis vel alterandis tua vel prodeſſe, vel obeſſe poteſt idea? Quid denominatio aliqua extrinſeca, res ipſas non afficiens? nihil certe. Formæ ergo numeri, cui hæc & non alia competit indoles, nulla extra intelligentem quidpiam agendi attribui poteſt virtus. Erroris hinc convincitur indocta plebecula, quæ numero vel ternario, vel ſeptenario, vel etiam novenario peculiarem quandam ineſſe medendi efficaciam ſuperſtitioſe arbitratur.

§. 669.

Numerus Numerans & numerus numeratus quid?

Intelligitur ex dictis (§. præc.) diviſionem numeri, in Numerum Numerantem, & Numeratum, ortam eſſe ex conſideratione numeri ratione materiæ & formæ. Eſt enim *Numerus Numerans*, ut antea (§. 550.) obſervavi, multitudo entium in genere, ſeu, in abſtracto, vel, quo utitur intellectus ad res in genere numerandas. *Numerus* autem *Numeratus*, ſeu, rebus exiſtentibus concretus, eſt multitudo entium actu exiſtentium.

Sic

Sic numerus binarius, ternarius, quaternarius, &c. est numerans: Horum enim quolibet fit relatio non nisi ad unitatem in genere, non autem ad hanc vel illam in specie, in individuis existentem. Ternarius vero hominum numerus est numerus numeratus, qui non ad unitatem vagam, sed hanc certam, quæ homini convenit, refertur.

§. 670.

Natura horum numerorum clarius exprimitur.

Est ergo Numerus numerans, numerus determinatus, indeterminate sumtus; Numerus autem numeratus est numerus determinatus determinate acceptus (§. 667.).

Patet hinc neque novum esse quod in recentiori Philosophia de numero determinato, determinate vel indeterminate accepto traditur; sed idem re ipsa esse cum numero numerante & numerato scholasticorum, aptioribus fortassis expressum vocabulis: Patet etiam vel ex hoc unico exemplo neque promiscue rejicienda esse Scholasticorum effata, sed multa eorum, ad distinctas, uti decet, reducta notiones, eximium sui nobis polliceri usum.

§. 671.

Quantitas est numerus indeterminatus.

Ex iis, quæ de numero determinato et indeterminato breviter jam exposuimus, colligitur facile *quantitates numerorum indeterminatorum instar recte considerari.* Est enim numerus in-

 de-

determinatus, qui refertur ad unitatem vagam, pro qua assumi potest quodcunque visum fuerit (§. 667.). Absque ergo assumta unitate intelligi nequit numerus indeterminatus, licet nulla adhuc, ut certa, quatenus indeterminatus est numerus, assumatur. Quantitas vero omnis determinatione rei intrinseca constituitur, quæ tantum dari, sed sine alio assumto intelligi nequit (§. 459.). Hoc assumtum licet unitatis loco recte habeatur, ut quivis vel me non monente intelligit; nondum tamen in posita generali ista quantitatis notione determinatur, quod præcise sit illud assumtum, & quæ unitas, quum per notionem quantitatis in genere possit esse quæcunque. Quantitates ergo, ut numeri indeterminati recte considerantur.

Ex illa quantitatis indole, qua quælibet data distincte intelligitur data ejus ratione ad aliam quamcunque in numeris sive rationalibus, sive irrationalibus; qua etiam loco unius unitatis assumtæ possit assumi alia, eandem, quam modo evici rem recte intulit Illustris *Wolfius* §. 423. Ontol. Quia vero isthæc argumentandi via, majorem, quam in Metaphysicis desideratur, poscit Matheseos cognitionem, minimum, si plenius explicanda sumitur; ab illa abstinuimus, contenti quod idem ex notionibus numeri indeterminati & quantitatis assequi valeamus. Ceterum ex veritate hujus propositionis est, quod quantitates in

in Mathesi non alio sensu, quam ut numeri indeterminati spectentur, literisque adeo alphabeti in Algebraicis designentur, &c, ubi determinantur, perinde ac hi per numeros sive rationales sive irrationales explicentur.

§. 672.

Uunm, qnod idem est cnm multis, *Totum* dicitur. Multa autem ista, quæ simul sumta, idem sunt cum uno, *Partes* ejus vocantur, & unumquodque eorum *Partis* venit nomine. *Totum & pars quid?*

Manus Ex. gr. pedes, truncus, caput, sunt multa, quæ idem sunt cum corpore humano, cui unum quid esse attribuere solemus. Sermo heic est de toto, partibus contradistincto, non autem de eo, quatenus mutilo opponitur, quo sensu idem est, ac quod omnes partes, adesse debitas, habet. Aliis distinctionis gratia vocari hoc solet totum integrum.

De cetero voces totius & partium multæ subjacent æquivocationi 1:o) *Totum non opponitur partibus, sed imperfecto*, denotatque id, quod essentiam suam sine partibus habet. Hoc sensu dixit *Aristoteles* L. 3. Phys. Cap. VI. 4.64. *Totum & perfectum aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent*. Ita Deus dicitur ὅλως ὅλον τι aliquid totaliter totum; prædicaturque de eo, quod sit totus in qualibet parte hujus mundi, ac totus etiam extra mundum. Sub hoc toto comprehendere quoque solent angelos & animam rationalem. 2:o) *Totum pro eo accipitur,* *Variæ acceptiones totius & partium.*

quod variis constat potentiis, etsi non realiter, formaliter tamen inter se distinctis. Vocatur hoc totum *Potestativum*, quale est anima rationalis, variis prædita facultatibus. 3:o.) *Totum sumitur pro universali* genere vel specie, quatenus sub illo plures species, & sub hac plura individua comprehenduntur. Vocatur autem hoc *totum universale.* 4:o) *Significat id omne*, cujus conceptus componitur conceptu proprio & communi. Vocant hoc nonnulli cum *Scaligero*. L. I. Poët. c. IX. *Totum essentiale logicum*, vel *Metaphysicum*. Cujusmodi totum est notio speciei completa, constans notione generis proximi & differentia specifica (§. 576.).

In omnibus autem his totius acceptionibus, quibus analogice respondent acceptiones partium, non cosideratur totum, ut pluribus realiter & inter se & a toto, sed formaliter tantum distinctis. His ergo significatibus totum nonnisi improprie sumi observant veterum Metaphysicorum accuratiores, nobiscum postulantes totum aliquod proprie loquendo dici non debere, nisi in oppositione ad partes, unum quid constituentes, realiterque & inter se & a toto distinctas. Hoc sensu dicunt aliud esse *totum essentiale*, *Physicum* scilicet, quod materia & forma, tanquam partibus Physicis constat. Aliud *Totum integrale*, quod est corpus aliis corporibus tanquam partibus constans. Ad illud referre solent hominem, quatenus anima rationali, tanquam forma, & corpore organico, tanquam materia constat. Ad hoc vero numerant quodvis corpus physicum, sive animatum, sive inanimatum. Totum hoc integrale dispescunt i-

terum in similare, sive *homogeneum*, & dissimilare, *sive heterogeneum*. Illud dicunt, quod constat partibus ejusdem naturæ cum toto. Quale ex. gr. aqua creditur, cujus quælibet guttula ejusdem naturæ est cum tota aqua. Hoc vocant, quod partibus constituitur diversæ cum toto naturæ. Cujusmodi esse volunt hominem, canem, leonem, arbores cum reliquis corporibus viventibus.

§. 673.

Partium & totius substitutio. Quia eadem sibi mutuo substitui possunt, salvis prædicatis utrobique deprehensis (§. 389.), ***partes omnes, simul sumtæ, toti. & totum partibus omnibus simul sumtis substitui potest, salvo omni prædicato, quod vel toti, vel partibus simul sumtis tribuitur*** (§. 672.).

V. gr. Sedecim unciæ, simul sumtæ, sunt partes unius libræ, perinde ergo est sive in lance A ponas libram, & in τῷ B sedecim uncias, sive in B libram & in A uncias. Salvum enim utrobique manet æquilibrium.

§. 674.

Totius ad partes simul sumtas relatio. ***Posito toto, ponuntur omnes ejus partes, & positis omnibus partibus totius, simul sumtis, ponitur totum.*** Quoniam enim totum definivimus per unum, quod idem est cum omnibus partibus simul sumtis, & partes simul sumtæ per id definiuntur, quod idem est cum toto (§. 672.); quia etiam ex Logicis constat

definitionem cum suo definito reciprocari; posito toto ponuntur omnes ejus partes, & positis partibus simul sumtis, ponitur ipsum totum (§. 354.).

Apud plerosque veterum celebrantur hæ regulæ ex notionibus totius & partium adeo clare profluentes ut inter notiones communes & cuivis obvias locum teneant, tueanturque certissimum.

§. 675.

Pars partis est pars totius. *Quod continetur in parte, etiam in toto deprehenditur, sive, pars partis est etiam pars totius.* Sit totum aliquod A, cujus partes sint b, c, d; habeat vero b partes e, f, dico has partes etiam in toto A contineri. Quia enim e & f sunt partes, quæ simul sumtæ constituunt b, tanquam totum (per hypoth.); partes e & f substitui possunt in locum ipsius b (§. 673.). Facta ergo substitutione e, f, c, d, simul constituunt totum A, seu, quod idem est, particulæ e & f una cum partibus C & D, continentur in toto A.

Observant Physici partes pulveris pyrii esse nitrum, sulphur, & carbones, nitrum vero constare sale alkalino fixo & acido singulari. Recte ergo affirmant salem alkalinum fixum & acidum illud singulare simul contineri in pulvere pyrio.

§. 676.

§. 676.

Quod ergo non est pars partis, vel pars totius, illud non continetur in toto. *Quæ in toto non continentur.*

Sic plumbum v. gr. non est pars pulveris pyrii, neque est pars ullius ejus partis, ergo in pulvere pyrio non continetur plumbum. Consectarium hocce, legitime determinatum expressimus, rejectis indeterminatis veterum formulis, quibus dicere solent: *Quod non est partis alicujus, id toti tribui nequit*, vel ita: *Quod nulli parti convenit, toti attribui nequit*, vel etiam ita: *Nihil affirmatur de toto, quod non conveniat ejus partibus.* Rejectis, inquam, nam in illis non determinatur an sermo sit vel de parte, quæ aut partem aut totum ingreditur, vel etiam de quovis alio prædicato partis & totius. Ultimum si intelligitur, fallaces sunt & sua universalitate destituuntur veterum regulæ, quum multa possint de toto prædicari ob partium conjunctionem, qnæ de partibus separatis dici nequeunt. Sic ridicule sane negas ideo de toto homine, quod anima rationali & corpore organico constat, affirmari prædicatum, quod neque animæ, neque corpori, separatim spectatis convenit. Nemo Physicis edoctus observationibus ignorat quam vehementem & magnum fragorem edat *nitrum fulminans*, dum in cochleari ferreo, vel argenteo, exigua licet ejus portio, igni superimposita, liquescit. Præparatur hoc nitrum fulminans ex tribus partibus nitri, duabus salis tartari, & una sulphyris, sigillatim in pulverem subtilissimum contritis, dein accuratissime inter se

ſe commixtis. Sed neque nitrum, neque ſal tartari, neque ſulphur, ſigillatim ſi ad ignem examinantur, tam enormen edunt effectum, quem tamen edit nitrum, ex his compoſitum, & fulminantis titulo inſignitum. Huic nitro proxime accedit *aurum fulminans*, quod præparatur ex aliquot granis auri, in 4. 6. vel 8 partibus aquæ regiæ ſolutis. Facta ſolutione diluatur hæc tinctura aqua ſimplici, poſteaque oleo tartari per deliquium præcipitetur, & tandem pulvis in modico calore exſiccetur. Hic pulvis in cochleari ferreo, vel argenteo ſupra prunas, vel flammam candelæ poſitus, maximo cum fragore accenditur, monetamque ſuperimpoſitam, ſurſum projiciens, &, ut plurimum, deaurans. Hic autem effectus neutri hujus pulveris parti componenti tribuitur, licet de toto recte prædicetur. Mixtura ex ſpiritu nitri Geoffroy & oleo carvi terribilem efficit exploſionem & flammam, etiam cum adſtantium, ſi cautiores non ſunt, damno. Partes autem hujus mixturæ, ſeorſim examinatæ, ſimilem non edunt effectum. Alia, quæ magna ubertate ſubminiſtrat Phyſica, ſciens prætereo, certum quippe eſt multa dici & affirmari de toto, quæ partibus non conveniunt. Hinc alii cum *Stratemanno* in ſyſtem. Log. p. 1412. Canonis loco hanc habent propoſitionem, indeterminatis illis, quas confutavimus, formulis oppoſitam: *Non omne quod prædicatur de toto, prædicatur de ejus partibus.* Alii vero retinent quidem formulam: *quod non eſt partis alicujus, id toti tribui nequit.* Sed juxta monent valere eam de toto & parte materialiter acceptis, non autem de quovis totius,

for-

formaliter ſpectati, prædicato. Ubi vero pars & totum, materialiter, uti ajunt, accipiuntur, non alium formant ſenſum, quam quem initio hujus §:phi expreſſimus, ſcil. *Quod non eſt pars partis vel pars totius, illud in toto non continetur.* Rectius ergo hoc noſtro utimur canone, legitime ſic determinato, quam indeterminatis plerorumque veterum formulis.

§. 677.

Majus & minus quid?

Majus eſt, cujus pars alteri toti eſt æqualis. *Minus* vero, quod parti alterius eſt æquale.

Ex. gr. Major eſt linea A ——E—— B, linea D ——— F, ſi lineæ AB pars AE eſt æqualis toti DF, quæ etiam ideo minor eſt linea priori AB. Id in numeris quoque uſu venit, ubi dicimus numerum v. gr. Denarium majorem eſſe ſenario, quia ſi denarius reſolvitur in partes: *ſex* & *quatuor*, quæ ſimul ſumtæ faciunt denarium; pars ejus una æqualis eſt toti ſenario.

Patet itaque ideas majoris & minoris relativas ſemper eſſe, neque nos unquam dicere aliquod eſſe majus vel minus, niſi in comparatione ad aliud ejusdem generis, ſeu, ejusdem notionis: Nam ſi quædam ſub diverſa conſiderantur notione; earum unum neque majus, neque minus dici poteſt altero. Sic lineam, ſive rectam, ſive curvam, quà talem, neque majorem, neque minorem adpellare licet ſuperficie, quem ad modum neque hanc ſolido vel majorem vel minorem vocare convenit. Ubi vero lineam referimus ad lineam, ſuperficiem ad ſuperficiem, ſolidum

lidum ad solidum, quia tunc sub eadem notione considerantur quantitates, inter se relatæ, prædicationes majoris & minoris de illis habere locum nemo non intelligit.

§. 678.

Majus & minus quantitatis sunt, non qualitatis.

Perspicue hinc colligimus, majus & minus de duobus pluribusve entibus dici, ratione quantitatis eorum, non vero qualitatis. Majus enim est, cujus pars est æqualis alteri toti (§. 677.), & proinde cujus partis quantitas eadem est cum quantitate alterius totius (§. 521.). Eodem modo minus est, quod totum parti alterius est æquale (§. 677.), ideoque quod quantitatem habet eandem cum quantitate partis alterius (§. 521). Majus ergo & minus de duobus pluribusve prædicatur entibus, ratione quantitatis eorum. Q. E. U.

Unum neque majus neque minus altero dici potest, nisi quatenus quà æqualitatem totius unius & partis alterius, vicissimque, inter se mutuo referuntur (§. 677.), & per consequens nisi quà quantitatis identitatem totius unius & Partis alterius inter se comparantur (§. 521.). Majus ergo & minus solum ratione quantitatis dicitur. Sed quantitas nequit cum qualitate coincidere (§. 460. 461.). Majus itaque & minus dici nequit ratione qualitatis. Taceo unum idemque se ipso neque majus neque minus dici posse, illam ergo sine alio assum-

assumto non intelligi prædicationem, eamque idcirco non qualitatis, sed quantitatis esse consectarium (§. 459.). Q. E. A.

Facit quidem loquendi inconstantia ut majus & minus nonnunquam de qualitate prædicetur. Sic attribuêre solent Titio. v. gr. majorem præ Sempronio intelligendi dispositionem, majorem demonstrandi habitum, aliaque ejusmodi. Sed sciendum est, siquidem accurate loqui placet, non qualitati, sed diverso qualitatis gradui, qui quantitas est (§. 486.), majus & minus attribui.

§. 679.

Quantitates homogeneæ sunt, quarum una aliquoties sumta, alteram superare valet. Seu, quarum una ab altera vel semel, vel aliquoties ablata tandem vel nihil, vel se minus relinquit. *Heterogeneæ* vero sunt, quarum una aliquoties sumta, alteram superare nequit. *Quantitas Homogenea & heterogenea definitur.*

Er. gr. Omnis linea recta alteri rectæ homogenea est, sunt enim vel æquales, vel inæquales. Si inæquales, tunc sumta aliquoties minor, majorem vel æquat, vel superat; si æquat, semel iterum repetita superat; si æquales, tunc una bis sumta alteram superat. Eodem modo homogeneæ sunt quantitates superficierum, inter se relatæ, pariterque solidorum inter se comparatæ. Linea autem & superficies heterogeneæ sunt, nam quotiescunque sumitur linea, inde tamen confici nequit superficies, multo minus illa aliquoties repetita hanc superare valet. Eodem ratiocinio hetero-

terogeneæ ſunt quantitates ſuperficierum & ſolidorum, inter ſe comparatæ.

Homogeneum & heterogeneum in genere definiuntur. Retineo heic definitiones quantitatis homogeneæ & heterogeneæ, Mathematicis uſitatas, alioquin *Homogeneum* vi vocis nihil denotat aliud, quam quod ejusdem eſt generis, ſeu naturæ, notionisve. *Heterogeneum* autem quod diverſi eſt generis, ſeu, diverſæ naturæ, notionisve. Sic auri puri maſſa homogenea cenſetur, ſi omnes ejus particulæ ejusdem ſunt generis. Maſſa autem ex auro & agento, inter ſe mixtis compoſita, heterogenea eſt, quia particulæ auri differunt ſpecie a particulis argenti maſſæ iſtius. Neque vulgares hæ notiones notionibus, quas adprobavimus, Mathematicorum repugnant, ſed amiciſſime potius conſentiunt: Quorum enim unum, aliquoties ſumtum, alterum ſuperare valet, illa, ut de eadem natura & notione participent, neceſſe eſt, quam non tenent eandem quantitates; quæ ſe mutuo ſuperare nequeunt, quum earum una contineri non poſſit in altera.

Plerisque Peripateticorum, vulgari, quam mordicus tuentur, caloris definitione occupatis, homogenea dicuntur, quæ ſimilem habent complexionem & qualitatem, ut in unam converti poſſint naturam & maſſam, quamvis nominibus & ſpeciebus alias differant. Heterogenea vero, quæ diſſimilis ſunt complexionis & qualitatis, ita ut in unam naturam & maſſam converti non poſſint. Hoc modo illis homogenea ſunt argentum, ſtannum & plumbum, quia ſimiliter ſunt liquabilia, & in unam, vi caloris, redigi poſ-

ſunt

sunt massam. Ita cibi quoque dissimillimi homogenei dicuntur, si in unam chyli naturam a ventriculi calore mutantur. Humidi vero & sicci partes excrementitiæ, eisdem dicuntur heterogenæ, quia a reliqua materia per calorem separantur. Sed ab hac Peripateticorum explicatione merito recedimus, rei veritati usuique recepto congruas homogenei & heterogenei retinentes definitiones.

§. 680.

Pars aliquota est, quæ aliquoties repetita toti fit æqualis. *Pars aliquanta* vero, quæ aliquoties repetita vel major fit toto, vel eodem minor est, seu, quæ aliquoties repetita, æqualis fieri nequit toti.

Partis aliquotæ & aliquantæ definitio.

Ex. gr. Numerus 4 cum numeris 8. 12. 16. 20. &c. collatus, est horum pars aliquota, nam bis repetitus octenarium, ter duodenarium, quater denarium & sextum, constituit. Numerus autem quinarius, cum numeris 8 vel 12 collatus, est eorum pars aliquanta, nam bis repetitus superat octenarium, & deficit a duodenario, ter autem repetitus duodenarium excedit. *Euclides* partem aliquotam vocat in singulari numero *partem*, partem autem aliquantam adpellat in plurali numero *partes*. Putat scilicet Euclides id, quod partes dicitur, esse multiplum alicujus partis. Sic quinque non est pars, sed partes Octenarii, quia continet quinque partes, scilicet aliquotas, octenarii, quarum quælibet unitati est æqualis, & quæ octies repetita octenarium æquat. Hanc Euclidis adpellationem, non

 satis

ſatis commodam, immutarunt Mathematici cum *Clavio*, *Poletario* & aliis, qui ante ipſos vixerunt, quam adprobavimus, Euclideæ, ubi opus ipſis fuit, ſubſtituentes.

§. 681.

Partium cum toto homogeneitas. Facillimo hinc deducimus negotio *partes tum aliquotas*, *tum aliquantas, ſuis totis debere eſſe homogeneas*. Pars enim totius aliquota, aliquoties v. gr. bis repetita toti fit æqualis (§. 680.). Ergo ter ſumta totum ſuperat, & per conſequens toti ſuo homogenea eſt (§. 679.). Pars vero aliquanta, aliquoties repetita, totum ſuum excedere valet (§. 680.). Ergo & illa toti eſt homogenea (§. 679.).

§. 682.

Pars actualis & poſſibilis quid? Partes, quæ toti ſimul ineſſe poſſunt, *Actuales* adpellantur. Quæ vero enti ineſſe poſſunt, ſed non ſimul *Poſſibiles* dicuntur.

Ex. gr. Numeri 2. 3. 4. 5. 6. ſinguli ſunt partes numeri duodenarii, eidem tamen ſimul ineſſe nequeunt, quia ſimul ſumti conſtituunt ſummam, duodenario majorem. Sunt ergo nonniſi poſſibiles partes numeri duodenarii. Numeri vero 3. 4. 5. ſunt partes numeri duodenarii actuales, quia ſimul ſumti æquant duodenarium. Videtur quidem hæc diviſio in partes actuales & poſſibiles originem traxiſſe ex effato *Ariſtotelis* L. VIII Phyſ. *In continuo quidem ſunt infinita dimi-*

midia, non actu, sed potestate. Ab Illustri *Wolfio* tamen & sequacibus adhiberi solet hæc divisio ad negandam extensi & materiæ divisibilitatem in infinitum. Fortissimis scilicet Mathematicorum argumentis convicti negare non sustinent extensum in genere dividi posse in partes, numero infinitas, h. e. in tot dividi posse partes, quot nullo determinato & assignabili numero exprimi unquam possunt: Negant vero valere illud de extenso materiali & existenti, quasi extensum, quod considerat Geometria in abstracto imaginarium foret, constans partibus possibilibus, non autem actualibus, quibus quodvis extensum materiale gaudere debet, putantes, si ita res non esset comparata, difficultatem orituram esse vix extricabilem. Hanc vero ita proponere conantur: *Sit numerus duodenarius, nemo negabit*, ajunt, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11. *id est, omnes numeros minores duodenario esse ejus partes, sed non nisi possibiles, minime autem actuales, quarum quædam tantum, non autem omnes simul totum conficere possunt. Si partes possibiles cum actualibus confunderentur, subverteretur axioma verissimum: totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis, istudque porro sequeretur absurdi, quod* 12 *esset æquale* 66. *Ubi vero observatur omnes numeros, antea expressos, esse tantum possibiles numeri duodenarii partes, quarum quædam tantum ex. gr.* 11+1. 9+3. 10+2. *&c. toti æquales esse possunt. non autem singulæ simul. Et quia in extenso Geometrico, quod omne imaginarium est, eadem est partium natura, quarum scilicet termini pro arbitrio constitui possunt, nulli tamen adhuc constituti sunt, universaliter concludunt ex demonstrationibus*

ſe commixtis. Sed neque nitrum, neque ſal tartari, neque ſulphur, ſigillatim ſi ad ignem examinantur, tam enormen edunt effectum, quem tamen edit nitrum, ex his compoſitum, & fulminantis titulo inſignitum. Huic nitro proxime accedit *aurum fulminans*, quod præparatur ex aliquot granis auri, in 4. 6. vel 8 partibus aquæ regiæ ſolutis. Facta ſolutione diluatur hæc tinctura aqua ſimplici, poſteaque oleo tartari per deliquium præcipitetur, & tandem pulvis in modico calore exſiccetur. Hic pulvis in cochleari ferreo, vel argenteo ſupra prunas, vel flammam candelæ poſitus, maximo cum fragore accenditur, monetamque ſuperimpoſitam, ſurſum projiciens, &, ut plurimum, deaurans. Hic autem effectus neutri hujus pulveris parti componenti tribuitur, licet de toto recte prædicetur. Mixtura ex ſpiritu nitri Geoffroy & oleo carvi terribilem efficit exploſionem & flammam, etiam cum adſtantium, ſi cautiores non ſunt, damno. Partes autem hujus mixturæ, ſeorſim examinatæ, ſimilem non edunt effectum. Alia, quæ magna ubertate ſubminiſtrat Phyſica, ſciens prætereo, certum quippe eſt multa dici & affirmari de toto, quæ partibus non conveniunt. Hinc alii cum *Stratemanno* in ſyſtem. Log. p. 1412. Canonis loco hanc habent propoſitionem, indeterminatis illis, quas confutavimus, formulis oppoſitam: *Non omne quod prædicatur de toto, prædicatur de ejus partibus.* Alii vero retinent quidem formulam; *quod non eſt partis alicujus, id toti tribui nequit.* Sed juxta monent valere eam de toto & parte materialiter acceptis, non autem de quovis totius, for-

formaliter spectati, prædicato. Ubi vero pars & totum, materialiter, uti ajunt, accipiuntur, non alium formant sensum, quam quem initio hujus §:phi expressimus, scil. *Quod non est pars partis vel pars totius, illud in toto non continetur.* Rectius ergo hoc nostro utimur canone, legitime sic determinato, quam indeterminatis plerorumque veterum formulis.

§. 677.

Majus & minus quid?

Majus est, cujus pars alteri toti est æqualis. *Minus* vero, quod parti alterius est æquale.

Ex. gr. Major est linea A ——E—— B, linea D ——— F, si lineæ AB pars AE est æqualis toti DF, quæ etiam ideo minor est linea priori AB. Id in numeris quoque usu venit, ubi dicimus numerum v. gr. Denarium majorem esse senario, quia si denarius resolvitur in partes: *sex* & *quatuor*, quæ simul sumtæ faciunt denarium; pars ejus una æqualis est toti senario.

Patet [illegible]que ideas majoris & minoris relativas sempe[illegible]esse, neque nos unquam dicere aliquod esse majus vel minus, nisi in comparatione ad aliud ejusdem generis, seu, ejusdem notionis: Nam si quædam sub diversa considerantur notione; earum unum neque majus, neque minus dici potest altero. Sic lineam, sive rectam, sive curvam, quà talem, neque majorem, neque minorem adpellare licet superficie, quem ad modum neque hanc solido vel majorem vel minorem vocare convenit. Ubi vero lineam referimus ad lineam, superficiem ad superficiem, solidum

lidum ad solidum, quia tunc sub eadem notione considerantur quantitates, inter se relatæ, prædicationes majoris & minoris de illis habere locum nemo non intelligit.

§. 678.

Majus & minus quantitatis sunt, non qualitatis.

Perspicue hinc colligimus, majus & minus de duobus pluribusve entibus dici, ratione quantitatis eorum, non vero qualitatis. Majus enim est, cujus pars est æqualis alteri toti (§. 677.), & proinde cujus partis quantitas eadem est cum quantitate alterius totius (§. 521.). Eodem modo minus est, quod totum parti alterius est æquale (§. 677.), ideoque quod quantitatem habet eandem cum quantitate partis alterius (§. 521.). Majus ergo & minus de duobus pluribusve prædicatur entibus, ratione quantitatis eorum. Q. E. U.

Unum neque majus neque minus altero dici potest, nisi quatenus quà æqualitatem totius unius & partis alterius, vicissimque, inter se mutuo referuntur (§. 677.), & per consequens nisi quà quantitatis identitatem totius unius & Partis alterius inter se comparantur (§. 521.). Majus ergo & minus solum ratione quantitatis dicitur. Sed quantitas nequit cum qualitate coincidere (§. 460. 461.). Majus itaque & minus dici nequit ratione qualitatis. Taceo unum idemque se ipso neque majus neque minus dici posse, illam ergo sine alio assum-

assumto non intelligi prædicationem, eamque idcirco non qualitatis, sed quantitatis esse consectarium (§. 459.). Q. E. A.

Facit quidem loquendi inconstantia ut majus & minus nonnunquam de qualitate prædicetur. Sic attribuêre solent Titio. v. gr. majorem præ Sempronio intelligendi dispositionem, majorem demonstrandi habitum, aliaque ejusmodi. Sed sciendum est, siquidem accurate loqui placet, non qualitati, sed diverso qualitatis gradui, qui quantitas est (§. 486.), majus & minus attribui.

§. 679.

Quantitates homogeneæ sunt, quarum una aliquoties sumta, alteram superare valet. Seu, quarum una ab altera vel semel, vel aliquoties ablata tandem vel nihil, vel se minus relinquit. *Heterogeneæ* vero sunt, quarum una aliquoties sumta, alteram superare nequit.

Quantitas Homogenea & heterogenea definitur.

Ex. gr. Omnis linea recta alteri rectæ homogenea est, sunt enim vel æquales, vel inæquales. Si inæquales, tunc sumta aliquoties minor, majorem vel æquat, vel superat; si æquat, semel iterum repetita superat; si æquales, tunc una bis sumta alteram superat. Eodem modo homogeneæ sunt quantitates superficierum, inter se relatæ, pariterque solidorum inter se comparatæ. Linea autem & superficies heterogeneæ sunt, nam quotiescunque sumitur linea, inde tamen confici nequit superficies, multo minus illa aliquoties repetita hanc superare valet. Eodem ratiocinio hetero-

terogeneæ ſunt quantitates ſuperficierum & ſolidorum, inter ſe comparatæ.

Homogeneum & heterogeneum in genere definiuntur.

Retineo heic definitiones quantitatis homogeneæ & heterogeneæ, Mathematicis uſitatas, alioquin *Homogeneum* vi vocis nihil denotat aliud, quam quod ejusdem eſt generis, ſeu naturæ, notionisve. *Heterogeneum* autem quod diverſi eſt generis, ſeu, diverſæ naturæ, notionisve. Sic auri puri maſſa homogenea cenſetur, ſi omnes ejus particulæ ejusdem ſunt generis. Maſſa autem ex auro & agento, inter ſe mixtis compoſita, heterogenea eſt, quia particulæ auri differunt ſpecie a particulis argenti maſſæ iſtius. Neque vulgares hæ notiones notionibus, quas adprobavimus, Mathematicorum repugnant, ſed amiciſſime potius conſentiunt: Quorum enim unum, aliquoties ſumtum, alterum ſuperare valet, illa, ut de eadem natura & notione participent, neceſſe eſt, quam non tenent eandem quantitates; quæ ſe mutuo ſuperare nequeunt, quum earum una contineri non poſſit in altera.

Plerisque Peripateticorum, vulgari, quam mordicus tuentur, caloris definitione occupatis, homogenea dicuntur, quæ ſimilem habent complexionem & qualitatem, ut in unam converti poſſint naturam & maſſam, quamvis nominibus & ſpeciebus alias differant. Heterogenea vero, quæ diſſimilis ſunt complexionis & qualitatis, ita ut in unam naturam & maſſam converti non poſſint. Hoc modo illis homogenea ſunt argentum, ſtannum & plumbum, quia ſimiliter ſunt liquabilia, & in unam, vi caloris, redigi poſ-

ſunt

sunt massam. Ita cibi quoque dissimillimi homogenei dicuntur, si in unam chyli naturam a ventriculi calore mutantur. Humidi vero & sicci partes excrementitiæ, eisdem dicuntur heterogenæ, quia a reliqua materia per calorem separantur. Sed ab hac Peripateticorum explicatione merito recedimus, rei veritati usuique recepto congruas homogenei & heterogenei retinentes definitiones.

§. 680.

Pars aliquota est, quæ aliquoties repetita toti fit æqualis. *Pars aliquanta* vero, quæ aliquoties repetita vel major fit toto, vel eodem minor est, seu, quæ aliquoties repetita, æqualis fieri nequit toti. *Partis aliquotæ & aliquantæ definitio.*

Ex. gr. Numerus 4 cum numeris 8. 12. 16. 20. &c. collatus, est horum pars aliquota, nam bis repetitus octenarium, ter duodenarium, quater denarium & sextum, constituit. Numerus autem quinarius, cum numeris 8 vel 12 collatus, est eorum pars aliquanta, nam bis repetitus superat octenarium, & deficit a duodenario, ter autem repetitus duodenarium excedit. *Euclides* partem aliquotam vocat in singulari numero *partem*, partem autem aliquantam adpellat in plurali numero *partes*. Putat scilicet Euclides id, quod partes dicitur, esse multiplum alicujus partis. Sic quinque non est pars, sed partes Octenarii, quia continet quinque partes, scilicet aliquotas, octenarii, quarum quælibet unitati est æqualis, & quæ octies repetita octenarium æquat. Hanc Euclidis adpellationem, non

 satis

ſatis commodam, immutarunt Mathematici cum *Clavio*, *Poletario* & aliis, qui ante ipſos vixerunt, quam adprobavimus, Euclideæ, ubi opus ipſis fuit, ſubſtituentes.

§. 681.

Partium cum toto homogeneitas. Facillimo hinc deducimus negotio *partes tum aliquotas, tum aliquantas, ſuis totis debere eſſe homogeneas*. Pars enim totius aliquota, aliquoties v. gr. bis repetita toti fit æqualis (§. 680.). Ergo ter ſumta totum ſuperat, & per conſequens toti ſuo homogenea eſt (§. 679.). Pars vero aliquanta, aliquoties repetita, totum ſuum excedere valet (§. 680.). Ergo & illa toti eſt homogenea (§. 679.).

§. 682.

Pars actualis & poſſibilis quid? Partes, quæ toti ſimul ineſſe poſſunt, *Actuales* adpellantur. Quæ vero enti ineſſe poſſunt, ſed non ſimul *Poſſibiles* dicuntur.

Ex. gr. Numeri 2. 3. 4. 5. 6. ſinguli ſunt partes numeri duodenarii, eidem tamen ſimul ineſſe nequeunt, quia ſimul ſumti conſtituunt ſummam, duodenario majorem. Sunt ergo nonniſi poſſibiles partes numeri duodenarii. Numeri vero 3. 4. 5. ſunt partes numeri duodenarii actuales, quia ſimul ſumti æquant duodenarium. Videtur quidem hæc diviſio in partes actuales & poſſibiles originem traxiſſe ex effato *Ariſtotelis* L. VIII Phyſ. *In continuo quidem ſunt infinita di-*

mi-

midia, non actu, sed potestate. Ab Illustri *Wolfio* tamen & sequacibus adhiberi solet hæc divisio ad negandam extensi & materiæ divisibilitatem in infinitum. Fortissimis scilicet Mathematicorum argumentis convicti negare non sustinent extensum in genere dividi posse in partes, numero infinitas, h. e. in tot dividi posse partes, quot nullo determinato & assignabili numero exprimi unquam possunt: Negant vero valere illud de extenso materiali & existenti, quasi extensum, quod considerat Geometria in abstracto imaginarium foret, constans partibus possibilibus, non autem actualibus, quibus quodvis extensum materiale gaudere debet, putantes, si ita res non esset comparata, difficultatem orituram esse vix extricabilem. Hanc vero ita proponere conantur.: *Sit numerus duodenarius, nemo negabit*, ajunt, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11. *id est, omnes numeros minores duodenario esse ejus partes, sed non nisi possibiles, minime autem actuales, quarum quædam tantum, non autem omnes simul totum conficere possunt. Si partes possibiles cum actualibus confunderentur, subverteretur axioma verissimum: totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis, istudque porro sequeretur absurdi, quod* 12 *esset æquale* 66. *Ubi vero observatur omnes numeros, antea expressos, esse tantum possibiles numeri duodenarii partes, quarum quædam tantum ex. gr.* 11 + 1. 9 + 3. 10 + 2. *&c. toti æquales esse possunt, non autem singulæ simul. Et quia in extenso Geometrico, quod omne imaginarium est, eadem est partium natura, quarum scilicet termini pro arbitrio constitui possunt, nulli tamen adhuc constituti sunt, universaliter concludunt ex demonstrationibus*

Geometricis, nihil de corpore Physico, cujus partes omnes sunt actuales, quæ suis propriis continentur terminis, inferri posse. Sed vehementer errant, putantes extensum Geometricum imaginarium esse. Profecto si extensio ista, quia nihil continet, quam quod a corporibus extensis est abstractum, & re ipsa in illis continetur, imaginaria esset, eodem jure omnes universales ideæ, a suis individuis abstractæ, quæ generum & specierum veniunt nomine, imaginariæ dicerentur, & proinde, quia his innituntur omnia nostra ratiocinia, tota ratiocinandi series imaginationis esset fœtus. Sed hæc adeo absona sunt, ut ne ipsi quidem adversarii illa admittant. Non ergo amplius dicant extensum Geometricum esse imaginarium quid, sed ideam generalem, ex corporibus extensis vere abstractam & realem. Recte ne ergo, secundum Logices præcepta, argumentamur, quia quodvis extensum, secundum Geometricas demonstrationes, divisibile est in partes numero infinitas, ergo etiam corpus quodvis, quatenus sub extenso in genere comprehenditur, ejusdem est indolis! Non negabis hanc argumentationem nisi arbitreris vel a genere ad speciem non valere conclusionem, vel corpus Physicum non esse extensum; sed prius in Logices, posterius in Physices incurrit principia, certissima, notissimaque. Utrumque igitur absurditate laborat. Perinde nobis est sive partes materiæ fuerint actuales, sive possibiles: nam exinde non deducimus vel minutissimum argumentandi fundamentum, sed ex sola extensione, qua carere nequit particula materialis ulla. Neque absurdum in objectione

pro-

propositum nostram ullo modo ferit sententiam. Nam si totum aliquod in partes numero infinitas dispescitur, sive æqualiter, sive inæqualiter, illæ tamen partes, quia in toto deprehenduntur, simul sumtæ, totum efficient. Sic si totum fuerit divisum in 12. partes, quælibet earum est unitas & ex 12 unitatibus componitur numerus duodenarius, minime vero una unitas potest æquare numero 11, altera numero 10. nisi numerus partium totius mutaretur & pro 12 poneretur 21. Sed ut mentem nostram clarius aperiamus sit linea A B C D E F in quotcunque partes divisa, omnes tamen simul sumtæ æquales sunt toti lineæ AF, ita ut AB+BC+CD+DE+EF=AF. Pro arbitrio quidem determinavi has partes, sed nihil inde sequitur absurdi: Nam si illæ infinito essent numero, etiam illæ ubi singulæ singulis adduntur, neque majus, neque minus quid conficerent, quam totam lineam AF. Sin vero diceres, ejusdem lineæ partes esse AB, AC, AD, AE, prout dividendo numerum duodenarium dicis, & simul putares, illas inter se additas, vi axiomatis, ad quod provocas, conficere totam lineam AF, vehementer & in Geometriam & in dictum axioma peccares, confundendo partes partium cum partibus totius, conjunctim eas spectando. Nam quando dicis AC esse partem, quæ est = AB+BC, sumis altera vice AB, quam antea dicebas esse partem lineæ AF, sumis ergo jam AB bis & BC semel. Iterum dum statuis lineæ AF partem esse AD=AB+BC+CD, sumsisti AB ter, BC, bis, & CD semel. Denuo ubi dicis ejusdem lineæ AF partem es-

se AE=AB+BC+CD+DE, sumsisti AB quater, BE ter, CD bis, DE semel. Quis vero unquam statuerit totum esse æquale omnibus suis partibus simul sumtis, una cum partibus partium bis, ter, quater &c. numeratis? Et quis unquam dixerit sequi hoc ex divisibilitate materiæ in infinitum, Geometricis munita argumentis, quæ sic in ipsa Mathesi falsitatis haud obscure argueretur? Nihil ergo, uti vides, valet tua objectio, utcunque speciosa, ad infringendas Geometrarum demonstrationes. Sed hæc obiter & in transcursu tantum, liquet vero nihil præsidii habere divisibilitatis infinitæ adversarios in distinctione inter partes actuales & possibiles.

§. 683.

Totius & partium omnium æqualitas. *Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis.* Quoniam idem est æquale sibimetipsi (§. 523.); quod idem est cum partibus totius simul sumtis, id iisdem est æquale; sed totum est idem cum omnibus suis partibus simul sumtis (§. 672.). Ergo totum est æquale omnibus suis partibus simul sumtis.

Cavendum ne heic confundas partes partium cum partibus totius, illæ enim additæ his, quæ illas etiam continent, non possunt non efficere summam toto majorem. Hoc modo 1. 2. 3. 4. 5. Singula sunt partes senarii numeri, simul tamen addita constituunt summam senario majorem, quia dum ad binarium

rium addo unitatem, quæ eſt pars binarii & in illo continetur, ſumo eandem unitatem bis, ſemel ſeorſim, & ſemel in binario, ergo heic addo partem (1.) partis (2.) cum parte (2.) totius, in qua eadem pars partis præterea continetur. Idem evenit dum alias enumeratas partes addo. Sed hoc repugnat ſenſui memorati axiomatis, quod ſolum agit de partibus totius, non autem una de partibus partium. Clariora hæc evadent, dum ad mox dicta (§. 682.) de linea AF, ejusque partibus attendimus, quæ brevitatis gratia heic repetere nolo.

§. 684.

Totius ad partem relatio.

Totum eſt majus qualibet ſua parte. Cujus pars alteri toti eſt æqualis, id altero eſt majus (§. 677.), Sed quælibet pars totius parti totius, h. e. ſibi ipſi æqualis eſt (§. 523.). Ergo totum qualibet ſua parte eſt majus.

Aliter quidem adhuc demonſtrari poteſt hæc propoſitio, ſed in re manifeſta, & cuivis nota, non opus eſt prolixitate ulla. Id ſolum obſervo quosdam tam late hanc ſumere regulam, ut ſub illa comprehendant totum, & integrale ratione quantitatis & eſſentiale ratione perfectionis, & univerſale ratione extenſionis majoris totius præ partium; quia tamen majus et minus prædicari nequit de entibus niſi ratione quantitatis eorum (§. 678.), cum Metaphyſicorum Accuratioribus contendo præſentem regulam proprie valere de toto quantitate prædito, & ex partibus compoſito, quantitatem habentibus.

Quo etiam sensu in tota sumitur Mathesi & Physica, quibus disciplinis axiomatis loco jam diu inservit nostrum enunciatum.

Quamvis ergo canon hoc explicatus modo, sine omni exceptione sit verissimus, putant tamen nonnulli locum ei concedendum esse in Philosophia, non item in Theologia. *Asserunt enim scripturæ sacræ Joh. VI. 3. effato constare, Salvatorem ex quinque panibus & paucis piscibus fere quinque mille viros cibasse, & post cibationem duodecim corbes fragmentorum de panibus remansisse. Ubi fragmenta, tanquam partes, majora erant quinque panibus, ceu suo toto. Hinc ergo colligunt quoddam totum esse minus sua parte.* Absit vero putemus dari aliquod in Philosophia verum, quod Theologia falsum pronunciaret, ex uno enim eodemque & ultimato fundamento, intellectu videlicet Divino, profluit utraque veritas & Theologica & Philosophica, sibi mutuo nunquam repugnans (§. 33.). Nulla ergo inter nostrum canonem, & miraculum a Salvatore patratum, vera est pugna, dissensus verus: Ad canonem enim intelligendum recte instituetur comparatio inter totum & partes. Non sane debet pars cum alieno toto, quo major illa esse potest, sed cum suo comparari. Quinque panes cum suis partibus spectantur, vel prout in se erant naturaliter ante benedictionem Divinam, vel prout post benedictionem divinam supra naturam & miraculose fuerant aucti. Duodecim igitur corbes fragmentorum non erant partes quinque panum, naturaliter spectatorum, sed miraculose auctorum, & hoc suo toto, ad quod tanquam partes pertinebant, erant

omni-

omnino minores, ſubtractis iis partibus, quibus refocillatus erat populus: Illo autem toto, naturali ſcilicet, ad quod reliquiæ iſtæ miraculoſæ non ſunt ut partes referendæ, erant omnino majores. Nihil itaque damni ex hac inſtantia ſentit noſter canon, qui non dicit, quodvis totum eſſe maius qualibet totius alterius parte; ſed quodvis totum eſſe majus qualibet NB. *ſua* parte. Prius & in Theologia & in Philoſophia abſurdum eſt; poſterius ſine omni exceptione ubique manet veriſſimum.

Extenſi in partes numero infinitas diviſibilitatem, cujus perbrevis mox facta eſt mentio, repugnare huic axiomati putat *Hollmannus* in ſua Phyſ. §. 31. *Quia quælibet pars extenſi, affirmata illa diviſibilitate, etiam poſſideret partes numero infinitas, conſequenter, quia infinito majus non datur, nec plures, nec pauciores concipere liceret partes in toto, quam in qualibet ejus parte, ideoque pars eſſet æqualis toti, quod vi præſentis axiomatis abſurdum agnoſcitur.* Sed nullam inter memoratum axioma & dictam cujusvis extenſi diviſibilitatem in partes numero infinitas reperire licet pugnam, quum æqualitas duorum extenſorum non ex identitate numeri partium unice, ſed ſimul ex magnitudine earundem dependet. Omnium circulorum peripheriæ eundem tenent partium numerum, 360 gradibus exprimendum; nemo tamen ideo illas inter ſe ſtatuerit æquales. De cetero docent Mathematici nihil involvere repugnantiæ ſi ſtatuatur dari unum infinitum altero infinito majus vel minus. Sed de hac re ſuo loco plura.

§. 685.

Augeri & imminui quid? *Augeri* dicitur, quod homogeneo adjecto majus efficitur. *Imminui* contra, quod homogeneo ablato minus efficitur.

Sic si numero duodenario adjicitur senarius, oritur octodenarius, cujus pars est duodenarius, adeoque ille hoc major, & duodenarius hoc modo auctus dicitur. Ex adverso, si ab eodem duodenario, subtrahitur binarius, residuum *Denarius*, minus est duodenario, quo respectu hic jam imminutus censetur.

Quod vero & augmentum & imminutio semper instituantur per aliquod ei homogeneum, quod augendum & imminuendum est, liquet ex iis, quæ ad notiones majoris & minoris antea annotavimus (§. 677.), ubi ostensum est non dici posse aliquod majus vel minus nisi in comparatione ad aliud ejusdem generis, seu notionis, h. e. ad aliud homogeneum, quare quum augendo fiat aliquod majus, & minuendo minus, in aprico positum arbitror augmenta & imminutiones institui non posse nisi per aliquod eis homogeneum, quæ augenda & imminuenda sunt. Multum habet hæc observatio momenti tum in aliis quæstionibus, in Metaphysica gravissimis, tum præcipue in controversia, quam cum Leibnitianis habemus de ortu compositorum ex simplicibus, quod dato differendi de ea loco abunde patebit.

§. 686.

Indoles *Quicquid augeri potest & imminui* quan-

quantitas est, & vicissim. *Omnis quantitas augeri potest & imminui.* Quicquid augeri potest & imminui majus effici potest & minus (§. 685.). Majus autem & minus dici quid nequit nisi ratione quantitatis (§. 678.). Quicquid ergo augeri potest & imminui quantitas est. Q. E. U. *quantitatis.*

Vicissim. Numerus unitatum earundem multitudine constituitur (§. 666.): Omnis autem multitudo ex pluribus vel paucioribus unitatibus major vel minor fieri potest (§. 665. 667.), omnis igitur numerus, & per consequens omnis quantitas (§. 671.), augmenti & decrementi est capax (§. 685.). Q. E. A.

Adeo certa est, quam heic demonstravi, quantitatis proprietas, ut multi Mathematicorum quantitatem in genere definituri, dicant eam esse id omne quod augeri potest & minui. Videtur quidem nonnunquam communis loquendi mos qualitatibus etiam decrementa & incrementa adjicere. v. gr. cum dicitur Titii eruditionem crevisse vel decrevisse, sed sciendum hoc & simili casu non de qualitate ipsa, sed ejus gradu agi (conf. §. 678.).

Tandem ne quis putet quantitatem essentialem, de qua antea egimus, absolutamque essentiarum immutabilitatem, incrementi & decrementi non capacem, inimicis, ut ajunt, cornibus cum quantitatis affectione, de qua hoc loco sermo nobis est, dimicare, attendat ad ea, quæ circa hanc eandem materiam antea; ad §. 477, excussimus.

§. 687.

§. 687.

Impossibilitas quanti, nullius augmenti capacis.

Probe hinc intelligimus quantum sine omni ulterioris quantitatis compossibilis defectu, seu, quod idem est, quantum, quod adeo crevisse supponitur, ut absoluto sensu nullius augmenti sit capax, esse in se contradictorium & absolute impossibile quid. Si enim fingeres ejusmodi quantum, augeri amplius nescium, esset illud ex tua hypothesi quantum, & simul non esset, quia omne illud augeri potest quomodocunque sumtum (§. 686.). Esse vero & non esse unius ejusdemque de uno eodemque simul manifestam involvit contradictionem (§. 43.), ex ipsis, uti vides, internis hypotheseos tuæ momentis deductam, quæ non potest non absolutam hypotheseos generare impossibilitatem (§. 128.).

Si placet, idem hoc argumentum alia donabo forma: Si verum est, est autem verissimum, omne quantum definiri posse per id, quod augeri potest & minui (§. 686.); tunc, quia definitio, ut Logica docet, essentiam definiti exprimit, vel saltem quod loco essentiæ jure collocatur, repugnabit assumta, de quanto non amplius augendo hypothesis, quanti essentiæ, & proinde absolute erit impossibilis (§. 326.).

Quod jam evici, percurrendo quantitatis tum discretæ tum continuæ indolem haud difficul-

ter illustratur. Est illa, quantitas scilicet discreta, numerus (§. 666.). Sed an eousque auctum putes ullum numerum, ut augeri amplius nequeat? absit: Quemcunque enim sumseris, vel vel animo conceperis, tantus non deprehendetur, ut omne respuat incrementum ex nova addita unitate. Crescit in decem, centum, mille, decies mille, millionem, decies millionem, billionem, decies billionem, trillionem &c. in infinitum. Idem de quantitate continua valet, in quamcunque enim longitudinem suppponatur aliqua linea producta, semper tamen hanc retinet naturam, ut ei addi aliqua possit portio. Suppone extensum, ut extensum, constare partibus 1000000000000000000000000000000, quarum quælibet diametri orbis magni magnitudinem æquet, erit tamen tale, ut ei addere possis partes adhuc totidem, & iterum iterumque totidem, nec unquam tam multas addere potes, quin adhuc plures addi possint. Sine omni ergo exceptione verum est, quod præsenti enunciavimus thesi.

§. 688.

Impossibilitas quanti nullius decrementi capacis.

Ratiocinandi lege, haud dissimili, colligimus, quantum eo imminutum usque, ut amplius minui nequeat, re ipsa contradictorium quid esse, & absolute impossibile. Fingas: dari quantum, quod ulterioris capax non sit decrementi, esset illud ex tua hypothesi quantum, & simul non quantum, quia omne illud minui potest (§. 686.). Quod in primum cognoscendi

di principium directe incurrit (§. 53.). Est itaque absolute impossibile.

Hoc idem evidentissimis insuper evincitur Geometrarum demonstrationibus, quibus sine omni constat exceptione quamvis lineam, & quamvis in genere extensionem, utcunque minutam, tantum tamen adhuc habere numerum partium, ut nullo determinabili & assignabili exprimi ille possit, nec unquam ulla possibili divisione perveniatur ad indivisibile. Potest vero contra universalem, quam de omni quanto proposuimus, thesin in speciem obverti, *numerum esse quantum, sed si in suas unitates est resolutus, ulterius resolvi & imminui non posse.* ℞. Unitas non est numerus, quod ergo de hoc valet, non statim de illa est enunciandum. Deinde quia numerus unitate augetur & minuitur, erit illa toti suo homogenea (§. 685.), & per consequens ob hanc minimum relationem quanta. Quare & illa adhuc minui potest, non quidem per alias unitates, vel per numeros integros, sed per fractiones. Ita $\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}+\frac{1}{32}+\frac{1}{64}$ &c. in infinitum $=1$. $\frac{1}{3}+\frac{1}{9}+\frac{1}{27}+\frac{1}{81}$, &c. in infinitum $=\frac{1}{2}$. Et sic porro, ut Arithmetica docet. Non ergo valet proposita objectio ad infringendam theseos nostræ universitatem.

§. 689.

Æqualitas ex æqualium additione.

Si æqualia æqualibus adjiciuntur, tota, quæ inde resultant, fiunt æqualia. Si A=B, & C=D, dico A+C=B+D. Est enim A+C=A+C (§. 523.). Sed A=B, & C=D (per hypoth.). B er-

B ergo substitui potest in locum τῦ A, & D in locum τῦ C, salva quantitate (§. 522.). Facta igitur substitutione est A + C = B + D.

§. 690.

Ex æqualitate totorum & partium unarum, pendet æqualitas reliquarum.

Si ergo duo fuerint tota æqualia, habueritque unum eorum partem æqualem parti alterius, erit etiam altera pars unius, alteri alterius æqualis: totorum enim æqualitas ex æqualium partium additione resultat (§. 689.).

§. 691.

Æqualitas ex æqualium additione.

Si itaque ab æqualibus æqualia auferantur, reliqua sunt æqualia. Sint duo tota A + B, C + D, æqualia, & pars A æqualis parti C, erunt ergo partes alteræ, seu reliquæ B & D æquales (§. 690.).

Hæc aliaque his similia axiomatum loco Mathematicis habentur, quorum omnium uberiori explicationi ulterius non immoramur, pergentes ad alia, quæ in Metaphysicis nondum sunt evoluta, & majorem parere videntur difficultatem. Ceterum si quis plura Mathematicorum axiomata explicata & demonstrata desiderat, adire is potest Illustris *Wolfii* Ontol. Lat. ubi a §. 370 ad finem fere Capitis hanc materiam abunde pertractat.

CAP.

CAPUT VIII.

DE

ORDINE ET VERITATE.

§. 692.

Ratio ordinis. Solent quidem plures Metaphysicorum, veterum præsertim, explicatæ unitati Metaphysicæ statim subjungere doctrinam de unione & communione, quia tamen mihi proposita est Scientifica Metaphysicam tractandi methodus, nec etiamnum evoluta suppetunt principia, ex consideratione entis simplicis & compositi, substantiæ & accidentis, aliorumque agnatorum, unice deducenda, quibus plenior unionis & communionis innititur theoria, ipseque insuper existimem pertinere hanc theoriam potius ad partem Metaphysices alteram, quam ad primam, in qua adhuc versamur, & quæ in universalissimis entis affectionibus, condigna serie evolvendis est occupata; non possum non omissa illa theoria, suo postea loco exponenda, ordinis & veritatis, omni enti universaliter attribuenda, qualemcunque instituere expositionem, sequentibus in Metaphysica capitibus egregie inservituram.

§. 693.

§. 693.

Similitudo obvia in modo, quo plura juxta se invicem vel coëxistunt, vel se mutuo consequuntur, *Ordo* dici jam svevit. Quem ad modum plura ista hoc modo coëxistentia, vel se mutuo excipientia, *Res ordinatæ* vocari solent. *Ordinis definitio.*

Sic quando vel in collegiis videmus eorum Assessores consedere, vel etiam in publicis processionibus plures incedere homines, secundum modum, quem eorum postulat dignitas, in republica cuilibet eorum adsignata, eos ordine vel sedere vel ambulare, dicere solemus. Huc etiam exempli loco referas illam in Ecclesia ministrantium seriem 1. Cor. XII. 28. qua alios constituit Deus in Ecclesia primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Doctores, & Potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, Gubernationes, genera linguarum. Ordinis etiam exemplum nobis suppeditat Historia *Jacobi*, cum enim fratrem Esavum procul adventantem vidisset, juxta caritatis legem, qua suam amplexus est familiam, quo cariora ei erant pignora, eo remotiori illa ab Esavo collocavit loco, ut si præcedentia prostrasset Esavus, posterioribus elabendi daretur copia: Primo enim loco collocavit ancillas & natos illarum, deinde Leam & natos ejus, Tandem vero Rachelem & Josephum Gen. XXXIII. 2. 3. Gen. XXXII. 8. Heic enim similitudo obvia erat in modo, quo se invicem insequebantur, qui familiam constituebant Jacobi.

In omni igitur ordine plura requirimus vel coë-

xiſtentia vel ſuccedentia, quum de uno ſine ulla ad aliud facta relatione neque ordinem, neque confuſionem dicere ſoleamus. Non tamen volumus inter plura iſta reale ſemper dari debere diſcrimen, quale in exemplis, modo allatis, comparet, ſufficit adeſſe diſtinctionem rationis, quæ locum habet inter plures unius ejusdemque rei inadæquatos conceptus (§. 448.). Poſteriori hoc ſenſu in ſequentibus dicemus inter prædicata entis eſſentialia & attributa, quæ re ipſa cum eſſentia entis identificantur (§. 454.), ordinem dari.

Diſtinctam ordinis notionem, quam Illuſtri Wolfio in ontol. §. 472. acceptam debemus, uſui apud Philoſophos recepto conformem eſſe ex *Matthiæ Martinii*, & *Rudolphi Goclenii* ordinis definitionibus ipſe demonſtravit §. 488. Quibus addamus *Joh. Scharffium* L. 2. Metaph. Cap. I. p. 64. ubi ordinem ille definit *per congruam multorum diſpoſitionem vel ſimul, vel ſecundum prius & poſterius collocatorum* Cui conſentiunt Joh. *Micrælius* in Lex Phil. ſub tit. *ordo.* & *Chauvinus* in Lex. Phil. ſub eodem tit. dicentes ordinem eſſe *parium diſpariumque rerum diſpoſitionem, ſua cuique loca tribuentem.* Quando agnoſcunt hi Philoſophi congruam eſſe debere multorum diſpoſitionem, ſuaque cuilibet eorum adſignanda eſſe loca; indicant dari etiam diſpoſitionem incongruam, in qua cuilibet ſuus non adſignatur locus. Dabitur itaque ratio ſufficiens cur congrua potius quam incongrua ſit diſpoſitio, & cur ſuus potius, quam non ſuus cuilibet adſignetur locus (§. 88.). Ubi vero juxta eundem conſtantem modum facta eſt diſpoſitio, & ſingu-

gulis sua adsignata sunt loca, patet statim dispositionis ratio. Non ergo in alio differt puncto Wolfiana ordinis definitio a definitione, quam Scharffius & reliqui citati auctores adhibent, quam quod illa hac sit clarior & distinctior, ipsum ordinis fundamentum statim indicans.

§. 694.

Ratio, seu fundamentum ordinis.

Quoniam similitudo, posita in modo, quo plura juxta se collocantur, vel se mutuo insequuntur, ordo recte habetur (§. praec.); ubicunque plura convenienti, seu, simili modo vel juxta se disponuntur, vel se invicem insequuntur, ibi ordinem adesse agnoscimus, ut adeo pateat ex modo, quo loca singulorum in ordine determinantur, intelligi, cur hoc loco & non alio quodvis ponatur. Quare in modo isto continetur ratio cur plura hanc & non aliam, vel in coëxistentia, vel in consecutione habeant dispositionem (§. 82.).

Ex. gr. Si in convivio mensae assident homines, ita, ut ei, qui majorem in republica tenet dignitatis gradum, prior, ei autem, qui illum dignitate proxime excipit, posterior tribuatur locus; intelligimus cur Titio hic potius quam alius cesserit locus, rationem dispositionis ex memorato desumentes modo.

§. 695.

Regulae ordinis definitio.

Id, quod in se continet rationem, cur cuilibet plurium hic & non

non alius adſignetur locus, *Regula ordinis* dicitur, ſeu, Regula eſt ratio, ſecundum quam cuilibet plurium determinatus adſignatur locus.

Sic in allato exemplo regula hæc eſt: *Perſonæ ſunt collocandæ ſecundum dignitatem, quam in civitate habent.* Hinc enim rationem deſumimus adſignandi cuilibet perſonæ convenientem locum. Qui dicunt Regulam eſſe id, in quo plura conveniunt, ſeu, id, cui varia attemperanda veniunt, re ipſa eandem nobiſcum tuentur ſententiam: Id enim, in quo varia conveniunt, vel cui varia attemperanda veniunt, non poteſt non convenientiæ continere rationem, ad quam, quia nihil ſine ratione ſufficiente eſſe debet, varia iſta ſunt attemperanda.

§. 696.

Regulæ in ordine neceſſitas. *In omni igitur ordine datur aliqua ejus regula.* Eſt enim ordo ſimilitudo, obvia in modo, quo plura juxta ſe invicem vel coëxiſtunt, vel conſequuntur (§. 693.). Sed in modo iſto continetur ratio, ſecundum quam cuilibet plurium determinatus adſignatur locus (§. 694.). Hæcque ratio regula adpellatur (§. 695.) Datur ergo in omni ordine regula.

Quot ſunt exempla ordinis, tot etiam dantur luculentiſſima hujus adſertionis ſpecimina. Ordine dicimus *Euclidem* ſua conſcripſiſſe elementa, quia ubique hanc obſervat regulam: *Præmittenda ſunt, quæ ſequentibus intelligendis & demonſtrandis inſerviunt.* Ordine in publicis proceſſionibus

nibus incedunt homines, si regulam, ex dignitate eorum desumtam, observant. Ordine in Academiis disputatur, si opponens & respondens per vices suam distincte pronunciant sententiam, nec plurium opponentium simultanea voce obtunduntur respondentis aures. Verbo, ordine quicquid est, quicquid fit, & quicquid agitur, semper habet unde dijudicetur, regulam.

§. 697.

Modus de ordine judicandi.

Quem ad modum ergo ex cognita ordinis regula, illum intelligere & dijudicare possumus, sic eadem ignorata nullum de ordine ferre valemus judicium. In quolibet enim ordine certa datur regula, (§. 696.), quæ ratione absolvitur, juxta quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus (§. 695.). Regula ergo est, unde intelligimus cur plura hanc & non aliam vel in coëxistentia, vel in successione habeant dispositionem (§. 82.), an, per consequens, & cur inter se observent ordinem. Quam ob rem, quia oppositorum opposita est ratio (§. 427.), ignorata ordinis regula, latet dispositionis ratio, neque intelligitur cur plura hoc modo & non alio sint disposita. Ignotus ergo est ipse ordo.

Ex: gr. Qui ignorat regulam, quam secutus est *Euclides* in elementis suis componendis, nullum de eorum ordine ferre potest judicium, nescitque an syntheticam, an analyticam teneant methodum? justa ne an injusta exarata sint le-

ge? Qui vero regulam habet sibi perspectam ad hæc aliave ejus generis distincte respondere valet.

§. 698.

Ordo quando necessarius & quando contingens.

Ordo, qui salva rerum ordinatarum essentia alius, quam est, esse nequit, est absolute necessarius, qui vero salva rerum ordinatarum essentia alius, quam est, esse potest, Contingens est. Sunt essentiæ rerum absolute necessariæ (§. 609.), omnisque, quæ rebus tribui potest, absolutæ necessitatis fundamentum (§. 622.). Ordo igitur, si salva rerum ordinatarum essentia alius, quam est, esse nequit, est absolute necessarius. Si vero ex essentia rerum ordinatarum non profluit, absolutæ necessitati non datur locus (§. 622.). Contingens ergo est (§. 591.), qui hoc modo generatur ordo.

Ex. gr. Ordo quatuor rectarum in quadrato exinde dependet, quod quatuor angulos rectos includant. Est vero hoc omni quadrato essentiale. Quare etiam ordo quatuor rectarum in quadrato est absolute necessarius & immutabilis. Eodem modo variæ dantur series Algebraicæ, in quibus cuilibet seriei termino adsignatur locus, qui serie salva, alius esse nequit. Cuilibet ergo seriei absolute necessarium competere terminorum ordinem recte contendunt Mathematici. Contingentes e contra sunt ordines, quorum plura in præcedentibus mox attulimus exempla. Sic contingenter ordinavit familiam

suam

suam *Jacobus* Gen. XXXIII. Nam non ex essentia rerum ordinatarum dependebat, quod primum occuparent ancillæ locum, secundus Leæ adsignaretur, & tertio demum poneretur Rachel. Contingenter etiam assident mensæ in publico convivio plures homines, quum spectati ut homines, prout scilicet in statu degunt naturali, quo unus alterum dignitate non superat, longo alium & diversum inter se observare possent ordinem, quam quem ratione dignitatis, in statu civili contingenter institutæ, jam tenent. Est ergo ordo hominum, secundum dignitatis legem, mensæ assidentium, contingens.

Firmissimo itaque fundamento innititur distinctio ordinis in necessarium & contingentem, quam tamen quidam figmentorum numero annumerare non verentur, putantes cum *Büttnero* in Cursu Phil. §. 33. Ontol. *Omnem ordinem habere suas regulas, & ideo esse relationem, seu, cogitationem, nullumque proinde sine cogitante dari, ordinem igitur necessarium, qui aliter esse non potest, figmentum esse.* Sed nulla huic argumento inest concludendi vis, saltumque contra Logicorum præcepta committit manifestum. Urgemus omnem ordinem habere suas regulas, & ad has involvere relationem, largimur quoque nullum dari sine cogitante ordinem, sive necessarium, sive contingentem; sed quo quæso argumento inde inferat opponens: Ergo nullus ordo est necessarius. Nemo nescit possibilitates rerum involvere relationem ad cogitantem, ultimato scilicet ad intellectum Divinum, sed quis inde, nisi Poiretianismo absurdissime favens, deducat nullas dari possibilitates abso-

Solvitur Objectio.

absolute necessarias? Plura responsionis loco non addo, quum si quod aliud, certe opponentis opinio figmentis sit annumeranda.

Usus distinctionis. Ex pulcherrimo rerum in hac universitate ordine & artificiosa mundi corporumque mundanorum structura, peti solent argumenta pro existentia Dei demonstranda. Sed quamvis quilibet attentior naturæ scrutator, sive immensam rerum varietatem, pulcherrima harmonia consentientem, sibique mutuo subservientem, inspiciat, sive magnitudinem corporum totalium, quibus componitur mundus, mundique ipsius nimiam magnitudinem, & imaginationis vires longe superantem in partialibus subtilitatem animo reputet, sive constantissimas simul ac sapientissimas motuum leges consideret, sive eximiam utilitatem, quam ex diligentiori rerum naturalium inspectione, & certiori hinc ad usus suos adplicatione indies hauriunt homines, perlustret, non possit non ad perfectionum Divinarum admirationem excitari, & simul confiteri, hæc omnia & singula, maxima & minutissima, Potentissimum, Sapientissimum & Optimum arguere Artificem; Quia tamen, uti jam evicimus, duplex datur ordo, necessarius & contingens, pessimaque atheistarum gens ordini, qui in mundo est, cum ipso mundo absolutam attribuit necessitatem, non prius confutabuntur scelestissimi homines quam evidenter demonstrata fuerit hujus ordinis contingentia, qua præstructa legitimum evadit argumentum, quod ab ordine ad ordinantem procedit.

§. 699.

§. 699.

Si regulæ ordinis salva rerum ordinatarum essentia aliæ esse nequeunt, ordo absolute necessarius est: si autem essentia salva aliæ esse possunt, contingens est ordo. *Quando ex regula ordinis de illius necessitate & contingentia judicare licet.* Nam si regulæ aliæ esse nequeunt, salva rerum ordinatarum essentia, sunt ratione essentiæ earundem rerum immutabiles (§. 593.), & per consequens absolute immutabiles (§. 610.), & necessariæ (§. 598.). Quia vero per regulas cuilibet plurium in ordine suus determinatus adsignatur locus (§, 695.), absolute necessarius est, tum cuilibet plurium coordinatorum adsignatus locus, tum etiam per consequens hinc emergens ordo (§. 693.). Q. E. U.

Quod si regulæ salva rerum ordinatarum essentia aliæ esse possunt, rei unicuique ordinatæ alius, quam quem obtinet, adsignari potest locus (§. 695.), consequenter ipse ordo alius esse potest, quam est (§. 693.), in contingentibus ideo referendus (§. 590.). Q. E. A.

Exempla mox adducta ad §. præc. huic etiam propositioni illustrandæ inserviunt.

§. 700.

Quoniam in quolibet ordine datur regula (§. 696.), cujus intuitu cuilibet plurium determinatus ad- *Divisio ordinis in simplicem &*

composi-tum. signatur locus (§. 695.), ipseque, per consequens, ordo constituitur; ubi plures dantur regulæ, simul observandæ, exsurgit aliqua in ordine compositio, quæ ex una simplici non derivabitur regula. Fundamentum hinc habemus distinguendi inter ordinem *Simplicem* & *Compositum.* Ille est, ubi una tantum adest ordinis regula. Hic vero locum habet, ubi plures adsunt ordinis regulæ, simul observandæ.

Ex. gr. In Bibliotheca ordinanda ubi collocantur libri solum ratione externæ formæ & magnitudinis voluminum, una adest regula, & simplex inde exsurgit ordo. Ubi vero in libris collocandis ad plures una respicimus regulas, nimirum quod 1:o) ratione externæ formæ sint disponendi, sed ita ut 2:do) qui de eadem tractant materia eodem ponantur loco, 3:o) in eadem lingua conscripti inter se sint conjungendi, 4:o) qui prius lucem adspexêre publicam priori ponantur loco, ubi, inquam, ad has una respicimus regulas, ordo librorum exsurgit compositus.

§. 701.

Indoles regularum in ordine composito. *Plures regulæ in ordine composito, simul observandæ, sibi mutuo contrariari nequeunt, nec ulla earum per alteram determinari debet.* Si enim sibi mutuo contrariarentur, quia contraria simul inesse nequeunt (§. 424.), simul in ordine observari non possent. Sunt ta-

tamen simul observandæ (per hypoth.). Sibi ergo mutuo contrariari nequeunt. Q. E. D.

Ponamus regulam B determinari per regulam A, est ergo A determinans, B determinatum (§. 195.), consequenter posita regula A, ponitur statim regula B (§. 196.). Ponamus ulterius aliquod C in ordine composito determinari ex regula B, quare eodem modo liquet posito B, poni C, sed posita regula A, ponebatur B. Ergo posita regula A, ponitur idem C. Sufficit itaque regula A determinationi C, quare regula B, superflua est & sine ratione sufficiente, sine qua tamen nihil est admittendum (§. 88.). Regularum ergo, in ordine composito simul observandarum, ea esse debet indoles, ut una earum per alteram non determinetur.

Ex. gr. Ponamus libros Gallicos involucra habere Gallica, & præter regulam, quæ jubet ponere libros in eodem repositorio, qui eadem conscripti sunt lingua; simul observandam esse aliam regulam, quæ postulat ut libros, qui eadem habent involucra, eodem collocentur loco: Superflua est hæc posterior regula, quum quicquid ex hac sequitur, posita priori æque determinetur.

Cum ex certis regulis sua problemata solvunt Mathematici, Sollicite cavent, ne cumulent regulas, quarum una per alteram determinatur. Sic in describendo circa datum circulum quadrato, jubet *Euclides* Prop. VII. El. IV. duos du-

ducendos esse diametros, perpendiculariter se mutuo secantes, & ad horum extrema tangentes esse ducendos. Non vero simul exigit tangentes debere æquales constitui & sibi mutuo debere ad angulos rectos insistere, quum hæc ex binis prioribus propositis regulis statim & sua quasi sponte determinentur. Idem indicant aliorum problematum resolutiones, quarum uberrimam ex Mathematicis habemus copiam.

§. 702.

Defectus definitur. Determinatio regulæ contraria dicitur *defectus*, in ea nimirum re, in qua determinatio locum habet.

Ex. gr. Si secundum gradus dignitatis ordinandæ sunt personæ, in publico sedentes convivio, & tamen deprehenduntur aliquot personæ majoris dignitatis, collocatæ infra alias, minori honoris gradu gaudentes; adest in illo ordine determinatio regulæ contraria, quam defectum vel nævum adpellare solemus.

§. 703.

Quando in ordine datur defectus. *Si igitur inter res ordinandas locus alicui adsignatur, quem vi regulæ ordinis obtinere nequit; defectu aliquo laborat ille ordo.* Hoc enim in casu adest determinatio, regulæ ordinis contraria, quæ defectus nomine venit (§. præc.).

Pertinet huc exemplum, mox allatum.

§. 704.

Confusionis definitio. Ordini opponitur *Confusio*, quæ itaque est dissimilitudo obvia in modo,

do, quo res juxta se invicem collocantur, vel se invicem consequuntur.

Aptiori, sine dubio, utimur in lingua vernacula vocabulo: *Oordning* ad denotandum ordinis oppositum, quum vocabulum Latinum: *Confusio*, Logico sumtum sensu, nullam inferat dissimilitndinem in modo, quo res ipsæ juxta se invicem coëxistunt, sed nostram solum impotentiam distinguendi notas rei characteristicas a se mutuo. Retinemus tamen hoc loco usitatum confusionis vocabulum, non Logico sed Metaphysico acceptum sensu, quo apud omnes denotare solet ordinis permutationem, vel perturbationem, quam etiam voces istæ: *præposterus* ὕστερον πρότερον exprimere solent. Et hoc sensu in regione tenebrarum, sive sepulchro non sunt ordines Job. X. 22, quippe omnia ibi luxata, & soluta, nullo personarum & dignitatum discrimine relicto. In republica, Ecclesia, familia, aliisque Societatibus dantur certæ regulæ, quibus actiones suas conformare debent singula consociata membra, ubi vero regulæ secus habentur, horribilis inde fit confusio;

Veluti magno in populo, cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus.

Cujus exempla sunt Act. XIX. 29. 32. XXI. 31. præter ea, quæ quotidie, eheu! recurrunt. Eam in ecclesia, si ullibi nocentissimam, devitare, & contra, omnia decenter & secundum ordinem instituere jubet Apostolus 1 Cor. XIV. 40.

§. 705.

Quia itaque in confusione adest *Confusio* dis-

nis affe-ctio. dissimilitudo in modo, quo cuilibet plurium determinatus adsignatur locus, includit vero modus iste, dum in ordine datur, rationem determinationis (§. 694.); in confusione adest dissimilitudo rationis in determinandis plurium locis, & per consequens adest dissimilitudo regularum (§. 695.). Eadem igitur regula constans, sive simplex, sive composita illa fuerit in confusione non datur (§. 491.). Vicissim ubi non datur eadem constans regula, ad quam determinatio plurium exigatur, vel quà eorum coëxistentiam, vel qua eorum successionem, ibi eodem modo singulorum loca non determinantur. Ibi ergo confusio regnat (§. 704.).

§. 706.

In contingente ordine, alio respectu potest esse confusio, alio, ordo. *Si res contingenter juxta se invicem disponuntur, potest respectu regulæ, secundum quam disponuntur adesse ordo, respectu autem alterius regulæ, quam illa dispositio non observat, observare tamen potest, confusio locum invenit.* Si enim contingenter juxta se invicem disponuntur res, contingens inde exsurgit ordo (§. 698.), in quo salva rerum ordinatarum essentia aliæ esse possunt regulæ (§. 699.). Si ergo secundum dispositionis suæ regulam res istæ spectantur, quia in omni ordine regula adest (§. 696.), nulla vero in confusione, quà tali (§. 705.); res istæ si-

ſimili inter ſe diſponuntur modo, qui ordinem generat (§. 693.). Ubi vero ſecundum regulam quam non obſervant, obſervare tamen poſſunt, conſiderantur, in diſpoſitione iſta locus non datur illi regulæ. Hujus igitur intuitu eſt inter res iſtas confuſio (§ 705.).

Ex. gr. Nemo ignorat libros in bibliotheca contingenter diſponi, quare ſi ordinati ſunt et juxta ſe invicem collocati, ſecundum materiam, quam tractant, ſive majori, ſive minori alioqui conſpiciantur externa forma; ordo in illis hoc reſpectu deprehenditur. Alius autem accedens, & ad hanc non attendens regulam, librorum vero deſiderans diſpoſitionem juxta magnitudinem externæ formæ, adeſſe in bibliotheca confuſionem dicet, quam tamen alius, juxta priorem judicans regulam inde removebit.

§. 707.

Ordo prædicatorum in ente.

Omne ens habet ordinem eorum, quæ ei conveniunt, nec ullum ens confuſione eorundem laborare poteſt. Omnia, quæ enti inſunt prædicata vel interesſentialia, vel attributa, vel accidentia locum habent (§. 372.). Ipſa eſſentialia abſolvuntur prædicatis ſibi mutuo non repugnantibus, quorum unum non determinatur ex altero, neque ex alio priori in ipſo ente (§ 320.), cuilibet ergo eſſentialium ideo ſuus adſignatur locus, quia aliter determinatus contradictioni daretur locus, qui tamen per principium contra-

traditionis dari nequit. Per idem ergo hoc principium determinantur entis eſſentialia (§. 194.), ita ut cuilibet eſſentialium per idem hoc principium, h. e. eodem, ſeu, ſimili modo ſuus determinatus competat locus, ſeu, inter ſe coëxiſtant. Datur itaque inter ipſa eſſentialia entis ordo (§. 693). Attributa per eſſentialia entis unice determinantur (§. 340.), & re ipſa cum eſſentialibus identificantur (§. 454.). Per idem ergo cum eſſentialibus determinantur attributa principium, &, per conſequens, eodem modo cum inter ſe, tum cum eſſentialibus coordinantur (§. 693.) Ipſa vero accidentia quà *poſſibilitatem*, aut unice per eſſentialia entis determinantur (§. 377.), & ſic eodem cum attributis modo ordinem cum eſſentialibus tenent (per dem.), aut ſimul per accidentia quædam præcedanea resque alias externas intelliguntur (§. 377.); *quà inexiſtentiam* enti contingenter inſunt (§. 616.), & proinde ex eodem principio rationis ſufficientis determinantur (§. 95.). Nihil itaque concipi poteſt in ente quocunque, quod non determinetur per principium contradictionis & rationis ſufficientis, & vi hujus determinationis unicuique prædicatorum entis ſuus adſignetur locus. Omne ergo ens habet ordinem eorum, quæ ei conveniunt (§. 693.).

Porro. Si daretur in ente confuſio eorum, quæ ei conveniunt, per easdem regulas,

las, ſeu, per eadem conſtantia principia non determinarentur (§. 705.). Sed omnia, quæ enti competunt prædicata per eadem principia, contradictionis nimirum & rationis ſufficientis, conſtanter determinantur (per dem.). Nulla ergo datur confuſio eorum, quæ enti conveniunt.

Putas tamen fortaſſis adeſſe in ente compoſito confuſionis exempla, qualia mox (§. 704.) *allegavimus, & proinde aliquod minimum ens, ſaltim quà coexiſtentiam laborare confuſione eorum, quæ ei ſi non eſſentialiter, accidentaliter tamen conveniunt.* Sed ſcias ejusmodi, quæ allegari poſſunt, confuſionis exempla agere de plurium rerum coëxiſtentia, vel ſucceſſione contingenti; atque ideo fateor inter res iſtas, ſi diſpoſitio earum, juxta regulam, quam non obſervant, obſervare tamen poſſunt et debent, dijudicatur, dari confuſionem, non abſolutam, de qua hoc agitur loco, ſed relativam tantum. Non ergo omnem removet ordinem, ubi coëxiſtentia, vel ſucceſſio iſtarum rerum ſecundum regulam, quæ in illis locum habet, æſtimatur: ſunt enim res iſtæ, ad quas in exemplis provocatur, contingentes, contingenterque inter ſe collocantur. Aliam ergo & aliam admittere poſſunt diſpoſitionem (§. 590.). Dabitur itaque ratio ſufficiens, cur hanc determinatam inter ſe teneant diſpoſitionem & non aliam (§. 95.). Per conſequens, ſi vel maxime omnia particularia heic exularent principia, adeſt tamen principium rationis ſufficientis, quod vel objective, vel ſubjective intelle-

ctum, non poteſt non in plurium iſtarum rerum obſervari coëxiſtentia, vel ſucceſſione. Abſolutam itaque confuſionem, quam præſenti propoſitione a rebus removendam eſſe evicimus, nulla probare poſſunt exempla, ſed relativam tantum, quam dari, ſine ullo tamen noſtræ aſſertionis detrimento, non coacti largimur.

§. 708.

Ordinis ultimata fundamenta. Quoniam, vi demonſtrationis præcedentis (§. 707.), poſitis principiis, contradictionis & rationis ſufficientis, ponitur ordo eorum, quæ enti conveniunt, iisdem vero ſublatis, tollitur; *Omnis, qui inter res, earumque prædicata obtinet, ordo, ex his principiis ultimato profluit & determinatur* (§.).

Dixi: *ultimato*, non negans dari in hoc vel illo particulari ordine particularia principia, unde proxime dijudicetur, quæ tamen omnia & ſingula, quia res ipſæ, in ordinem vel redactæ, vel redigendæ, ſunt vel neceſſariæ vel contingentes (§. 591.), tandem & ultimato reſolvuntur in principia Contradictionis & rationis ſufficientis (§. 122.).

Hinc eſt quod in ſomnio, non ſubjective acceptо, quo ſenſu conſtantem ſequitur imaginationis legem, ſed objective, pro rebus ſomnio viſis, ſumto nullum dari ordinem dicamus: omnia enim heic fiunt ſine ratione ſufficiente, & contradictoriis datur locus. Saltamus in ſomnio ex horto v. gr. in cathedram Academicam ſine curſu intermedio, vegetabilium ibi naturam audi-

auditoribus evolvere nobis videntes, mox, immo simul, Metaphyficam. Relicta cathedra in America verfari nobis videmur, illucque fine navigiis & fine itinere intermedio perveniffe, mox per aerem inftar avium volantes in patriam nos redire fomniamus. Hæc & alia ejus generis licet admodum vivide in fomniis repræfententur, expergefacti tamen vana & irrita effe facile fentimus, convicti nihil exiftere vel exiftere posse, in quo neglectis, quæ laudavimus, principiis, abfoluta regnat confufio.

§. 709.

Ordinis necesſarii & contingentis Principia.

Ordo, qui ex principio contradictionis unice determinatur, eft abfolute neceffarius, qui vero ex principio rationis fufficientis, præcife fumto, profluit, contingens eft. Eft enim principium contradictionis abfolute neceffarium (§. 60.), ex quo, nifi quod neceffarium, determinari nequit (§. 61.). Ordo igitur, qui ex hoc determinatur principio, non poteft non effe, neceffarius, & quidem abfolute talis (§. 596.), quia ex principio contradictionis unice determinatur, proindeque aliter pofitus in fe involvit contradictionem. Q. E. U.

Licet ratio fufficiens tam ad neceffarium, quam ad contingens extendatur (§. 89.), quia tamen quod ex principio rationis fufficientis, præcife fumto, determinatur, non neceffarium, fed contingens eft (§. 122.); ordo, ex

hoc principio profluens, eidem contingentium classi est accensendus.

Essentiarum, quas habent res ordinandæ absolutam necessitatem ex intrinsecæ earundem possibilitatis absoluta necessitate dependere antea vidimus (§. 609.): Absolutam vero necessitatem intrinsecæ possibilitati ideo adjudicandam esse liquet, quia ejus oppositum: *intrinsece impossibile*. Salvo principio contradictionis de intrinseca statui nequit possibilitate. Essentiarum itaque absolutæ necessitatis fundamentum est principium contradictionis. Consequenter ordo ex principio contradictionis determinatus, simul ex essentiis rerum ordinatarum profluit, & proinde non potest non ejusdem esse cum essentiis ipsis necessitatis. Longe vero alia est ordinis indoles, qui ex principio rationis sufficientis determinatur, nunquam is ex essentiis rerum ordinatarum pendere potest, nam si penderet, coincideret cum ordine, ex principio contradictionis determinato (per demonstr.), ipsumque adeo rationis sufficientis principium a principio contradictionis non differret, eademque & ex hoc & ex illo prodiret absoluta necessitas, quæ tamen absurda esse omnes ultro largiuntur, & ex iis, quæ de indole principii contradictionis antea evicimus, abunde claret. Vi ergo oppositorum jure statuimus ordinem, ex principio rationis sufficientis determinatum, esse contingentem.

§. 710.

Veritatis *Veritatem* in genere collocamus in

in ordine eorum, quæ enti conveniunt. Atque hinc Ens dicitur *Verum*, quod ordinem habet eorum, quæ ei conveniunt. *& veri definitio.*

Non explicamus heic veritatem, prout vel in oratione, vel in mente consideratur, quo sensu vel moralis, vel Logica dici solet, sed prout cuilibet rei, in se & absolute spectatæ, competit, & Metaphysica audit, absolutissimo, ut ita loquar, sensu omni adtribuenda enti. Hujus formalem, uti ajunt, rationem constituimus in ordine eorum, quæ enti competunt, certi remoto prædicatorum, quibus gaudet ens, ordine, ipsam ejus veritatem simul removeri. Sic ubi aliquod metallum non habet ordinem eorum prædicatorum, quibus constituitur aurum, nequit id verum esse aurum. Idem in aliis obtinet exemplis.

Variæ quidem a variis tradi solent veritatis Metaphysicæ explicationes, quæ tamen, remota, quam quidem inter veritatem Metaphysicam & Logicam committunt, confusione, modo distincte evolvantur cum nostra amicissime conspirant. Quidam Thomistarum dicunt veritatem Transcendentalem denotare *quandam proprietatem realem absolutam, & ratione distinctam ab ente.* Quamvis hæc veritatis notio non determinet, quæ proprietas veritatis nomine sit denotanda, quum unitas etiam sit absoluta & realis entis proprietas; quatenus tamen suam hanc explicaturi notionem dicunt, illa proprietate excludi debere fictum & apparens, seu, mere imaginarium, quale in somniis locum habet, ea-

tenus, quum fictum sit quod repugnantia laborat (§. 277.), & ordine per consequens destituitur (§. 708.), quum in somniis quoque mera regnet confusio (§. cit.); liquet proprietatem illam ejus debere esse indolis, quæ confusioni opponatur, & proinde non posse non in ordine prædicatorum entis consistere. Jure itaque tuemur confusam Thomistarum veritatis notionem, distincte evolutam, nostræ convenire. Simili patescit argumentatione *Areolum* apud *Capreolum* in 1. Dist. 13. q. 3. & *Derodonem* declarantes veritatem per negationem fictionis & apparentiæ, nihil innuere aliud, quam veritatem consistere in negatione confusionis eorum, quæ enti conveniunt, h. e. in eorundem ordine. Neque a nobis dissentiunt cum *Svarezio* Disp. Met. VIII. S. 7. N. 24. 27. dicentes veritatem transcendentalem intrinsece involvere entitatem realem ipsius rei, quæ vera denominatur, vi cujus, intrinsecæ scilicet entitatis apta nata est res facere de se veram æstimationem, quomodo omne ens intelligibile dicitur, sive sit principium cognitionis, sive terminus; Vel cum *Hebenstreitio* p. 495. Phil. Pr. Veritatem esse ipsam rei essentiam, quatenus veram sui cognitionem terminare apta est. Non dissentiunt, inquam, ordo enim eorum, quæ enti conveniunt, h. e. determinationum rei intrinsecarum (§. 201.), non extrinsecam, sed intrinsecam rei involvit entitatem, seu, realitatem, ipsamque rei fundat intelligibilitatem absolutam, quatenus non aliunde, quam ex ultimis cognoscendi principiis, contradictionis scilicet & rationis sufficientis (§. 708. conf. §.) determinatur. Neque

tan-

tandem nobis repugnant, qui cum *Scharffio* in Met. Exempl. L. II. cap. 2. p. 67. & *Rudrauffio* in Metaph. Errante p. 13. aliisque dicunt verum esse id, quod habet essentiam sibi debitam, suæque naturæ competentem, vel qui cum *Welthemio* in Instit. Metaph. p. 1687. contendunt verum vocari ens, quia ea habet, quæ requiruntur ad ens. Ubicunque enim adest ordo eorum, quæ enti conveniunt, ibi etiam ex principiis contradictionis & rationis sufficientis præsto est determinatio eorum, quæ ad ens requiruntur, vel quæ enti inesse debent (§. 708.).

Dicit *Aristoteles* L. VI. Metaph. t. 8. veritatem non esse in rebus, sed *ἐν διανοίᾳ*, quod interpretes, *in mente* reddunt, Libr. de Interpret. t. 5. ait in anima interdum esse *νόημα* h. e. conceptum vel intelligentiam, cui necessum sit verum vel falsum subesse. Quare secundum Aristotelem definienda esset veritas per conformitatem intellectus cum re. Nulla ergo nisi in repræsentando daretur veritas, & res ipsæ essent veræ per extrinsecam denominationem, petitam a veritate, prout est in intellectu. Sed hæc explicatio veritatis, etsi *Musæo*, cap. XXXV. Metaph. probetur, non tamen est hujus loci, sed ad Logicam pertinet, in qua veritas recte explicatur per conformitatem intectectus cum re. In Metaphysicis vero quæritur, quam indolem habeat res, ut intellectui possit esse conformis. Certe si nulla rebus ipsis inesset veritas, nec ulla daretur veritas Logica, quod mox ostensurus sum pluribus. Neque sibi ipsi & suæ hypothesi consentit *Musæus*, quando contra Fonsecam Disputaturus, ait c. 1. *Ponamus ita-*

que per impossibile nullum esse intellectum in rerum natura, aut dato aliquo intellectu, nullam ejus dari hoc vel illo tempore operationem; res tamen omnis est vera res sui generis, vel, speciei, quod quamdiu talis res est, apta manet fundare veram sui cognitionem. V. gr. aurum Ungaricum est verum aurum, etsi feceris, nullum dari intellectum, qui aurum esse cognoscat. Concedit ergo Musæus dari veritatem, rebus ipsis insitam, qua aptæ sunt ad formandam sui ideam in intellectu. Sed hæc ipsa veritas consistit in ordine eorum, quæ enti conveniunt, posito enim hoc ordine, ponitur, ut mox evici, rei intelligibilitas, seu, aptitudo ad sui in intellectu excitandam ideam. Nihil itaque detrimenti hactenus cepit nostra veritatis definitio, modo veritatis Logicæ cum Metaphysica evitetur confusio, quæ a Scholasticis aliisque pluribus commissa in causa est, cur tam multis in scriptis suis Metaphysicis de veritate in prima & secunda mentis operationibus, & ejusmodi aliis disputent; quum tamen hæc non ad Metaphysices, sed ad Logices pertineant forum.

Alii confusionem veritatis Logicæ & Metaphysicæ, prout putant, evitaturi, contendunt veritatem, quam Loquimur, Metaphysicam non consistere in conformitate intellectus, sed inversim potius *in congruentia rei cum intellectu*, seu, cum sua idea, quam de ea format intellectus. Est hæc opinio multorum præsertim vero *Claubergii* in Ontosph. §. 153. *Svicerus* in Not. ad l. c. monet, veritatem recte *statui in convenientia rei cum sua idea, non quod res ab ideis nostris veritatem suam trahant, sed quia naturam suam in ideis*

ideis nostris, tanquam in ὁμοιώματι, *similitudine, imagine & pictura exhibent. Aliam vero longe esse idearum Dei de rebus, a se diversis, illas quippe veritati rerum figere suum* ὅρον *limitem & modum, ut in illis sit* ὁρισμὸς *&* προορισμὸς *definitio & praedefinitio, & verae ideo sint res, quia tales sunt, quales Deus illas ab aeterno, volendo futuras intellexit.* Sed, quia fatente Svicero veritas rerum ab ideis nostris non dependet, quaero unde mens hausit ideam, cui conformanda est res, ut sit vera? si ex rebus ipsis, tunc rebus inerit fundamentum illius conformitatis, & dabitur veritas rebus insita, absque ulla ad mentem relatione, prout mox audivimus Musaeum recte differentem. Si vero non ex rebus ipsis, ergo, quia removetur mentem de se ipsa formare veritates, ab externo originem trahent principio, quod aliud, quam ipse Deus esse nequit. Qui, secundum sententiam Sviceri, pro arbitrio impressit menti rerum ideas. Tacco ex hac Philosophia sequi, quod olim existimavit *Plato*, & quod *Cartesio* etiam gravissimi adtribuunt auctores, omnes nimirum, quas habet & habere potest mens ideas, esse innatas, nullas vero acquisitas, & proinde rerum in mundo materiali veritatem non aliunde, quam ex ideis innatis esse metiendam. Taceo, inquam, hoc, a quo non abhorret *Claubergius*, indefessus Cartesii sectator, & quod ad Psychologiam potius quam Metaphysicam pertinet. Potius urgeo quod gravissimum est, & antea demonstratis repugnat, arbitrarias fore omnes veritates, liberrimaeque voluntati Divinae subjectas. Absurdam autem esse hanc sententiam mecum fatebuntur omnes,

 qui

qui de absoluta essentiarum necessitate & immutabilitate (§. 609. 610.) animum habent convictissimum. Absurdum ergo est, quod de origine veritatis ex Claubergio tradit Svicerus. His accedit definitionem, quam tradit Claubergius, veritatis cum praeceptis pugnare Logicis & re ipsa esse nullam: Dicit enim l. c. Veritatem definitam per congruentiam cum idea, coincidere cum eadem definita per congruentiam cum definitione vel essentia rei. Sed essentia rei cum re ipsa coincidit (§. 332.). Secundum hanc ergo definitionem veritas esset congruentia rei cum se ipsa. Sed in hac notione nulla continetur nota characteristica, qua veritas a ceteris rei realitatibus distinguatur, peccat itaque contra Logices praecepta, & re ipsa est nulla.

Ab his aliquo discedunt modo, qui veritatem Metaphysicam consistere ajunt in congruentia rei, non tam cum intellectu in genere, quam potius cum intellectu Divino. Tuentur hanc sententiam *Fonseca* L. 4. Met. Cap. 2. *Calovius* in Met. Div. p. 340. opp. *Jacbaeus* L. 2. Met. cap. 10. *Christ. Matthiae* disp. 2. Met. p. 307. *Paulus Voëtius* in Phil. 1. Reform. cap. 2. n. 4. *Goclenius* in Lex. Phil. *Mejerus* in Met. Usual. Div. p. 104. Statuentes ultimam omnis veritatis scaturiginem esse intellectum Divinum, in rei ergo cum Hoc intellectu conformitate ipsum veritatis formale esse collocandum. Largior intellectum Divinum esse ultimatum omnis veritatis fundamentum, nullamque illo remote

te dari, vel dari posse veritatem; inde tamen non magis sequitur veritatem in se spectatam per conformitatem cum intellectu Divino esse definiendam, quam ipsas rei possibilitates & essentias, quæ eodem modo ex intellectu Divino radicaliter dependent, per eandem definiendas esse congruentiam. Nemo inficias ibit dari rationem cur intellectus Divinus ideas rerum sic potius formet quam aliter, quare ens, prout verum, ita concipiendum est, ut per naturam intellectus possibilis concipiatur ejus idea, atque sic veritatem in ente absque relatione ad cognoscentem concipere liceat. Necesse enim est detur aliquid in ipsa re unde agnoscatur intellectui Divino conformabilis, quod barbaro aptitudinalitatis vocabulo denotare voluerunt Scholastici. Hoc vero, ubi distincte evolvitur, non potest non, ut mox ostendimus, consistere in ordine eorum, quæ enti conveniunt, quo modo veritatem absoluto sensu definiendam esse contendimus. Elucet deinde conformitatem cum intellectu dicere relationem rei ad aliud, intellectum puta; veritatem igitur rei, hoc modo definitam, non dicere quid veritas in se sit & absolute spectata, sed solum in relatione ad intelligentem. Tacco longe obscuriorem esse conformitatem istam & difficiliorem postulare explicationem veritate ipsa. Non commemoro nos in examine vel probatione alicujus veritatis non recurrere ad intellectum Divinum, & solicite inquirere quam ideam de re proposita habet Deus, indeque rei metiri veritatem; sed potius inspectis rei ipsius determinationihus intrinsecis, non attendendo ad ideam mentis Divinæ,

verum de ea formare judicium. Neque repeto alia, quæ huic obstant sententiæ; satis enim perspicuum esse arbitror justam habuisse *Scotum*, *Vasquezium*, *Mendosam*, *Svarezium*, *Rodericum de Arriaga*, *Musæum*, *Rudrauffium* aliosque ab hac relativa veritatis definitione recedendi causam. Nostra ergo, quam Illustri *Wolfio* acceptam debemus, veritatis notio, in ordine determinationum entis intrinsecarum collocata, inconcussa adhuc manet & immota, usque apud Philosophos recepto confirmata.

§. 711.

Veritas est entis universale attributum. *Omne ens est verum.* Omne enim ens habet ordinem eorum, quæ ei conveniunt (§. 707.), sed quod habet ordinem eorum, quæ ei conveniunt, est verum (§. 710.). Ergo omne ens est verum.

Possemus ex singulis veri definitionibus, quas ex variis Philosophorum placitis mox adduximus ad §. præc. eandem hanc ostendere adsertionem, adeo enim inter se conspirant. Sed in re manifesta non opus judicamus prolixitate ulla.

Originem vero traxit hæc adsertio ex ipsa rei veritate, primus tamen, quantum constat, illam distincte pronunciavit *Aristoteles*. L. 2. Met. cap. I. t. 4. Statuens, *ut unumquodque est, ita & verum esse*. Communi hinc Philosophorum calculo canonis loco adprobatur hoc enunciatum: *Omne ens est verum*. Quod etiam scripturæ sacræ est congruum, sæpius ὄντως pro vero usurpantis. Sic Joh. VIII. 36. ὄντως ἐλεύθεροι, ve-

vere liberi, secernuntur ab iis, qui superba voce libertatem jactitabant, immemores & jugi Romanorum, sub quo gemebant, & servitutis peccati, cui innexi erant. 1. Cor. XIV. 25. ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι. Deus vere inter vos est. 1. Tim. V. 3. & 6. ὄντως vere vidua, opponitur illi, quæ est σπαταλῶσα luxui dedita. Quando Luc. XXIV. 34. Discipuli bini Emaunte Hierosolymam redeuntes condiscipulis dixerunt, Dominus ὄντως revera resurexit, attestari voluerunt resurrectionis certitudini. Plura sciens prætereo loca. Marc. XI. 32. Luc. XXIII. 47. Joh. VIII. 36. Gal. III. 21. 2. Pet. II. 18. Hinc etiam apud LXX. interpretes alternant ἀληθῶς, ὄντως, ἐπ' ἀληθείας.

§. 712.

Si itaque falsum dixeris, quod Falsitas ab ente removetur. confusione non relativa, sed absoluta laborat eorum, quæ ei convenire sumuntur, vel, prout alii loqui amant, quod non habet essentiam debitam; Nullum ens est falsum, sed quod falsum est, illud est non ens. Nullum ens confusione eorum laborat, quæ ei conveniunt (§. 707.). Nullum ergo ens, posito hac falsitatis notione, est falsum. Unde quia inter ens & non-ens omnimoda est disconvenientia, seu, contradictorie inter se opponuntur ((§. 265.), quod falsum est, non-ens esse debet (§. 258.).

Idem, si placet altera falsitatis notio, quæ tamen re ipsa coincidit cum priori, sic ostenditur.

ditur. Quia quodlibet ens habet suam essentiam (§. 305.), & sublata essentia tollitur ens (§. 336.), nullum ens carere potest essentia debita, & per consequens nullum ens est falsum.

Quo sensu falsitas locum habeat.

Recte hinc tuentur Omnes uno fere ore Philosophi falsitatem rebus ipsis non inesse, sed relationem modo involvere ad nostram cognitionem, quæ haud raro fallax est, rebusque ipsis difformis. Logico igitur sensu, quo falsitas denotat disconvenientiam cogitationum cum rebus, non autem Metaphysico falsitatem dari contendimus. Plures itaque, quas quidam Metaphysicorum fusius proponunt, de falsitate quæstiones ad Logicam amandamus. Perspexit hoc *Aristoteles*, quare L. II. Metaph. Cap. I. t. 1. explicaturus veritatis contemplationem partim facilem, partim difficilem esse & arduam, ait: *Fortasse autem, cum difficultas duobus modis accidat, non in rebus, sed in nobis illius causa sita est.* Hinc *Scotus* & alii ejus sectatores ita argumentantur: *Si qua res ex se est cognitu difficilis, ea esset talis respectu cujusquam intellectus, atqui nulla res est cognitu difficilis respectu intellectus Divini, igitur nulla res ex se est cognitu difficilis.* Agitur quidem in his præcise de causa difficultatis, quæ in cognitione veritatis accidit; quatenus tamen eorum fundamentum in eo est situm, quod nulla rebus ipsis insit falsitas, nobis, hoc ipsum, qui præsenti tuemur propositione, se præbent consentientes. Sed ais: *Datur tamen falsum v. gr. aurum.* Nego. Aurum enim, quod falsum dicis, aut est

au-

aurum aut non. Si aurum est, habet omnino requisita auri & est verum aurum, sed si aurum non est, tunc erit vel cuprum, vel orichalcum, vel argentum, vel aliud ex his compositum metallum. Falsum ergo aurum, non datur, accurate & proprie si loqui desideras.

§. 713.

Ultima veri principia. Omnem, qui inter res, earumque prædicata obtinet, ordinem, ex principiis contradictionis & rationis sufficientis ultimato profluere antea evicimus (§. 708.). Est autem veritas ordo eorum, quæ enti conveniunt (§. 710.). *Principia ergo contradictionis & rationis sufficientis sunt fons omnis, quæ datur, in rebus veritatis, h.e. datur in ente veritas, quatenus ea, quæ insunt, per laudata principia determinantur.*

Egregie itaque errant, qui hanc dignitatem soli principio rationis sufficientis vendicare audent, putantes illud, nulla facta principii contradictionis mentione, esse unicum veritatis omnis fundamentum. Certe quum ex principio rationis sufficientis, vere & rigorose sumto, non pendeat nisi quod contingens est; ex hac eorum hypothesi nihil sequeretur aliud, quam veritatem non esse attributum entis Metaphysici, quod & necessaria & contingentia, una comprehendit (§. 591.), sed, quia omne contingens accidentale est (§. 617.), esse illam entis Metaphysici accidens prædicabile, quod tamen quam est novum & inauditum, tam falsum quoque & absurdum merito pronunciatur. Taceo hos e-

osdem auctores, dum in limine Philosophiæ, in ejus cognoscendi principiis evolvendis occupati, statuunt pro necessariis principium contradictionis, pro contingentibus vero principium rationis sufficientis, sibi ipsis aperte contradicere.

§. 714.

Veritatis Logicæ & Metaphysicæ nexus. *Si nulla in rebus daretur veritas Metaphysica, neque locus relinqueretur ullus veritati Logicæ.* Sublata enim veritate Metaphysica tollitur ordo eorum, quæ enti conveniunt (§. 710.), hoc autem sublato tollitur regula, ex qua dijudicari debet: Nam habet omnis ordo regulam, vi cujus examinari debet (§. 696. 697.). Est vero ordinis ratio, secundum quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus (§. 695.), seu, secundum quam determinatur quid enti conveniat, quid non conveniat. Sublata igitur veritate Metaphysica, nulla amplius daretur ratio, juxta quam determinaretur, quid enti conveniat vel minus. Quodvis ergo subjectum absolutissimo sensu indifferens esset ad quodvis prædicatum. Fieri adeo non posset, ut demonstraretur subjecto, vel absolute posito, vel sub adjecta conditione considerato, convenire aliquod prædicatum, seu, ex illo determinari. Quam ob rem, quum veritas Logica consistat in conformitate judicii cum re repræsentata, & ex veritatis criterio agno-

agnoscatur, quod determinabilitate prædicati per notionem subjecti absolvitur; perspicuum est, sublata veritate Metaphysica, tolli Logicam.

Dubio occurritur.

Non itaque adprobo effatum Rev. *Rydelii*, quo in Cap. III. §. 10. Sent. fundam. putatis, *dari veritatem Logicam, tametsi per impossibile, nulla esset veritas Metaphysica: vera enim esset hæc propositio, nullas dari res.* Omnes facile agnoscunt, quod & nos antea demonstravimus (§. 711.), veritatem Metaphysicam tam late patere, ac ipsum Metaphysices objectum, ens, actualia & potentionalia una comprehendens (§. 295.), & æque ac possibile in genere patens, cum quo reciprocatur (§. 228.). Sublata ergo veritate Metaphysica, tolleretur non solum veritas in existendo, sed etiam in essendo omnis, nihilque amplius maneret possibile. Si igitur cum Rydelio per impossibile poneremus, nullam esse veritatem Metaphysicam, & tamen remanere veritatem Logicam, in hac propositione negativa: *nullæ res dantur*; illa huic æquipolleret: *nihil est possibile.* Sed hæc propositio, ut principio contradictionis e diametro repugnans, oppido est falsa. Denuo itaque videmus, sublata veritate Metaphysica, tolli omnem veritatem Logicam. Sed ais: *Sublata veritate Metaphysica, tollitur ipsum contradictionis principium, ad hoc ergo ad examinandam allegatam propositionem, licite non provocatur.* Sed dixisti tamen illam propositionem esse veram, unde autem illud, subverso principio contradictionis, agnoscis? Et quid,

 prin-

principio isto sublato impediret, quo minus eandem statuerem ipse falsam? Nihil sane. Nemo itaque affirmabit, illi propositioni ullam inesse veritatem Logicam. Hinc ergo concludimus non solum impossibile esse, ut tollatur veritas Metaphysica, illa scilicet, quæ in essendo versatur, ipsasque rerum concernit essentias, prorsus immutabiles, sed absolute quoque impossibile, ut, illa remota, remaneat ulla veritas Logica.

Usus Theologicus. Absoni itaque sunt, qui Theologiæ irregenitorum veritatem concedunt Logicam, at Metaphysicam eidem denegantes. In quo errore extat *Christiani* cujusdam *Obadiæ* dissertatio Theologica, de insigni discrimine inter Christianismum & Orthodoxiam, sive inter Theologiam Metaphysice & Logice veram. Eidem huic se addicunt sententiæ *Lysius* in synopsi controv. Art. I. Qu. 4. & *Joachim Langius*, absoni, inquam, & a veritate alieni. Nam si habet Theologia irregenitorum Logicam veritatem, quia, ut demonstravimus, hæc sine veritate Metaphysica dari nequit, habebit quoque Metaphysicam, sine qua veritati Logicæ nullus competeret conceptus; competeret vero secundum mentem adversariorum. Quæ duo, quum in primum cognoscendi principium impingant, simul stare nequeunt. Falsa ergo & contradictoria est adversariorum opinio.

§. 715.

Veritatis Logicæ natura. Ob hanc, quam demonstravi (§. 714.) veritatis Metaphysicæ

eæ & Logicæ connexionem, hujusque ab illa inseparabilitatem, definire licet veritatem Logicam, per *conformitatem cogitationum nostrarum cum veritate Metaphysica.*

Non permittit ratio instituti, quod Metaphysicis destinatum est Lectionibus, ut singula heic tradamus, quæ veritatem concernant Logicam, sufficit nobis genuinum ejus demonstrasse fundamentum, cetera Logicis, suo tempore, expositi sumus Lectionibus. Unum vero vel alterum, sed generale hactenus addere placet, quod apud plerosque observare licet Metaphysicorum.

§. 716.

Conceptus formalis & objectivi connexio.

Conceptus formalis nulli adjudicari debet enti, nisi illi in hoc respondeat objectivus. Per conceptum formalem intelligere solent Philosophi repræsentationem rei in mente; rem vero ipsam repræsentatam conceptu objectivo denotare amant (§. .). Quam ob rem, quia omnis veritas Logica involvit conformitatem cogitationum nostrarum cum veritate Metaphysica (§. 715.), seu, cum re ipsa cogitata & judicata, nullus conceptus formalis adjudicari debet enti, nisi in hoc ei respondeat objectivus.

Sed excipis: *Multis diversisque conceptibus formalibus, quos de Deo formamus, quando concipimus Deum, ut iustum, verum, bonum, simplicem, &c. non correspondent diversi conceptus objectivi, illis tamen*

men nemo ideo falsitatem attribuerit. Non itaque universaliter verum est, quod præsenti enunciatur thesi. Respondemus. Est quidem Deus simplicissimus, omni carens compositione & Metaphysica & Physica, nullisque adeo prædicatis, realiter inter se distinctis, constat; cum simplicitate tamen Dei non pugnat, plures in Eo concipere realitates, formaliter inter se distinctas, quarum quælibet Deum, pro nostro concipiendi modo, inadæquate exhibet, & quatenus formalis distinctio, sub distinctione rationis comprehensa (§. 450.), suo non destituitur in ipsa re fundamento (§. 449.), eatenus etiam recte affirmamus diversis conceptibus formalibus, de Deo formatis, correspondere fundamentum in ipsa re repræsentata, h. e. Deo, & proinde non valere allatam instantiam ad nostram infringendam thesin.

§. 717.

Auctoritas & aliorum consensus veritatis non sunt fundamenta.

Veritas, sive Logica, sive Metaphysica non dependet ab opinione & auctoritate humana. Fontem enim veritatis Metaphysicæ, enti cuivis constanter attribuendæ (§. 171.), non aliunde, quam ex principiis contradictionis & rationis sufficientis scaturire, antea (§. 713.) evicimus. Illa autem principia absolutæ sunt necessitatis (§. 60. 120.), adeoque in se & sua natura immutabilia (§. 598.), non ergo pendula ex opinione & auctoritate humana, quæ constanti subest mutationi. Veritas igitur neque Metaphysica,

ea, neque logica, quia hæc illi conformata esse debet (§. 715.), humanæ auctoritati & opinioni est subjecta.

Vehementer itaque errant veritatem vel ex multitudine idem sentientium, vel ex antiquitate, vel aliis præjudicii auctoritatis idolis derivare studentes. Hujus tamen vitii reos se plures constituunt etiam in Theologicis, ubi Pontificii, quoties aqua ipsis hæret, & Scripturæ dictis constricti tenentur, ad Patres confugiunt. Magni quidem est æstimandus unanimis Patrum primitivæ Ecclesiæ consensus; non tamen admittendus, nisi quatenus in sacra scriptura est fundatus. Unde B. *Augustinus* Epist. VIII. *Ego solis Scripturarum libris didici hunc honorem habere, ut nullum eorum auctorem scribendo errare aliquid firmissime credam. Alios autem sic lego, ut quantalibet sanctitate doctrinæ præpolleant, non ideo verum putem, quia illi sic locuti sunt, sed quia mihi, vel per auctores canonicos, vel alia probabili ratione, quod a vero non abhorreant, id persvadere potuerunt.*

§. 718.

Nexus veritatis Metaphysicæ & disciplinarum.

Ubi a Metaphysica, cujus objectum est ens in genere, discedimus, reliquæ disciplinæ omnes Philosophicæ, de hoc vel illo ente in specie, vel de aliquo ente singulari, agunt. Atque adeo, quum ens Metaphysicum sub se contineat omnes entium species, omneque singulare, evidens est, *sublata veritate*

Metaphysica, h. e. sublata illa veritate, quæ enti in genere convenit (§. 711.), *tolli simul veritatem omnium reliquarum disciplinarum.*

Idem ex arctissima, quæ inter veritatem Logicam & Metaphysicam datur, connexione ostenditur: Quia enim in disciplinis tradi debent propositiones universales, cum alias nullus earum in vita sit usus, nullaque in illis locum habeat demonstratio, ex puris particularibus, ut Logica docet, nunquam desumenda, sublata autem veritate Logica, tollitur veritas propositionum universalium, & sublata veritate Metaphysica tollitur Logica (§.714.); si nulla daretur in rebus veritas Metaphysica, subverteretur omnium disciplinarum possibilitas.

Patet hinc denuo, quod discursu præliminari uberius proposui, quam amplus & eximius sit Metaphysices usus, per omnes & singulas disciplinas Philosophicas continua serie se extendens.

§. 719.

Verum cum ente reciprocum. *Omne verum est ens.* Verum enim dicitur, quod habet veritatem, seu, ordinem eorum, quæ enti conveniunt (§. 710.). Ordo autem omnis per principia contradictionis & rationis sufficientis determinatur (§. 708.). Quam ob rem omnis ordo est conceptibile quid (§. 73.), & aliquid (§. 75.), adeoque & ens (§. 238.). Omne ergo verum ens est. Idem indirecte sic ostenditur: Ponamus aliquod verum non es-

se

se ens; erit ergo non-ens (§. 265.) & ideo absolute impossibile quid (§. 259.), consequenter in se contradictorium (§. 128.), & principio contradictionis repugnans (§. 54.). Sed hoc veritatis indoli repugnat (§. 713.). Fieri ergo nequit ut verum sit non-ens. Est ergo ens.

Quod plerique docuerunt veterum ens & verum inter se converti, extra omnem dubitationis aleam ponunt demonstrata in hac & 711. §§pho. *Stalius* in discursu super Tab. Metaph. 22. p. 40. 89. ostendere quidem conatur, ens & verum simpliciter non converti. Putat enim res a veritae denominari non absolute, sed cum apposito, i. e. vocem, *verum*, solam non stare loco prædicati, sed cum adjuncto alio nomine: sic porrecto auro hungarico non recte dici, hoc est verum, sed dicendum: hoc est verum aurum. Quantum assequor, mens est Clarissimi viri ad ostendendam & indagandam veritatem hujus vel illius rei in specie, notionem veritatis generalissimam non sufficere, sed requiri determinationem cuilibet speciei convenientem. Lubens largior eam esse veritatis rationem, ubi ad specialia ostendenda fit descensus; inde tamen nisi distinctissima confundere velis, non sequitur generalissimam veritatis notionem de ente in genere absolute non prædicari. Quid, quod si hæc generalis assertio non esset vera, neque de ullo in specie ente prædicaretur veritas, seu, ut verbis utar Stalii non daretur veritas cum apposito. Rectius itaque cum *Thoma* P. I. qu. 16. art. 3. aliisque contendimus verum & ens simpliciter converti, parum curantes quod abusive de privationibus, quæ non-entia sunt (§. 282.), qua-

tenus scilicet non intelliguntur nisi in relatione ad ens reale, prædicetur veritas.

§. 720.

A vero removetur contradictio. *Consequitur hinc verum constare non posse determinationibus sibi mutuo contradicentibus. Et vicissim, quod constat, vel potius constare fingitur, determinationibus se mutuo destruentibus, non esse verum.* Est enim omne verum ens (§. 719.), & proinde absolute possibile quid (§. 228.), nullisque idcirco determinationibus, inter se pugnantibus constans (§. 128.). Verum ergo quod est, contradictoriis non laborat prædicatis. Q. E. U.

Vicissim. Quod determinationes habet, inimicis confligantes cornibus, seu, quod in se & sua natura est contradictorium, absolute est impossibile (§. 128.), & non-ens, cui denegandam esse evicimus veritatem (in §. 719.). Quod ergo determinationibus, se mutuo destruentibus constat, verum esse nequit. Q. E. A.

Ostensum est prius (§. 713.). fontem omnis, quæ rebus inest veritatis esse principia contradictionis & rationis sufficientis. Nihil ergo principio Contradictionis repugnans verum esse potest. Duplici igitur argumento convictissimi sumus de veritate præsentis regulæ, ad cujus tenorem naturali mentis dictamine, quia innatum est hoc, quod loquor, principium (§. 52.), adeo proni sumus omnes ad judicium de verita-

te rei oblatæ ferendum, ut nihil huic adsertioni addi posse lucis videatur, voluimus tamen demonstrationibus adjectis plenariam ei conciliare certitudinem, ut tandem desinant contradictoria pro veris habere multi eruditorum. Pontificii transubstantiationem in sacra cœna fingentes, vitii hujus se constituunt reos; occurrunt enim heic determinationes, se mutuo destruentes. Nimirum cogitatio corporis Christi, ex pane hic & nunc oriundi, nec tamen hic & nunc ex pane eliciti, sed ex Maria virgine nati; vel cogitatio corporis Christi, cælo devecti, & in locum destructæ panis substantiæ surrogati; & tamen non surrogati, sed per mutationem formati, manifestam transubstantiationi inferunt pugnam, quæ omnem vel veritatis speciem ei adimit.

Usus Theologicus.

§. 721.

Veritas, in generalissimo accepta sensu, non est nisi una eademque, minime vero multiplex & a se diversa. Veritas, quam loquor, Metaphysica consistit in eorum, quæ enti conveniunt, ordine (§. 710.), qui omnia & singula comprehendit entis interna prædicata (§. 707.). Extra illum ergo ordinem non datur alius, enti conveniens Metaphysico, circa alia, ut ei competentia occupatus, prædicata. Non itaque multiplex (§. 665.), sed unus est ordo eorum, quæ enti conveniunt, unaque proinde veritas Metaphysica (§. 710.(.

Veritatis unitas.

Reciprocatur videlicet veritas Metaphysica cum ente Metaphysico (§. 711. 719.), cui unitatem attribuendam esse antea evicimus (§. 654.). Ostendimus quoque veritatem hanc ex principio contradictionis & rationis sufficientis unice determinari, nec unquam ex aliis & diversis pendere principiis (§. 713.). Duplici itaque argumento radiat præsens enunciatum, non multiplicem, sed unam statuens veritatem.

Veteribus hæc placet formula: *Veritas est tantum una*, quam, in se verissimam, ut demonstrent, distincta veritatis Metaphysicæ notione destituti, vario se torquent modo. Eorum accuratiores dicunt veritatem unius ejusdemque rei non esse nisi unicam. Recte quidem, sed illud, ut particulare, nam ad particulares ab iisdem semper adplicatur casus, sub nostro universali comprehendi effato patet, quod ergo latius veterum illa extenditur regula.

Ceterum non alium, quam quem expressi, habere videtur sensum, hoc enunciatum: *Veritas est indivisibilis*, vel, *veritas consistit in indivisibili*, item: *veritas consistit in puncto*. Eatenus enim indivisibilis est veritas & in puncto consistit, quatenus una est & non multiplex, seu, a se diversa, generalissimo scilicet accepta sensu, quod non magis impedit eam in varias dispesci species, quam enti obstat, ei adjudicata unitas, in varias dividi classes.

§. 722.

In veritate non dantur gradus. *Dari nequit verum altero magis vel minus verum*. Est omne verum ens (§.719.), & omne ens verum (§. 711.),

711.), quare si daretur verum altero magis vel minus verum, daretur simul ens, quod altero magis vel minus ens esset. Consequenter, quum absolute possibile cum ente reciprocetur (§. 228.), daretur absolute possibile altero magis vel minus possibile. Quia vero magis possibile relationem habet ad minus, & hoc vicissim ad illud; minus possibile conflatum esset ex partialibus notionibus, partim sibi mutuo repugnantibus, partim non, hoc est, idem esset possibile & impossibile simul (§. 124. 125.). Hoc autem per principium concontradictionis manifesta laborat absurditate. Dari ergo nequit magis & minus possibile, & per consequens, neque magis & minus verum.

Idem sic ostenditur: Omnem veritatem ordine eorum, quæ enti conveniunt, absolvi docuimus (§. 710.), falsitatem contra, confusione eorum, quæ ei convenire sumuntur constare (§. 712.). Si igitur aliquod minus daretur verum, conflatum illud esset ex veritate & falsitate simul, adeoque ordine & confusione simul constaret. Nullum vero ens confusione eorum laborare potest, quæ ei conveniunt (§. 707.). Absurdum ergo est aliquod minus statuere verum, absurdum etiam aliquod magis verum fingere, quum hoc, unice ex relatione ad illud, intelligatur.

Veritas itaque, in se & absoluto spectata sensu, nul-

nullos admittit gradus (§. 487.), sed omnis certa manet & determinata, ex sæpius laudatis principiis unice profluens (§. 713.); in relatione tamen ad finitum intellectum, cui non datum est, rerum, qualis est, omnium introspicere nexum cum ultimis istis principiis, Logico igitur sensu, non Metaphysico, vel, si placet, subjective, non autem objective, recte dispescimus inter veritatem certam & probabilem, quarum illa cognitionem importat, ab oppositi formidine remotam, hæc vero ab oppositi formidine non immunem, Utriusque indolem fusius exponit Logica: Præsentis autem est instituti objectivam considerare veritatem, quam ab omni graduali divisione remotissimam esse demonstravi.

§. 723.

Inter veritates removetur oppositio. *Veritas veritati opposita dari nequit.* Opposita sunt quorum unum involvit negationem alterius (§. 424.). Si ergo opposita daretur veritas, altera involveret, quod negatur in altera. Quare si altera denotaret eorum, quæ enti conveniunt ordinem, quem, siquidem ut veritas ponitur, denotare debet (§. 710.), altera negaret ordinem, meramque proinde, vi oppositorum (§. 426.), involveret confusionem (§. 704.): Sed hæc eadem veritas, quia talis ponitur, simul absolvi deberet ordine eorum, quæ enti conveniunt (§. 710.). Hoc vero manifesto impingit in principium contradictionis, cui nulla repugnare potest veritas (§. 713.).

Non

Non ergo dari poteſt veritas, veritati oppoſita.

Sermonem heic eſſe de vera oppoſitione quivis, vel me tacente, intelligit, alias enim negari nequit dari veritatem veritati apparenter oppoſitam. Non dicam quam ſæpe auctores, inter ſe de veritate diſputantes, verbis ſolum diſſentiant, re autem ipſa unam eandemque tueantur veritatem, id potius urgebo dari in ſpriptura ſacra ipſaque revelata Theologia multas enunciationes, externe & ſecundum apparentiam dijudicatas, cum veritate Philoſophica pugnantes, quæ tamen obſervatis conditionibus, in utraque diſciplina diverſis, vi quarum de ſubjecto enunciatur prædicatum, nullo vero & reali modo inter ſe dimicare deprehendentur. Ex. gr. ſit hæc propoſitio Philoſophica: *Ferrum in aqua deſcendit*, quatenus ſcilicet gravitas illius, quæ ei eſſentialis non eſt, ſpecifice ſuperat gravitatem hujus, & ab alia externa cauſa non ſuſtentatur. In ſcriptura ſacra dicitur: *Ferrum aquæ innatat*, quatenus a ſupernaturali Dei virtute, vel plane tollitur gravitas ferri, quæ, quia accidentalis eſt, tolli omnino poteſt, non repugnante Philoſophia, vel minuitur illa, in relatione ad gravitatem aquæ; vel etiam manente eadem gravitate ferri, augetur illa aquæ; vel tandem relicta utrobique eadem gravitate, externa vi ſuſtentatur ferrum. Diverſa itaque conditio ferri, aquæ innatantis, & in eadem deſcendentis, veram inter Theologiæ & Philoſophiæ enunciata tollit pugnam. Idem habendum eſt de exemplo, quod ex Maria virgine, quæ Chriſtum ſi-

ne viro peperit, desumi solet. Urget Physica virginem sine consvetudine cum viro concipere & parere non posse liberos, quamdiu scilicet vires corporum in naturali situ relinquuntur. Fide autem Scripturæ credimus Mariam virginem sine consvetudine cum viro, Salvatorem nostrum, Deum in secula benedictum, concepisse & peperisse, speciali scilicet & extraordinaria accedente Altissimi virtute, cui tota natura, omnesque ejus virtutes, debitum ubique præstant obsequium. Confer de cetero, si placet, quod in Discursu præliminari (§. 32.) de harmonia Revelationem inter & rationem demonstravi.

§. 724.

Inter veritates nulla contrarietas & contradictio.

Est oppositio vel contrarietatis, vel contradictionis (§. 424.), sed dari nequit veritas veritati opposita (§. 723.). *Neque ergo dabitur veritas veritati contraria vel contradictoria.*

Quidam Metaphysicorum has regulas: *Verum vero non contrariatur*, &, *verum vero non contradicit*, immiscere solent regulæ, mox (§. præc.) explicatæ; quum tamen, ut alii observant, in methodo accuratiores, illæ ex hac per modum consectariorum distinguantur & fluant, præstructa oppositionis distincta notione.

§. 725.

An ex antiquitate dependeat veritas.

Perbrevi jam examine ponderemus effatum, multis Metaphysicorum absolute vel cum di-

discrimine adprobatum: *Antiquissimum quodque verissimum.* Peccat illud & ratione prædicati positi & ratione subjecti. *Ratione prædicati*, quod termino: *verissimum*, in superlativo exprimitur gradu, qui semper relationem involvit ad alios inferiores: Verum autem nullos agnoscit gradus, nec alterum altero magis verum datur (§. 722.). Inepta ergo est illa, verissimi adpellatio, loco prædicati posita. Ubi secundum communem & receptum loquendi morem referimus terminum: *Antiquissimus*, subjecti loco positum, ad tempus, seu, successionem rerum in hoc mundo, fallit etiam effatum illud ratione subjecti: Neque enim qui plures annos natus est homo, illico verior est eo, qui pauciores suæ ætatis numerat. Immo, tantum abest, ut majores, multo nobis antiquiores, veriores idcirco homines, nobis hodienum viventibus sint, ut ne sint quidem adhuc veri homines in existendo scilicet, cum esse desierint: neque etiam quod antiquissimi Chaldæi, Ægyptii & Græci olim in Philosophia dixêre, ideo a recentioribus promiscue ut verum adprobatur, vel adprobari debet (§. 717.).

Usus Dictorum Theologicus.

Frustra ergo Pontificii ex hoc effato, & prætensa ecclesiæ suæ antiquitate, ad illius argumentantur veritatem: Primum enim sua veritate destituitur illud pronunciatum, prout termini

mini sonant acceptum. Deinde falsum est Romanam Ecclesiam, qualis nunc deprehenditur, impura, scilicet, & variis humanis traditionibus falsata, esse antiquiorem Evangelica, quæ jactis a Salvatore fundamentis, omni fide humana firmioribus, ab Apostolorum usque tempore viguit. Diuque ergo ante quam in lucem publicam erupere Romanenses fabulæ. Taceo Pharisaicam religionem esse Papistica antiquiorem, illi tamen ne ipsi quidem Potificii, aliquam veritatis ideo tribuere volunt prærogativam. Absit itaque ut antiquitatis studio occupati vel ullum de veritate feramus judicium.

§. 726.

Divisio veritatis in necessariam & contingentem. Unitatem veritati, generalissime acceptæ, adjudicatam (§. 721.), non obstare quominus in diversas dispescatur species, & per se patet, & ex iis, quæ citato loco brevissime attuli, firmum arbitror. Præmissa ergo jam generalissima veritatis doctrina ad species ejus evolvendas nos accingimus. Diximus veritatem esse ordinem eorum, quæ enti conveniunt (§. 710.). Est autem ordo vel necessarius vel contingens (§. 698.), ita quidem, ut inter has binas ordinis classes non detur alia, quæ medio stet loco (§. 591.). Recte igitur veritatem in *Necessariam* & *Contingentem* distinguimus. *Illa* est ordo necessarius, *hæc* contingens eorum, quæ enti conveniunt, seu determinationum entis intrinsecarum.

Ex.

Ex. gr. Veritas necessaria est: *Deum existere*. Ordo enim eorum, quæ Deo conveniunt, salva Dei essentia, alius esse nequit, quam ut existentiam simul includat, est itaque necessarius (§. 698.), qui veritatem generat necessariam. Eadem consideratione necessaria est veritas: *linea recta ex aliquo peripheriæ circularis puncto in diametrum perpendiculariter demissa, sibi proportionaliter secat diametrum*, Salva enim circuli essentia alius esse nequit ordo harum linearum. Qui ergo necessarius est & veritatem efficit necessariam. Et contra contingens est veritas: *ferrum est grave*. Gravitas enim necessariam cum essentia ferri non involvit connexionem. Eodem modo contingens est veritas, Keglitas Davidem Sauli tradituros; si Kegilæ David permansisset: fundatur enim in conditione seu ordine contingente.

§. 727.

Veritas itaque necessaria & contingens per suas notiones sibi mutuo opponuntur. Conveniunt inter se veritas necessaria & contingens, quod utraque ordinem eorum, quæ enti competunt, involvat (§. 726.). In eo autem differunt, quod illa denotet ordinem necessarium, hæc contingentem (§ cit.) Necessarium vero est, quod aliter positum, involvit negationem possibilitatis (§. 589.), contingens, quod aliter positum, nullam infert possibilitatis negationem (§. 590.). Continetur itaque in necessario, quod negatur de contingente, il-

Veritatis Necessariæ & contingentis oppositio.

 lud

lud igitur huic opponitur (§. 424.). Et per consequens veritas necessaria & contingens per suas notiones sibi mutuo opponuntur.

Antea quidem evicimus non dari veritatem, veritati oppositam (§. 723.), Sed egimus eo loco, prout accuratior demonstrationis, ibi occurrentis, inspectio edocet, de veritate in genere, quæ sibi ipsi opposita esse nequit. Hæc autem oppositionis negatio non impedit quominus hoc loco defendamus dari binas oppositas veritatis species: Nam quamvis veritas necessaria & contingens materialiter conveniant; quatenus sub uno veritatis genere comprehenduntur; formaliter tamen & qua specificam differentiam, cuivis competentem speciei, sibi mutuo opponuntur. Sed hæc oppositio non officit adsertioni, quam antea (§. 723.) attulimus, & qua volumus, positis eodem subjecto & prædicato, non dari posse diversam & sibi oppositam veritatem. Ita, ut si vera est hæc propositio: *A est B*, non possit simul vera esse, quæ ei opponitur: *A non est B*, Nam e diametro hoc repugnaret principio contradictionis. In veritate necessaria & contingenti est quidem, ut modo dixi, idem materiale, seu, subjectum, *Ens*; non tamen idem est formale, seu, prædicatum: In priori enim non nisi essentialia & attributa, in posteriori autem non nisi accidentalia de suo subjecto prædicantur. Inter utramque ergo hanc veritatem nulla vera & realis, sed notionalis tantum datur oppositio, in abstracta forma, non autem in adplicatione ad rem conspicua,

§. 728.

Manifestum hinc fit veritatem necessariam & contingentem ex eodem non pendere principio. Nam veritas necessaria contingenti opponitur (§. 727.), utriusque igitur opposita est, unde intelligatur, ratio sufficiens (§. 427.), non ergo eadem, sed diversa (§. 429.). Est autem omnis veritas eorum, quæ enti conveniunt, ordo (§. 710.), qui omnes unde dijudicatur & intelligitur (§. 697.), certam postulat regulam (§. 696.), quæ rationem complectitur ordinis sufficientem (§. 695.). Veritas igitur tam necessaria, quam contingens, quia utraque de veritatis notione in genere participat (§. 726.), habent suas regulas, seu principia, rationem, unde intelliguntur, complexa sufficientem. Modo autem evicimus rationem veritatis necessariæ & contingentis esse diversam. Ex eodem ergo pendere nequeunt principio veritas necessaria & contingens, sed a se mutuo diversis superstructa est, quamlibet sigillatim intelligendi ratio. *Veritatis necessariæ & contingentis diversitas ratione principii*

Conveniunt quidem veritas necessaria & contingens in generali conceptu, & eatenus in idem generalissimum resolvuntur principium; differt tamen altera ab altera per notionem cuilibet specificam, & eatenus inter se opponuntur (§. 727, diversisque non possunt non inniti principiis specificis. Quem ad modum ex eo-

dem fonte, eodemque temporis momento, amaram & dulcem haurire non licet aquam, ita ex eodem principio derivari nequit ferrea & absoluta rerum necessitas, lenisque & blanda earum contingentia. Nemo non intelligit principium, ex quo determinatur veritas necessaria, quà talis, & ipsum debere esse necessarium, veritatemque ad quam adplicatur necessariam reddere. Principium autem, ex quo fluit veritas contingens, quà talis, utut in se, h. e. in actu suo signato, necessarium sit; in actu tamen suo exercita, h. e. ad veritatem, inde deducendam, adplicatum, eam non efficere necessariam, sed in sua relinquere contingentia salvam.

§. 729.

Veritatis necessariæ & contingentis principia. *Veritas necessaria dependet ex principio contradictionis, ex quo veritas contingens, quà talis, determinari nequit, ex principio rationis sufficientis unice pendula.* Veritas necessaria ordinem involvit necessarium (§. 726.), & proinde ex principio contradictionis determinatur (§. 709.). Q. E. Primum.

Veritas necessaria & contingens ex eodem pendere nequit principio (§. 728), sed ex principio contradictionis determinatur veritas necessaria (per. dem.). Non ergo ex eodem principio determinabitur veritas contingens Q. E. secundum.

Contingens hæc veritas, ordine exprimi-

tur ejusdem nominis (§. 726.), qui ex principio rationis sufficientis profluit (§. 709.). Quod ergo veritatis contingentis imum est principium. Q. E. Tertium.

Multa quidem addi possent tum de penitiori horum principiorum indole, tum etiam de ulteriori utriusque discrimine, sed memini me utrumque hoc præstitisse in primo & secundo capitibus sectionis primæ. Plura itaque hoc loco non addimus.

§. 730.

Veritas necessaria versatur circa essentialia & attributa entis, veritas autem contingens, circa ejus accidentia. Constituitur veritas necessaria necessario contingens contingenti eorum, quæ enti competunt, ordine (§. 726.). Quæ autem enti competunt, sunt vel essentialia vel attributa vel accidentia (§. 372.). Ordo, quem essentialia & attributa habent (§. 707.), non potest non esse absolute necessarius (§. 609. 613.). E contra ordo, quem tenent accidentia (§. 707.), contingentem accidentium imitatur naturam (§. 616.). Recte ergo concluditur veritatem necessariam versari circa essentialia & attributa entis, contingentem autem circa ejus accidentia. *Veritatis necessariæ & contingentis objecta.*

Sollicite animo est tenendum, quod inter veritatem necessariam & contingentem stabilivimus discrimen, ne utriusque admissa mixtura,

putemus veram dari inter Theologiam & Philosophiam pugnam. Multæ profecto sunt veritates in Philosophia contingentes, quas certis in circumstantiis mutatas voluit Deus. Necessarias autem veritates, quia circa essentialia & attributa rerum occupantur, & dependent ex immutabili Dei intellectu, nullæ unquam mutationi subjicit Sanctior Spiritus, qui a semetipso dissentire, vel semetipsum abnegare nunquam potest. Non quod Ei aliqua desit potentia, sed quia ejusmodi non sunt objecta ullius potentiæ. Veritas, quæ circa motum planetarum, quibus ille non est nisi accidentalis, versatur, contingentium classi merito adnumeratur. Sed hæc eadem veritas mutata, vel aliquamdiu suspensa fuit tempore *Josuæ*, quo immota quievit tellus per integri Diei spatium. E contra veritates v. gr. Arithmeticæ abstractæ de numerorum additione, subtractione, multiplicatione & divisione, ex ipsis numerorum definitionibus, h. e. essentiis deductæ in scriptura sacra nunquam mutantur, sed, eædem, prout in Arithmeticis, adhibentur. Immo Apostolus *Paulus* Rom. 11. 6. ostensurus bona opera non ingredi opus electionis, utitur principio contradictionis, ut immutabili veritate. Hoc autem, quod veritatis necessariæ imum est fundamentum (§. præc.), in scriptura sacra adprobato, quicquid ei jure superstruitur etiam ut immutabile adprobasse est censenda. Jure igitur adplicantur veritates Metaphysicæ, quæ omnes & singulæ necessariæ sunt, ad explicandas, probandas, & vindicandas res Theologicas, modo tamen, quem in Limine Metaphysices nostræ expressimus.

Absit enim per omnem modum putemus Divinæ Theologiæ repugnare principia Metaphysices, vel hæc in illa esse mutata, id namque interest maxime inter genuinam spuriamque revelationem, quod altera absurdorum alienorumque a ratione dogmatum coargui possit, altera non item.

§. 731.

Veritas necessaria, circa essentialia & attributa rerum (§. 730.), consequenter circa existentiam quoque entis Necessarii occupata (§. 626.), *Veritas in Essendo* ab aliis dici solet, a qua quum *veritatem in existendo* diversam statuant, præter veritatem contingentem nihil illa designabit aliud (§. 726.), quæ circa rerum accidentia versatur (§. 730.) enti nonnisi existenti attribuenda (§. 368.), quorum primitivum est ipsa entis contingentis existentia (§. 626, 530.). Hinc etiam in relatione ad principia (§. 729.) definire licet *veritatem in Essendo* per illum eorum, quæ enti conveniunt, ordinem, per principium contradictionis determinatum: *Veritatem* autem *in existendo* per eorum, quæ enti conveniunt, ordinem, ex principio rationis sufficientis derivandum.

Veritas in Essendo & existendo.

Quem ad modum alii, ut antea observavimus (§. 713.), Metaphysicam expositari veritatem, illam unice ex principio rationis sufficientis pendere putant, veritatemque igitur Metaphysicam absolvi conceptu veritatis in existendo; ita e

contra dantur plures alii, qui veritatem transcendentalem, seu, Metaphysicam nihil præter veritatem in essendo involvere existimant. Plus quidem rationis horum, quam illorum, subest opinioni, neutram tamen, accurate loquendo, ut genuinam & rei congruam assumere licet. Illius mox tradidi incommoda, hujus vero perbrevi, jam enarratione expositurus. Certum est veritatem in essendo, nullius entis, necessarium si exceperis, includere existentiam. Fateor equidem ens in genere, quod Metaphycises constituimus objectum (§. 10.), ratione internæ suæ possibilitatis, quæ cum ipso reciprocatur, esse necessarium omne (conf. not. ad §. 625.), & eatenus veritatem Metaphysicam, quæ cum ente reciprocari potest, esse necessariam omnem, illaque in essendo constituta absolvi; quatenus tamen ratione existentiæ, vel magis adplicate ad conceptum entis in genere, ratione modi, quo existentia enti non repugnat, ens est vel necessarium, vel contingens (§. 625.), cujus utriusque tradere principia Metaphysices est munus, veritati Metaphysicæ generalissime acceptæ, adjudicandam esse censeo notionem, quæ veritatem tam necessariam, quam contingentem, h. e. cum illam, quæ in essendo, tum illam, quæ in existendo consistit, una comprehendat. Me itaque judice non completa est veritatis Metaphysicæ notio, veritatem in essendo solum complexa.

§. 732.

Veritatis in existendo divisio. Veritas in existendo, seu, contingens (§. 731.), in tot iterum abit classes, in quot entia contingentia re-

recte dispescuntur. Esse vero illa vel simplicia vel composita, ex his independenter suo constabit loco. *Illa*, quorum scilicet existentiam certo novit ratio, sunt nonnisi spiritus, & speciatim animæ humanæ; *Hæc* mundo corporeo continentur. Illa Pneumaticæ, & speciatim Psychologicæ, hæc Physicæ subsunt tractationi. Duplex hinc exsurgeret veritas contingens, altera Psychologica, altera Physica, quia tamen aliorum spirituum finitorum existentiam demonstrare nequit anima humana, quam suæ ipsius, quæ cum corpore organico est arctissime conjuncta, & per illud suas exserit operationes, non relinquitur alia in existendo veritas, nostræ subjecta demonstrationi, quam *Physica*, ordinem eorum, quæ in mundo corporeo existunt, involvens, sub qua etiam veritatem animæ in existendo comprehendere licet, non eo sane sensu, ac si anima esset corporea, vel aliquod corporeum phænomenon, absit, sed quod in mundo corporeo, corpori organico associata existat.

§. 733.

Veritas subjectiva & objectiva.

Veritatem hanc Physicam cum Cel. *Canzio* in Ontol. Polem. §. 117. duplicem facimus, aliam scilicet *Subjectivam*, aliam *Objectivam*, illa est ordo perceptionum nostrarum & rerum in mundo existentium, quæ illis respondent, & vicissim a perceptionibus nostris repræsentantur.

 Hæc

Hæc eſt ordo eorum, quæ ſunt vel fiunt in mundo corporeo, & ſecundum vires corporum motusque leges adtemperatus.

Poſterioris tot ſunt exempla, quot in adſpectabili hac mundi Machina dantur corpora, eorumque phænomena, per vires corporum motusque leges ſemper explicanda. Prioris exemplum eſt 1. Joh. I. 1. Quicquid videmus, audimus, palpamus in natura vere exiſtit. De hac dubitat Apoſtolus *Petrus*, repentino Dei auxilio vinculis ſolutus, & e manu Herodis populique Judaici liberatus: Non enim propter aliam rationem ſomnio viſa phantasmatum loco habemus, quam quod illa ſine ratione ſufficiente fieri obſervamus, nec eadem cum ordinario naturæ curſu connexa deprehendamus. Quare non mirum eſt, Divum virum, ſomno excitatum, ſtatim non potuiſſe repentinam ſuam liberationem, cum diurnis perceptionibus, quibus ſe vinctum perſenſerat, connectere & noſſe an verum vel imaginarium eſſet, quod ſibi contingeret, donec aliquamdiu ſibi relictus, animum ſuum de vera ſui liberatione firmare valuit.

Veritati autem huic ſubjectivæ prorſus contradicunt Idealiſtæ, negantes a noſtra perceptione ad rei perceptæ exiſtentiam recte concludi. Non fert inſtituti ratio, ut horum dubiis excutiendis, aliquam tribuamus operam, facturi id ſumus in Pſychologicis. Largior equidem quod adparet verum non ſtatim eſſe, ſeu tale eſſe, quale adparet; ſic hypocrita ſpeciem pietatis præ ſe fert, ſine vera pietate; inde tamen non ſequitur perceptiones noſtras eſſe fallaces, ſed præ-

præproperum de rebus, sensu perceptis, judicium, haud raro fallere: sensuum enim non est internam perceptorum dijudicare indolem, hoc rationis & judicii est munus, sensuum res animo exhibere existentes. Sed manum, uti dixi, de tabula.

CAPUT IX.
DE
PERFECTIONE ET BONITATE.

§. 734.

Instituti ratio & usus Doctrinæ.

Perfectionem & unitatem inter unita entis attributa omnes referre solent Metaphysici, licet multi eorum distinctis de perfectione & bonitate notionibus destituti, vel nullam, vel non congruam, inter illam & hanc statuant differentiam. Est quidem illa, ut fateor, exigua, admodum enim cognata sunt perfectio & bonitas, accurate tamen loquendo unam cum altera non coincidere docebit utriusque notio, sigillatim mox evolvenda. Esse vero hanc de perfecto & bono doctrinam, generalissimis Metaphysices suffultam principiis, amplissimi per omnes disciplinas, vitamque communem usus, nemo vel leviter doctus ignorare potest. Quis enim sine hac de perfectione mundi, hoc seculo, si quoquam alio, maxi-

maxime controversa; propriæ animæ ejusque operationum etiam moralium, exasciatum ferat judicium? Quis infinitatem Dei, hac ignorata, contra pessimam atheistarum turbam vindicabit? Nemo sane, quum omnes de hoc vel illo perfecto & bono in particulari ideæ tandem & ultima analysi resolvantur in ideas perfectionis & bonitatis Metaphysicas, quas ergo, quantum in hac valeo imperfectione, evolvere & distincte proponere annitar.

§. 735.

Definitur Consensus. Tendentiam plurium ad idem aliquod commune, scopum, finem, vel quocunque alio nomine veniat, obtinendum, præstandum, vel exhibendum, *Consensum* adpellamus.

Sensu Morali & Juris *consensus* denotat actum voluntatis, quo idem fieri vel non fieri volumus, quod fieri vel non fieri vult alter. Hinc in Jure Romano L. 1. §. 3. de pacto. Consentire dicitur, *qui ex diversis animi motibus in unum, h. e. in unam sententiam decurrit*. Facile patet specialem hanc consensus explicationem sub generalissimo, quem hoc loco exhibuimus, contineri: Nam si verum est, est verissimum, Consensum moralem significare tendentiam voluntatum in eandem sententiam, remota determinatione speciali, quæ huic adhæret ideæ, erit consensus in genere tendentia plurium ad idem aliquod commune exhibendum. Qui ex Logicis didicit quo modo ex data speciei notione, abjecta

scili-

scilicet determinatione specifica, retentaque generica, quae simul cum illa completam speciei notionem ingreditur (§. 576.), formetur notio generis, species complectens, haud dubitabit de generali consensus idea, quam, Illustri *Wolfio* in Ont. Lat. §. 503. praeeunte, adprobavi & adsumsi. Velim de cetero notetur per *tendentiam ad unum aliquod commune*, me non intelligere causatum, ex suis proveniens caussis, quod quidem ex generalissima idea non exclusum volo; tale tamen non est, ut exhauriat omne, quod termino complexo: *idem aliquod commune*, designare volui. Omnes certe Dei proprietates infinitae, operationes & internae & externae, exactissime inter se consentiunt; nemo tamen putabit *idem illud*, ad quod tendunt, & quod per infinitam beatitudinem & in se ipso acquiescentiam haud male explicaveris, esse earundem proprietatum & operationum effectum. Duplici sane nomine hoc implicaret, altero, quod absurde inferret aliquod ens se ipsum actuare (§. 296.); altero, quod ex independente, qualis Deus est, impie constitueretur dependens. Sed si mihi vitio vertas terminum illum complexum: *idem aliquod commune*, commune illud non determinate indicare, scias precor deesse mihi aptum & conveniens nomen ad denotandam universalissimam, quam animo volvo, ideam, huic, in quo versor, negotio parem. Suppleas ipse si placet, quem putas, defectum, non refragabor, modo exacte adimpleas muneris desiderati partes.

Notetur deinde me in definitione consensus dicere, *tendentiam plurium*, indeterminata iterum dictione, non cum addito: *entium vel partium*, quippe quod utrumque non competit nisi realiter

liter distinctis & compositis, ratione vero distinctis & simplicibus haudquaquam conveniens. Universalem exhibere volui consensus notionem & compositis, quæ partibus gaudent, & simplicibus, quæ utut partibus destituta, realitatibus nihilo minus prædita sunt pluribus, notionem, inquam, his & Enti simplicissimo, in quo plurimas immo infinitas realitates admirari & venerari licet, respondentem.

§. 736.

Consensus ratio. Est consensus tendentia ad idem aliquod commune exhibendum (§. 735.). In omni ergo consensu adest *idem aliquod commune*, ad quod plura tendunt, & ex quo, per consequens, intelligere licet, cur hæc & non alia consentiant, & cur hæc & non alia requirantur ad tale & non aliud exhibendum. Et quia nihil præterea ad intelligendum consensum desideratur amplius ex generali ejus suppeditata idea (§. præc.); idem illud commune in quolibet particulari casu, particulariter expressum, rationem sufficientem consensus involvit (§. 83.).

Ex. gr. In republica est *Salus & tranquillitas publica*, idem illud commune, ad quod tendere debent singula reipublicæ membra, singula ejus negotia, si quidem in tota desideratus obtineatur consensus. In illo communi comprehenditur ergo ratio sufficiens cur ejusmodi & non alia admittantur membra, cur hoc & non aliud suscipiatur negotium, & quæ alia sunt ejus generis.

§. 737.

§. 737.

Perfectionem definimus per consensum realitatum in uno. Hinc *Ens Perfectum* dicimus, quod habet perfectionem, seu, ad quod constituendum, realitates, quas habet, consentiunt. *Perfectionis definitio.*

Ita rempublicam dicimus perfectam, quatenus omnes particulares, qui in illa occurrunt status, & qui realitatum heic veniunt nomine (conf. §. 271.), ad salutem & tranquillitatem publicam conservandam & promovendam consentiunt. Imaginem Titii, in tabula delineatam, perfectam vocamus, quatenus omnia continet, quæ ad Titium repræsentandum faciunt, h. e. possidet omnes linearum ductus, a capite ad calcem Titio consentientes. Perfectio intellectus communissimo loquendi more consistit in consensu notionum & judiciorum, tam inter se, quam cum rebus ipsis. Nam quo plura eademque quo distinctius concipit intellectus, eo perfectiorem illum adpellare solemus. Perfectio hominis moralis, prout quivis facile adsequitur, consistit in consensu actionum liberarum & inter se & cum agendi norma, a Superiore homini injuncta. Idem innuitur in verbis Christi Matth. V. 48. *Estote perfecti, quemadmodum Pater vester in cœlis perfectus est*, h. e. instituite vestram vitam, perfectionibus Divinis conformem.

Taceo alia innumera, quibus illustrari potest perfectionis definitio, in id potius inquisiturus quousque illa recepto apud alios Philosophos usui

sit

sit conformis. Plerisque veterum placet collocare perfectionem, in genere sumtam, *in comprehensione eorum requisitorum, quæ ad tale ens constituendum adesse debent*, vel, prout alii loqui amant, *in possessione earum realitatum, quæ ad rem quamlibet datam requiruntur*. Sed si quid capio, ab illa, quam nostram fecimus, non dissentiunt hæ perfectionis notiones, nisi quod nostra distinctius exponat, quod in illis confusius traditur. Etenim si quæras, quænam sint illa requisita, inesse debita? vel realitates, quæ ad rem quamlibet datam requirantur? recurrendum sane tibi erit ad nostram definitionem, qua, modo attendas, in illius cognitionem pervenire poteris distinctam. Quia enim perfectio est consensus realitatum in uno, & in omni consensu realitatum sit aliquod commune, unde determinetur cur hæ & non aliæ consentiant realitates, cur hæ & non aliæ requirantur, ad tale & non aliud exhibendum (§. 736.); ideoque perfectio, explicata per consensum realitatum in uno, possessionem earum realitatum, quæ ad rem quamlibet datam requirantur, infert, & distincte explicat quæ sint realitates inesse debitæ. Sed ais: *Insufficiens est hæc perfectionis definitio, nam si in casu particulari quæratur, cur res perfecta sit? atque respondeatur propter consensum realitatum in uno, ex asse quæstioni non satis fit; si autem dicatur, quia possidet hæc res omnes eas realitates, quæ ad hanc rem requirantur, nihil profecto desiderabitur amplius.* Fateor generalem, quam exhibui, perfectionis ideam non sufficere ad determinandam rei cujuslibet particularis perfectionem, id tamen de generalis ideæ præstantia & veritate nihil detrahit: Quis enim ignorat no-

tio-

tionem ſpeciei completam conſtare notione generica & differentia ſpecifica (§. 576.)? ad rei igitur cujusvis particularis perfectionem dijudicandam requiritur ut notioni perfectionis generali addatur determinatio, ex ſpecificis ejus deſumta prædicatis: nam alioqui non ſufficiet illa deſiderato. Si quis ex. gr. eſſentiam hominis expoſiturus, contentus notione eſſentiæ generali, diceret illam abſolvi conceptu rei primo, vel prædicatis ſibi mutuo non repugnantibus, quorum unum non determinatur per alterum, nec per aliud prius in re (§. 320.); ſi, inquam, quis hoc diceret, non ille exponeret eſſentiam hominis, ſed generaliſſimam modo eſſentiæ notionem traderet, quæ quidem nos dirigit in eſſentia hominis evolvenda, illam tamen complete hactenus non exhibet, niſi juſtæ ei legitimo ordine addantur determinationes. Quis vero ideo falſitatis accuſabit definitionem eſſentiæ generaliſſimam? Nemo ſane. At par eſt ratio definitionis, quam perfectioni adtribuimus. Neque veterum illa perfectionis definitio, quam noſtra meliorem putas, in poſſeſſione realitatum, quæ ad rem quamlibet datam requiruntur, collocata, ſufficit ad perfectionem rei cujusvis particularis determinandam, niſi ex determinationibus rei ſpecificis addatur quales ſint illæ realitates, quæ ad datam rem requirantur. Quicquid ergo noſtræ exprobras definitioni, idem etiam tuæ exprobratum eſto, mutatis ſaltim mutandis. His accedit omnibus tuam, quam urges, perfectionis notionem certo quidem ſenſu locum habere poſſe, ſi abſolute & ſine ulla ad alias res relatione rei intelligas per-

 fectio-

fectionem, si vero perfectio, sine mutua rerum relatione capi nequit, non tua sed nostra sufficit instituto, ad utrumque alioqui casum extendenda, quæ ideo magnam præ tua habet prærogativam.

Notetur tandem me dixisse, perfectionem esse consensum NB. *realitatum* in uno, loco ejus, quod *Illustris Wolfius* §. 503. Ontol. dicit esse consensum in varietate, seu, plurium a se invicem differentium in uno. Nihil quidem aliud, per plura, a se invicem differentia, intelligere voluit vir Illustris, quam realitates, in aliqua re occurrentes; maluimus tamen plura ista magis determinate exprimere, ut statim pateret non quævis plura, utut harmonica, de perfectionis hoc participare idea. Datur in vita hominis, quæ tota est scelesta & flagitiosa, uniformitas quædam, nulla tamen hactenus perfectio, quum plura ista non sint realia & positiva, Metaphysico scilicet sensu, sed privativa & defectiva (§.291.). Sed instas: *Hactemus tamen nostra definitio Wolfianæ consentit, quod utraque ponat plures realitates inter se consentientes: Omnis autem pluralitas aut est realis, aut est mentalis tantum, si illud desideratur, perfectionis data idea compositis solum erit adtribuenda, & proinde non universalis, quæ promittitur, sed particularis; si vero hoc intenditur, ut enti conveniat simplicissimo, non nisi mentales exsurget consensus, mentalis perfectio. Esset ergo secundum hanc definitionem summa Dei perfectio non realis sed idealis, quod absurdum.* Sed respondemus, universalem esse, quam dedimus perfectionis definitionem, quæ utramque una comprehendit pluralitatem, videlicet & mentalem, & realem.

Ab-

Absit vero putes nostram perfectionis notionem, Deo, Cui nulla nisi mentalis realitatum pluralitas convenit, adtributam, ideo non realem, sed mentalem esse. Nam realitates Divinæ non differunt quidem inter se & ab essentia nisi formaliter, non tamen sine certo distinctionis fundamento, in re ipsa, quæ heic Ipse Deus est, obvio, quod non negabis nisi cum fanaticis fingere velis discrimen attributorum divinorum esse verbale solum. Sed hoc sine dubio removendum esse judicas, ergo simul affirmabis consensum realitatum in Deo non esse simpliciter mentalem, sed realem, nihilque aliud involvere quàm tendentiam ad constituendam simplicissimam Dei essentiam. Deinde quæro, anne recte definiam *Justitiam* Dei, per constantiam voluntatis Ejus faciendi quod rectum est, h. e. quod cum essentia & perfectionibus Divinis necessariam habet congruentiam? Affirmas sine dubio. Quæro itaque ulterius, num ne hæc justitiæ notio, sit ex variis notis characteristicis, non quidem realiter, quia justitia Dei est simplicissima, formaliter tamen, seu, mentaliter distinctis, composita? te hoc non negaturum scio. Sed hinc eodem argumenti genere, quo nostram perfectionis definitionem adgressus es, sequeretur justitiam, Deo adtribuendam non esse nisi mentalem, non vero realem. Idem flueret judicium, sed erroneum & absurdum, de cujuslibet divini attributi definitione, quæ omnis mentaliter est composita. Quicquid pro te respondes, Tibi responsum esto: idem enim utrobique est argumentandi fundamentum,

§. 738.

Privationum & negationum nulla perfectio. ***Inter privationes & negationes, quà tales, nulla datur perfectio.*** Quoniam enim perfectio est consensus realitatum in uno (§. 737.), privationes autem & negationes non sunt realitates, quippe quarum illæ involvunt defectum (§. 281.); inter illas, quà tales nulla locum habet perfectio.

Valet heic vitæ hominis scelerati exemplum, cujus omnia flagitia etiamsi inter se conspirent, quia tamen sunt meræ privationes, valde licet compositæ, nullam inferunt, vel inferre possunt perfectionem.

Observetur de cetero addi restrictionem: *quà tales*, ut indicem haud denegandam esse enti perfectionem, etiamsi quibusdam laboret privationibus & negationibus, non ex his, sed realitatibus, quas præterea possidet, metiendam, quæ ab eo, quod nonnisi privationibus & negationibus constat, omnino est removenda.

§. 739.

Dissensus definitio. Consensui, prius explicato (§. 735.), Opponitur *Dissensus*, qui ergo consistit in contrarietate tendentiarum ad commune aliquod obtinendum, seu, ubi plura, contraria ratione, tendunt ad idem aliquod obtinendum, *Dissensum* inter illa adesse dicimus.

Notionem dissensus non est ut multis heic illustremus, quoniam enim oppositorum opposita

est

eſt indoles (§. 426.), conſenſuique ſine ulla hæſitatione diſſenſum opponunt omnes; nihil relinquitur dubii de vera diſſenſus, quam exhibuimus idea. Quicquid igitur ad conſenſus notionem, de eodem illo communi obtinendo, & pluribus conſentientibus, adnotavimus, obſervata inter conſenſum & diſſenſum oppoſitione, diſſenſus notioni multum addit lucis.

§. 740.

Inter conſenſum & diſſenſum excluditur medium.

Duo pluráve, quæcunque, inter ſe relata, aut conſentiunt, aut diſſentiunt. Aut enim tendunt ad idem aliquod obtinendum aut non (§. 63.). Si prius, conſentiunt (§. 735.), ſi poſterius, diſſentiunt (§. 739.). Inter conſenſum ergo & diſſenſum excluditur medium.

Cave ne ſumas vocabula conſenſus & diſſenſus in ſignificatu morali, quo Titius. v. gr. nondum cognita, quam intendit Sempronius, ſententia, vel ſaltem non, uti decet, examinata, neque vult etiamnum, neque non vult, quod vult vel non vult Sempronius, hactenus ergo, ſenſu morali inter ſe neque conſentiunt, neque diſſentiunt. Hoc autem non valet de ſenſu terminorum conſenſus & diſſenſus Metaphyſico, qui ad res ipſas abſtracto omnis voluntatis actu, refertur, & juxta quem non poſſumus non disjunctivam illam, quam propoſuimus, adprobare enunciationem.

§. 741.

Realitatum nulvis

Realitates, quà tales, inter ſe non diſſentiunt. Involvit enim quæ-

lus dissen-sus. vis realitas prædicatum, rem, seu quidditatem ingrediens (§. 271.), est itaque positivum quid (§. 269.), cui; quia illud omne aliquid denotat (§. cit.), & quod aliquid est, non potest simul inferre negationem alicujus (§. 53.); quicquid opponitur, positivum, quà tale esse nequit (§. 424.). Realitas igitur, quà talis, realitati, eodem spectatæ modo, non opponitur, & proinde altera alteri non contrariatur (§. cit.). Quæ vero inter se non contrariantur, neque contrarietatem tendentiarum ad idem aliquod obtinendum habere possunt: Impossibile enim est idem esse eidem alteri contrarium, & simul non contrarium (§. 53.). Realitates igitur, quà tales, contrarietatem tendentiarum ad idem aliquod obtinendum habere nequeunt(per demonstr.). Consequenter inter se non dissentiunt(§. 739.).

Notanter dico realitates, qua tales, h. e. ut cum Scholasticis loquar, sub formali sua ratione spectatas, inter se non dissentire, haud negans inter easdem materialiter & in concreto consideratas, dari aliquem dissensum, ex varia earum limitatione in subjecto finito oriundum. Intellectus v. gr. & voluntas sunt utique realitates, quatenus ille distinctam ponit repræsentationem, hæc inclinationem infert ad bonum & reclinationem a malo, qua igitur tales secum invicem non pugnant, sed amicissime conspirant; quatenus tamen in concreto considerantur, prout sunt animæ humanæ facultates, adeoque in conditionem materiæ, sive subjecti

jecti finiti referuntur, eatenus inter illas locum habere poteſt aliqua pugna, ex limitatione earum, quæ huic præciſe ſubjecto competit, derivanda.

§. 742.

Ultro hinc intelligimus inter realitates, quà tales, quia inter ſe non diſſentiunt, (§. 741.) mutuum dari conſenſum (§. 740.), ſeu, quod idem eſt, inter illas, ſimul poſitas, nullam inveniri, repugnantiam, quominus unum aliquod commune ex illis conſtituatur (§ 735.). Et per conſequens, illas inter ſe in uno ente eſſe compoſſibiles. (§. 124.). *Realitatum Conſenſus.*

Notum eſt multos veterum cum *Anshelmo* per perfectionem, ſimpliciter ſic dictam, non intelligere aliud quam realitatem, quà talem. Illam vero definivit Anshelmus per eam, quæ in quolibet ente melior eſt ipſa, quam non ipſa. *Scotus* L. I. Diſt. VIII. qu. 1. Anshelmi hanc explicaturus definitionem ait. *Perfectio ſimpliciter eſt quid melius non tantum ſuo contradictorio: Ita enim quodcunqae poſitivum eſt melius & ſimpliciter perfectius ſua negatione: immo nulla negatio eſt perfectio aliqua formaliter: ſed intelligitur ſic eſſe melius ipſum, quam non ipſum, i. e. quolibet ſuo incompoſſibili.* Aliquanto clarius mentem Scoti expreſſit *Johannes de Rada* Part. I. Controv. XXVII. Immo ex allata ab Anshelmo notione, idem, quod nos ſtatuimus, colligere voluit *Muſæus* Cap. XXXVII. §. 13. Metaph. *Neque*, inquit, *repugnantes aut incompoſſibiles ſunt, ſed poſſunt omni-*

omnino coëxistere in uno supposito, & nisi possent, sequeretur idem esse imperfectius seipso, quod absurdum. v. gr. si bonitas non posset consistere cum vero in uno supposito, bonitas esset melior veritate, quia perfectio simpliciter in quolibet ente est melior ipsa, quam non ipsa, h. e. quodlibetcunque consistere non potest in uno supposito. Et vice versa, si veritas non potest coëxistere cum bonitate, & tamen est perfectio simpliciter, veritas erit melior bonitate. Ergo eadem bonitas, quæ antea dicebatur melior esse & perfectior veritate, jam dicitur esse imperfectior. Quo fit, ut idem sit imperfectius se ipso, quod absurdum. Igitur concedendum est omnes perfectiones, simpliciter ita dictas, esse compossibiles.

§. 743.

Realitas absoluta & respectiva definiuntur.

Duplicem admittit Realitas, quam antea definivimus (§.271.), considerationem. Nam est vel *Absoluta* vel *Respectiva*. *Illa* est positivum, omnem excludens defectum; Hæc est positivum, cum aliquo conjunctum defectu. Seu, quod eodem redit, *illa* est realitas sine ullo compossibilis realitatis defectu; *Hæc* vero est realitas, cum aliquo compossibilis realitatis defectu.

Ex. gr. Intellectus, per adæquatissimam & distinctissimam omnium possibilium repræsentationem explicatus, realitatem dicit absolutam, quia positivum involvit sine omni defectu eorum, quæ ei compossibilia sunt, h. e. sine omni defectu partialis realitatis, quæ illam tanquam totalem ingredi potest. Facultati nimirum re-

præ-

præsentandi compossibilis est actus, cognitioni distinctæ compossibilis est adæquata, adæquatæ adæquatissima, cognitioni quorundam possibilium compossibilis est omnium. Nec plura ex generali intellectus notione, qua explicatur per facultatem repræsentandi possibilia distincte, colligere licet ut compossibilia. Intellectus ergo, per adæquatissimam & distinctissimam omnium possibilium repræsentationem definitur, dignitatem realitatis absolutæ jure tuetur. Intellectus autem humanus, qui non semper cum facultate involvit actum, nec ad omne se exporrigit possibile, nec adæquatissime sibi vel ullam repræsentare potest rem, vario igitur multoque defectu laborat, quatenus tamen animæ humanæ vere inest, positivi naturam habet, realitatemque, per consequens, denotat respectivam.

§. 744.

Modus elevandi realitatis respectivæ notionem in notionem absolutæ.

Quoniam hoc distat realitas absoluta a respectiva, quod illa non sit conjuncta cum aliquo realitatis compossibilis defectu, hæc vero cum realitatis compossibilis defectu sit copulata (§. 743.); perspicuum evadit, addita, quæ hujus notioni deest, realitate, ut ita loquar, partiali, ei, quæ adest, compossibili (§. 742.), evehi & elevari notionem respectivæ realitatis, in notionem realitatis absolutæ.

Ex. gr. Intellectus humanus, ut mox observavimus, est realitas respectiva, cui, non quidem qua tali, h. e. humano, sed in genere spectato, variæ

variæ desunt realitates partiales, quæ si addun-tur, notionem indipiscimur intellectus Divini. Nimirum si loco facultatis ponitur actus, loco distinctæ repræsentationis quorundam possibi-lium, statuitur distinctissima & adæquatissima omnium; exsurgit idea intellectus, absolute per-fecti, qui Deo, non amplius homini competit. Comprehendere hoc voluerunt Scholastici sub *via eminentiæ & negationis*, quarum *illa* a perfe-ctione, h. e. realitate, limitata, in effectu obvia ad eandem in causa, Deo, illimitatam, *hac* ve-ro ab imperfectione, realitate deficiente, depre-hensa in effectu, ad ejusdem negationem in cau-sa concludendum esse judicarunt, rectissime hinc porro inferentes, realitatem respectivam, h. e. ut verbis eorum utar, perfectionem, quæ in suo formali conceptu importat perfectionem, im-perfectione mixtam, non *formaliter*, h. e. non quà tales, sed *eminenter*, h. e. remota omni imperfectione, retentaque vera realitate, im-mo addito, quod ei in suo formali spectato, deest, Deo competere. *Dixêre tamen*, ais, *Scho-lastici quasdam realitates Deo formaliter inesse.* I-ta quidem, sed per realitates, quas Deo forma-liter adtribuendas recte censuerunt, non intel-lexêre aliud, quam perfectiones simpliciter ita dictas, quæ in suo formali conceptu nihil im-perfectionis includunt, seu, ut mox ad § 742. adnotavimus, realitates, quà tales, ut intellectum, voluntatem, sapientiam, veritatem, bonitatem, & id genus alias, in abstracto non in concreto spectatas, quæ Deo eodem insunt modo, ac formalis entis conceptus (§. 257.). Nos autem præsenti corollario intendimus modum evehen-

di

di realitates respectivas, quæ in formali suo conceptu semper aliquid imperfectionis habent admixti, ad realitates absolutas. Potius itaque modum eminenter dictum, quam formaliter vocatum heic commendamus, quum nulla realitas respectiva formaliter sit absoluta, & Deo, quà talis, insit.

§. 745.

Realitas absoluta est possibilis, seu, quod idem est, idea realitatis absolutæ nullam involvit contradictionem. *Realitatis absolutæ possibilitas.* Est enim realitas quodvis prædicatum rem, seu, quidditatem, vere ingrediens (§. 271.), sed prædicatum ingrediens τὸ aliquid, nequit esse nihil, quia hoc illi contradictorie opponitur (§. 76.), & contradictoria eidem simul competere nequeunt (§. 53.), erit ergo aliquid (§. 63.) & per consequens conceptibile (§. 75.), & absque omni contradictione (§. 73.). Realitas igitur in genere nullam involvit contradictionem. Quare neque realitas absoluta, quatenus realitas est, contradictione laborat, neque contradictoria esse potest, quatenus dicit realitatem sine omni conceptibilis realitatis defectu, h. e. sine omni negatione (§. 483.), hoc enim posito, nihil, ut ad realitatem absolutam, quomodocunque pertinens, de eadem negari potest. Fieri itaque nequit, ut de realitate absoluta idem & affirmetur & negetur. Absolvitur autem contradictio simultanea ejusdem affirmatione & negatione de u-

no

no eodemque (§. 43.), & eſt realitas abſoluta, quæ nullo laborat realitatis compoſſibilis defectu (§. 748.). Hæc igitur realitas nullam involvit contradictionem.

Caute heic eſt verſandum, ne putes eodem argumentandi modo demonſtrari poſſe extenſum illimitatum, ſeu, ſine omni defectu, vel etiam in genere, quantum quodvis ſine defectu dari: Nam quodcunque conceperis quantum, illud tamen tale eſt, ut ei nova & nova idque ſine fine, addi poſſit pars homogenea, totumque inde reſultans majus & majus reddatur. Conceptus ergo quanti & extenſi illimitati, ſeu, abſoluti, quod nullo defectu ulterioris compoſſibilis laborat, & cui ergo nihil addi poteſt ulterius, ut ad id quomodocunque pertinens, ſecum invicem pugnantibus abſolvitur partialibus ideis, prout antea eſt oſtenſum (§. 687.), & de extenſo ſpeciatim ſuo demonſtrabitur loco. Non ergo putemus ullum quantum, & ullum extenſum realitatis abſolutæ titulum tueri, quo demum cunque modo de eo laboret Spinoza, qui impiiſſimo conatu, ut nimirum Deum eo melius cum mundo confunderet, extenſionem infinitam inter Dei referre auſus eſt attributa.

§. 746.

Quantitatis & realitatis abſolutæ pugna. Sed ut veritas, quam de realitate abſoluta tuemur, eo pateſcat magis, reciprocam hanc ſubjungimus propoſitionem: *Quantitas nequit eſſe realitas abſoluta*, & viciſſim, *Nulla realitas abſoluta eſt quantitas.* Exterminat enim

nim realitas absoluta omnem defectum ejus, quod ad eam pertinere potest (§. 743.), quantum vero omne conjunctum est cum defectu ejus quod ad id pertinere potest (§. 687.). Nequit ergo ullum quantum esse realitas absoluta. Q. E. U.

Vicissim. Omne quantum & per consequens omnis quantitas (Quantum mihi est, quod solum spectatur ut habens quantitatem) conjuncta est cum defectu ejus, quod ad eam alioquin pertinere potest (§. 687.). Sed realitas absoluta non est copulata cum ejusmodi defectu (§. 743.). Ergo realitas absoluta non est quantitas.

Distinguunt quidem Mathematici quantitatem in positivam & negativam, illamque, ut talem, sine defectu concipiunt, hanc vero ut defectivam; inde tamen non inferas dari quantitatem, realitatis absolutæ titulo dignam: Nam per quantitatem positivam nihil intelligunt Mathematici aliud, quam veram quantitatem, affirmativam scilicet, & nihilo majorem, per negativam vero, veræ quantitatis defectum, quæ ergo nihilo est minor, & proinde nonnullis absurda vocatur. Ex. gr. Si re ipsa habes centum imperiales, tibi ab aliquo datos, cum antea nihil possides pecuniarum, plus jam habes quam antea, seu, quod idem est, habes plus nihilo. Centum itaque imperiales considerantur heic ut quantitas positiva. Si contra nihil possides pecuniarum & tamen solvere debes centum imperia

periales, non potes non ante solutionem minus nihilo habere, est itaque hoc debitum quantitas negativa & veræ, quæ daretur, quantitatis defectus. Sed quem ad modum centum imperiales possessi augeri possunt, ita quantitas omnis, utut positiva, eo nunquam sensu sine defectu consideratur, ac si torreret omne sibi compossibile, essetque omnis ulterioris incrementi incapax. Nuda ergo quantitatis positivæ adpellatio, Mathematicis usurpata, indolem quantitatis haud mutabit, & realitatem absolutam ei attribuet.

§. 747.

Qualis determinatio entis est realitas absoluta.

Sub generalissimo realitatis titulo comprehenditur realitas absoluta (§. 743.), est autem illa quodvis prædicatum, quidditatem, seu rem ingrediens (§. 271.), & proinde determinationis rei internæ nomine digna (§. 187.); *Hæc ergo, seu, realitas absoluta sub determinationibus rei internis comprehenditur.*

In cujus entis, an unius an plurium, determinationibus intrinsecis contineatur realitas absoluta, nondum deducendi est locus, docebunt vero, quæ sequuntur, propositiones illam non competere nisi enti infinito, reliquis autem omnibus esse incommunicabilem.

§. 748.

Realitas absoluta est qualitas.

Prona hinc fluit consequentia *realitatem absolutam esse qualitatem.* Realitas enim absoluta, quia deter-

determinatio rei eſt intrinſeca (§. 747.), aut qualitas eſt, aut quantitas (§. 460.), ſed in quantitatibus contineri nequit (§. 746.). Eſt ergo qualitas (§. 461.).

§. 749.

Realitas abſoluta eſt ſine gradu. Eſt enim realitas abſoluta remota ab omni defectu ulterioris compoſſibilis realitatis (§. 743.), & eſt ſimul qualitas (§. 748.). Qualitatem ergo dicit ſine omni defectu, ſeu, limite (§. 482.). Et per conſequens, ſine omni gradu (§. 485.). *Eſt ſine gradu.*

Aliter. Omnis gradus eſt cum quantitate copulatus (§. 486.). Realitas autem abſoluta eſt absque omni quantitate (§. 746.). Ergo a realitate abſoluta exulant omnes gradus.

Placet haud paucis vocare realitatem abſolutam, realitatem in ſummo gradu, quæ phraſis non explicata *comparate*, quo modo aliquem in ſuperlativo nominamus doctiſſimum, non quod ſimpliciter repugnet eſſe alium hoc doctiorem, ſed quod cum ceteris comparatus ſit doctior, non, inquam, *comparate*, ſed *abſolute*, uti loqui amant, intellecta, quo ſenſu ſummus gradus eſſet, ultra quem nihil amplius concipi poteſt, eſt quidem innoxia, ratione tamen notionis, quam de gradu in genere habemus (§. 485.), & quæ omnis quantitatem involvit (§. 486.), ultra quam quomodocunque auctam & poſitam, ſemper concipere licet aliquod amplius (§. 687.), omnino mihi implicare videtur gradus ſummus, etiam

iam absolute explicatus, ultra quem nihil amplius concipi posset. Potius itaque dicamus realitatem absolutam esse sine gradu, quam in gradu summo.

§. 750.

Realitatum absolutarum consensio mutua. *Realitates absolutæ in universum omnes inter se consentiunt, & in uno ente sunt compossibiles.* Omnes realitates, quà tales, h. e. considera-tæ solum ut realitates, non ut negationes, &, per consequens, sine realitatis absentia, seu, defectu (§. 281.), inter se amicissime conspirant & in uno ente sunt compossibiles (§. 742.). Realitates vero absolutæ in universum omnes sunt realitates, sine ulla ulterioris, ceu partialis realitatis absentia (§. 743.). Hæ ergo omnes inter se consentiunt & in uno ente sunt compossibiles.

Non displicebit, quia maximi momenti est res, alio adhuc argumento eandem illustrare plenius. Verum cum ente ita converti vidimus, ut omne ens sit verum (§. 711.), & omne verum sit ens (§. 719.), sed est etiam omne ens positivum, & omne positivum est ens (§. 280.). Omne ergo verum est ens positivum, & omne ens positivum est verum. Est ens positivum quod est aliquid & rei nomine denotatur (§. 279.), quodvis vero rei prædicatum esse simul aliquid & positivum quid ex demonstratis in §. 746. liquet, seu, quod idem est, quamlibet realitatem, quà talem, esse posit.vum quid. Certum

tum etiam est quodlibet veri prædicatum esse simul verum, nam alioqui daretur, aliqua saltim, objectiva falsitas, ipsumque verum ens ex possibili & impossibili simul conflatum esset, quod omnino absurdum (§. 712. 53.). Quam ob rem quælibet realitas, quà talis, & per consequens, quælibet realitas absoluta, quæ tota sine defectu est realitas (§. 743.), objectivam habet veritatem. Nulla vero veritas objectiva, alteri, etiam objectivæ, contrariatur (§. 724.). Quare nec altera realitas absoluta, alteri, etiam absolutæ, contrariatur. Possunt itaque omnes simul in uno conjunctæ esse ente (§. 423.), seu, quod eodem redit, sunt in uno ente compossibiles.

§. 751.

Realitatum absolutarum & Respectivarum mixtura in uno negatur.

Fieri nequit ut enti alicui simul insint omnes realitates absolutæ cum aliqua realitatum respectivarum mixtura. Ens, cui conveniunt omnes realitates absolutæ, nullo laborat defectu, vel, quia absolutæ sunt (per hypoth.), quà realitates ipsas (§. 743.), vel quà numerum realitatum, quia omnes ei inesse ponuntur. Est vero realitas respectiva, quæ cum aliquo compossibilis realitatis defectu est conjuncta (§. 743.). Quare si idem ens aliquam simul possideret realitatum respectivarum mixturam, conjunctum illud esset cum aliquo defectu realitatis compossibilis, quæ copulata, ut ita loquar, cum realitate partiali, quæ adesse supponitur, illius

ad absolutam efficeret complementum (§. 744.). Et proinde deesset eidem enti aliqua realitas absoluta. Impossibile vero est, ut idem simul habeat & non habeat omnes realitates absolutas (§. 53.). Fieri ergo nequit, ut alicui enti simul insint omnes realitates absolutæ cum aliqua realitatum respectivarum mixtura.

Quantæ sit præsens propositio utilitatis tum ad anthropomorphismum omnem, tum ad alia luxuriantis ingenii humani deliramenta detegenda & proscribenda suo in Theologia Nat. demonstrabitur loco.

§. 752.

Definitur Ens Absolute perfectum.

Ens absolute Perfectum dicitur, cui insunt omnes realitates absolutæ. *Absoluta* igitur *Perfectio* consistit in possessione realitatum omnium absolutarum.

Pro nostro itaque concipiendi modo, duo vel potius tria ad τὸ esse entis absolute perfecti pertinent 1:o) *ut realitates* quascunque habet, habeat absolute, i. e. cum tota sua, ut ita loquar, omnitudine possibili 2:o) *ut habeat* absolute omnes sine ullo defectu, quas nullo determinato & finito exprimere licet numero, cum potius statuere fas sit tantam esse realitatum absolutarum in ente absolute Perfecto abundantiam, ut infinitum superet omnem adsignabilem numerum, omnem dabilem quantitatem discretam; nihil enim enti abs. perfecto præ-

ter

ter realitates absolutas competit, inter quas nulla locum habet quantitas (§. 746.). 3:o) *Requiritur* ad ideam Entis abs. Perfecti, ut realitates, quas possidet, habeat simul, i. e. sine successione: alioquin enim aliquo saltem temporis, vel aliquo durationis ipsius momento deesset aliqua realitas absoluta, post aliquam demum successionem eidem adtribuenda. Quod posita notione entis absolute perfecti animo fingere non licet.

§. 753.

Manifestum hinc fit in Ente abs. perfecto nihil dari negativi, nihil privativi, sed quicquid ei competit esse positivum. Insunt enim ei omnes realitates absolutæ (§. 752.), adeoque sine ulla realitatum respectivarum mixtura (§. 751.). Quicquid ergo ei inest, est realitas absoluta, adeoque positivum est sine omni defectu (§. 743.), &, per consequens, sine omni negatione & privatione (§. 281.). *Entis Abs. perfecti Excellentia.*

Abunde quidem scimus enti absolute perfecto nihil tribui debere negativi, ea tamen est mentis humanæ imbecillitas, ut multa sint Dei attributa, quæ magis negante, imperfectiones removendo, quam ajente sensu intelligamus. Originem hinc traxit divisio attributorum Dei in positiva & negativa, quæ tamen posteriora, haud ita intelligenda esse, ac si Deo competeret aliqua negatio, docet præsens propositio.

§. 754.

Realitatum Entis abs. perfecti consensus. *Realitates, quæ enti absolute perfecto insunt, inter se consentiunt omnes.* Sunt enim illæ omnes absolutæ (§. 752.), & ideo non possunt non inter se consentire (§. 750.).

Infert ergo realitatum absolutarum possessio mutuum earum consensum. Expressam itaque vocabuli consensus in definitione absolutæ perfectionis non feci mentionem. Hinc tamen nemo putet definitionem perfectionis in genere, per consensum realitatum in uno exhibitam (§ 737.), sua destituere universalitate, neque ad absolutam entis Absolute perfecti perfectionem esse extendendam, nemo, inquam, quum determinatio, perfectioni in genere adjecta, ut inde exsurgat idea absolutæ perfectionis, consensum, quibus gaudet realitatum, statim includat, minime vero gentium excludat. Re igitur ipsa participat idea absolutæ perfectionis de tota notione perfectionis in genere, & secundum bonæ divisionis, quas tradit Logica, regulas accurate formata judicatur.

§. 755.

Cujuslibet realitatis absolutæ perfectio. *Qualibet realitas absoluta pro perfectione absoluta recte habetur.* Realitas enim absoluta est realitas quà talis (§. 742.), sine ullo realitatis compossibilis, & per consequens itidem, quà talis (§. 742.), defectu (§. 743.). Realitatem proinde absolutam quam-

quamlibet ingrediuntur omnes realitates, quà tales, ad illam constituendam compossibiles. Est vero realitas omnis, quà talis, ut antea (ad §. 750.) adnotatum dedimus, quæ sine realitatis absentia consideratur. Quælibet ergo realitas absoluta possidet realitates absolutas omnes, illam constituentes (§. 743.), & per consequens pro absoluta perfectione recte habetur (§. 750.).

Ex. gr. Sapientiam realitatis absolutæ titulo dignam censemus, si scientia est absolute summa convenientissima subordinandi finibus media, per quæ scilicet fines omnium brevissime & simul plenissime obtinentur. Ideam ergo hujus sapientiæ constituunt partiales, Logico sensu, ideæ, 1:0) *Scientiæ absolute summæ*, 2:do:) *subordinationis* mediorum cum finibus omnium maxime concinnæ, 3:0) *plenissimi* obtentus finis. Quælibet harum seorsim spectata positivum dicit sine ullo defectu, adeoque realitatis absolutæ nomine recte venit. Et quatenus plures ideæ partiales, præter enumeratas, ideam totalem sapientiæ absolute summæ non ingrediuntur, quod, ut alia taceam, abunde ostendit sapientiæ notio in genere, per scientiam apte subordinandi media finibus explicata; Eatenus ergo recte concludimus sapientiam, realitatis absolutæ titulo dignam, esse absolutam perfectionem.

Est quælibet realitas absoluta simplex, immo simplicissima, Enti simplicissimo unice competens, in nullas ergo partes realiter distinctas, secernenda; cogitur tamen mens humana, quæ omnia, ad-

ad rem quampiam pertinentia, simul intueri nequit, in partiales, etiam quod simplicissimum est, resolvere ideas, quarum qualibet illud inadæquate sibi repræsentat. Pendet hinc resolutio cujuslibet realitatis absolutæ, distincta notione a nobis exhibitæ, in suas quasi partiales, quibus quasi componitur. Consensui itaque inter has obvio perfectionis nomen jure adtribuimus.

§. 756.

Possibilitas entis absolute perfecti. *Ens absolute perfectum est Possibile, seu, idea, quam de ente absolute perfecto formavimus (§. 752.), est possibilis.* Realitates absolutæ omnes sunt possibiles (§. 745.), inter se consentiunt & in uno ente sunt compossibiles (§. 750.). Est vero Ens absolute perfectum, cui insunt omnes realitates absolutæ (§. 752.). Hoc ergo ens possibile recte statuitur.

Ne quis existimet, precor, minoris momenti esse quam demonstravi, rem: nam multum habet illa ponderis ad decidendam controversiam inter Scholasticos agitatam, *an & quousque ex notione entis Perfectissimi demonstrari possit ejus existentia?* Affirmavit quæstionem *Anshelmus*, negarunt alii: *Thomas* monuit sequi existentiam ex idea entis Perfectissimi, modo prius probetur hujus ideæ possibilitas. *Cartesius* tum in Princip. Phil. P. I. §. 17. tum in Meditationibus Metaphys. contendit cum Anshelmo ex idea entis Perfectissimi recte deduci Ejus existentiam, de quo argumentandi genere acres & mul-

multifariæ inter magni nominis viros ortæ sunt contentiones. Virorum, qui præcipui & velut capita fuerunt, nomina recensent *Petrus Bayle* in Dict. Hist. & Crit. Tom. IV. voce *Zabarella* Not. F. & *Joh. Albertus Fabricius* in delectu argumentorum pro veritate religionis Christianæ Cap. X. p. 325. *Leibnitius* probavit judicium Thomæ, contendens ex idea entis absolute Perfecti sequi Ejus existentiam, ostensa ideæ illius possibilitate. Eadem est *Cudworthi* sententia in Systém. Intell. Cap. V. Sect. 1. §. 99. & seqq. verba ejus hæc sunt in cit. §. *Quicquid certo ex forma erui potest naturæ perfectissimæ, quam animo comprehensam habemus, id hoc unum est, si nihil in eam formam inclusum sit, quod inter se pugnet, seque tollat mutuo, tum fieri posse ut ejusmodi natura vere extra nos versetur.* Nobis non foret difficile ex ostensa possibilitate Entis absolute perfecti ostendere ejus existentiam, sed ne limites transgrediamur Metaphysices, huic labori, donec ad Theologiam Naturalem V. D. perventum fuerit, parcemus.

§. 757.

Entia respective Perfecta sunt, quæ possident realitates respectivas, inter se consentientes. Ut adeo *Respectiva Perfectio* absolvatur consensu ejusmodi realitatum. *Respectivæ Perfectionis definitio.*

Perfectionem ejusmodi possident omnes creaturæ, nullius absolutæ realitatis capaces, capaces vero realitatum unice respectivarum, quarum certus & determinatus numerus inter se consen-

sentientium ens quodvis respective perfectum ingrediuntur.

§. 758.

Inter absolutam & respectivam perfectionem excluditur medium. *Ex modo disputatis liquet nos recte dispescere perfectionem, in genere sumtam, in absolutam & respectivam.* Constituitur enim perfectio, generaliter accepta, consensu realitatum in uno (§. 737.). Sunt autem realitates vel absolutæ vel respectivæ (§. 743.), illarum consensu, seu, præsentia in uno ente constituitur perfectio absoluta (§. 752): Harum vero in uno consensu absolvitur perfectio respectiva (§. 757.). Perfectionem, in genere sumtam, recte dispescimus in absolutam & respectivam.

Cavendum ne hinc inferas ens absolute perfectum esse speciem, sub aliquo positam genere, nam id non magis sequitur, quam si putares, ens Infinitum ideo esse speciem entis in genere, quia hoc in infinitum & finitum recte dispescitur. Potest quidem absoluta perfectio considerari tanquam species perfectionis in genere, inde tamen non fluit ens, quod absolutam possidet perfectionem, esse speciem, plura sub se comprehendentem singularia. Nam re ipsa alia heic non occurrit considerandi ratio, quam qua dicimus Deum sub ente in genere analogico sensu comprehendi.

§. 759.

Imperfe- Perfectioni opponitur *Imperfectio,*

ctio, quam per absentiam, vel defectum perfectionis explico. *ctionis definitio.*

Retineo heic receptam & apud multos veterum, quosdam etiam recentiorum usitatam imperfectionis notionem, ut principiis supra positis & evolutis magis congruam.

§. 760.

Perfectionem in genere definivimus (§.737.) per consensum realitatum in uno, ad notionem adeo imperfectionis duo postulantes 1:o) consensum, & quidem 2:o) realitatum. Quamobrem imperfectio involvit 1:o) *absentiam consensus*, inter realitates scilicet respectivas, quum omnes absolutæ inter se semper consentiant (§. 750.). 2:do) *Absentiam realitatum*, quum inter privationes & negationes, utcunque inter se consentientes, nulla detur perfectio (§. 738.), nulla ergo perfectionis absentia. *Fundamentum diversitatis in imperfectione.*

Ex. gr. Imperfectam hinc judicamus hominis scelerati vitam, utcunque, qua partiales, quibus continetur, actiones inter se consentientem, quum non realitatibus sed vitiis, quæ Metaphysico sensu privationes sunt, absolvatur. Pari modo imperfectam censemus rempublicam, cui, ad consensum cum fine ejus ultimo, salute scilicet & tranquillitate publica, obtinendum & conservandum, vel mere desunt sufficientes vires, vel adsunt quidem, sed inter se mutuo pugnantes, finemque, ad quem tendere debent, destruentes.

§. 761.

§. 761.

Imperfectionis diversitas. Duplicem hinc ſubit imperfectio conſiderationem, nam aut mere abeſt realitas, ad conſenſum in uno obtinendum requiſita, aut diſſenſus datur inter realitates præſentes, i. e. contrarietas tendentiarum ad idem aliquod obtinendum (§. 739.). Prioris generis imperfectio vocatur *Remotiva*, poſterioris autem *Contraria*.

Facit huc illuſtrationis gratia exemplum mox allegatum. Imperfectio remotive talis in civitate datur, ſi ei deſunt vires defendendæ ſecuritatis contra hoſtium inſultus; ſi defectu pecuniarum, nervi illius rerum gerendarum, laborat; ſi non habet alimenta neceſſaria ad cives ſuſtentandos, verbo, ſi iis deſtituitur momentis & opportunitatibus, quæ ad ſalutem & ſecuritatem ejus requiruntur. Contrarie vero talis in civitate reperitur imperfectio, ſi ipſa in propriis viſceribus alit tranquillitatis & publicæ & privatæ turbatores, cives habet in adverſas diſtractos partes, ſeque mutuo vel aperta vi, vel clandeſtinis artibus, cum magno reipublicæ damno invadentes, flagellantes, occidentes.

Imperfectionem, quam nos cum *Bülfingero* in diluc. Phil. §. 131. & Comment. de O. & P. mali M. §. 102. remotive talem vocavimus, alii cum *Schuberto* §. 277. Metaph. *privative talem* adpellare malunt. Exiſtimo autem nullum ens dici imperfectum ex abſentia realitatis, quam poſſidere nequit, ſed ex defectu realitatis, quæ ineſſe poterat. Nam quis dicit lapidem imperfectum

fectum, quia visu destituitur? quis plantam nominat imperfectam, quia olfactu caret? & sic porro in rebus aliis. Infert itaque, me judice, omnis imperfectio absentiam perfectionis, quæ inesse potest, seu, privationem perfectionis, (§. 281.). Neque ergo admitti debet, arbitror, distinctio imperfectionis in *privativam* & *Negativam.* Dicunt enim illam esse absentiam perfectionis in subjecto habili, seu, quæ inesse potuit, ut cœcitas in homine. Hanc vero absentiam perfectionis, quæ subjecto inesse nequit, ut cœcitas in lapide, in auro vitæ, denegatio. A recepto loquendi more, quem, quantum fieri potest, observare debet Philosophus, multum recedit negativa illa imperfectio, potius itaque negligenda, quam calculo Philosophico adsumenda videtur.

§. 762.

Ratio Perfectionis. *In omni perfectione datur ratio quædam generalis, per quam intelligitur cur ea, quæ perfecto insunt, ita se potius habeant quam aliter, seu talia potius sint & tanta, quam alia.* In omni consensu adest idem aliquod commune, in se continens rationem sufficientem, unde intelligere licet cur hæc & non alia requirantur ad tale & non aliud exhibendum (§. 736.). Est vero perfectio consensus realitatum in uno (§. 737.). In omni itaque perfectione datur ratio quædam sufficiens, per quam intelligitur, cur hæc potius & non alia ad perfectum constituendum requirantur. Deducitur autem hæc ratio ex gene-

generalissima, quam dedimus (§. 737.) perfectionis notione, unde non potest non illa quoque generalis esse.

Ex. gr. Societatis conjugalis perfectionem ex ejus fine, sobolis nimirum procreatione & educatione, dijudicamus. Est ergo finis iste ratio generalis hujus societatis. Unde intelligitur cur non solum illam constituant mas & femina, non vero soli mares, nec solæ feminæ; sed & cur utriusque requiratur ad generandum habilitas physica, cur illis incumbat prolem generatam educare, curare & defendere, aliaque his adnexa & hinc pendula promovere & agere. Similiter ex structura oculi consequitur delineatio objecti visibilis in fundo ejus. Quare quum ex clara & distincta objecti delineatione intelligere liceat, cur his tunicis & non aliis, his humoribus & non aliis, hoc ordine & non alio dispositis constet; rationem inde habemus, quæ perfectionem oculi determinat.

§. 763.

Ratio determinans perfectionis definitur. Ratio illa generalis, ex qua intelligitur, cur quæ perfectum constituunt, sic potius habeant, quam aliter, hæc sint & non alia. vocamus *Rationem determinantem perfectionis.* Desumitur hæc ratio, ut præcedentis propositionis demonstratio indicat, ex eodem illo communi ad quod obtinendum tendunt, quæ perfecto insunt. Quare etiam dicere possumus *rationem determinantem perfectionis constitui*

com-

communitate illa, ad quam tendere debent, quæ perfecto insint.

Retineo heic, quam habet *Illustris Wolfius* adpellationem in Ontol. Lat. §. 506. Aliis placet rationem hanc determinantem, *Principii perfectionis* titulo insignire, quam denominationem haud ineptam judico, præsenti tamen instituto Wolfiana ista magis videtur accommoda.

§. 764.

In qualibet perfectione adesse debet ordo. In omni ordine certa datur regula (§. 696.), rationem, secundum quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus, complexa (§. 695.). Ubicunque igitur datur ejusmodi ratio, juxta quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus, ibi adest similitudo obvia in modo, quo plura ista juxta se invicem coëxistunt, vel se mutuo succedunt (§ 694), & per consequens adest ordo (§. 693.). Sed in omni perfectione datur ratio aliqua determinans, juxta quam coëxistunt plura, quæ perfecto insunt (§. 762. 763.). In qualibet ergo perfectione adesse debet ordo.

Ordinis necessitas in perfectione.

Ex. gr. In republica, cui perfectio attribuenda venit, dantur multa membra, multa collegia inter se vel subordinata, vel alio coëxistentia modo, ita tamen, ut justum inter se observent ordinem, ex scopo & fine civitatis deductum, qui si non daretur, sed ejus loco mera ubivis regna-

generalissima, quam dedimus (§. 737.) perfectionis notione, unde non potest non illa quoque generalis esse.

Ex. gr. Societatis conjugalis perfectionem ex ejus fine, sobolis nimirum procreatione & educatione, dijudicamus. Est ergo finis iste ratio generalis hujus societatis. Unde intelligitur cur non solum illam constituant mas & femina, non vero soli mares, nec solæ feminæ; sed & cur utriusque requiratur ad generandum habilitas physica, cur illis incumbat prolem generatam educare, curare & defendere, aliaque his adnexa & hinc pendula promovere & agere. Similiter ex structura oculi consequitur delineatio objecti visibilis in fundo ejus. Quare quum ex clara & distincta objecti delineatione intelligere liceat, cur his tunicis & non aliis, his humoribus & non aliis, hoc ordine & non alio dispositis constet; rationem inde habemus, quæ perfectionem oculi determinat.

§. 763.

Ratio determinans perfectionis definitur.

Ratio illa generalis, ex qua intelligitur, cur quæ perfectum constituunt, sic potius habeant, quam aliter, hæc sint & non alia, vocamus *Rationem determinantem perfectionis*. Desumitur hæc ratio, ut præcedentis propositionis demonstratio indicat, ex eodem illo communi ad quod obtinendum tendunt, quæ perfecto insunt. Quare etiam dicere possumus *rationem determinantem perfectionis constitui*

com-

communitate illa, ad quam tendere debent, quæ perfecto insint.

Retineo heic, quam habet *Illustris Wolfius* adpellationem in Ontol. Lat. §. 506. Aliis placet rationem hanc determinantem, *Principii perfectionis* titulo insignire, quam denominationem haud ineptam judico, præsenti tamen instituto Wolfiana ista magis videtur accommoda.

§. 764.

In qualibet perfectione adesse debet ordo. In omni ordine certa datur regula (§. 696.), rationem, secundum quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus, complexa (§. 695.). Ubicunque igitur datur ejusmodi ratio, juxta quam cuilibet plurium determinatus adsignatur locus, ibi adest similitudo obvia in modo, quo plura ista juxta se invicem coëxistunt, vel se mutuo succedunt (§ 694), & per consequens adest ordo (§. 693.). Sed in omni perfectione datur ratio aliqua determinans, juxta quam coëxistunt plura, quæ perfecto insunt (§. 762. 763.). In qualibet ergo perfectione adesse debet ordo.

Ordinis necessitas in perfectione.

Ex. gr. In republica, cui perfectio attribuenda venit, dantur multa membra, multa collegia inter se vel subordinata, vel alio coëxistentia modo, ita tamen, ut justum inter se observent ordinem, ex scopo & fine civitatis deductum, qui si non daretur, sed ejus loco mera ubivis

regna-

regnaret confusio, omni sua perfectione destitueretur respublica, utcunque alioquin ampla & externe splendida.

§. 765.

Ordo perfectionem non infert. *Sed non omnis ordo perfectionem statim infert.* Datur quidem in omni ordine certa ordinis regula, seu, ratio (§. 696.), sed versatur hæc unice circa modum, quo cuilibet plurium determinatus adsignatur locus (§. 695.), illam non afficiens rationem, ex qua intelligitur cur quodlibet plurium ita se potius habeat, quam aliter, tantoque inter se adsint numero & non alio. Quare quum hæc ratio, ex ratione ordinis non determinata (§. 194.), absolvat constituatque perfectionis rationem determinantem (§. 763.), quæ in omni adesse debet perfectione (§. 762.); perspicuum est, non omnem ordinem inferre perfectionem.

Ex. gr. Si habita ratione non salutis reipublicæ, sed opum, cura civitatis opulentioribus committeretur, ita, ut quo ditiores essent cives, eo etiam magis necessaria, celsa & sublimia curarent civitatis negotia, eoque majorem tenerent dignitatis gradum, sive rerum gerendarum gnari essent, sive minus; daretur quidem in illa republica ordo civium, ex memorata determinatus regula; nulla tamen hactenus in eadem locum haberet perfectio, cujus in præsenti casu ratio determinans est salus & tranquillitas publica, quæ officiorum publicorum postulat admini-

ministrationem, rerum gnaris & sapientioribus, qui non propriam, sed totius civitatis quærunt utilitatem, committendam esse & conferendam. Pari modo in horologio, cui ceteroquin completo, aliqua deficit rota, ad determinandum indicis motum, motui solis responsurum, requisita, locum non invenit, quæ desideratur, perfectio: Quoniam tamen reliquæ partes omnes horologii adsunt, atque altera, propter alteram existit; adest ordo, qui ergo in hoc casu & aliis ejusmodi sine perfectione datur.

§. 766.

Veritatis & perfectionis discrimen.

Absolvitur veritas ordine eorum, quæ enti competunt (§.710.), sed non omnis ordo, eorum scilicet, quæ alicui conveniunt enti, perfectionem infert (§. 765.). *Datur ergo sine perfectione veritas, quare hæc cum illa non est confundenda.*

Veritatem ex principio contradictionis & rationis sufficientis pendere evicimus (§. 713.), sed possunt haud pauca ex illis determinata esse principiis, quæ tamen simul posita nec sibi nec rationi determinanti perfectionis conspirant, ut in structura oculi, sublata retina, reliqua nihilominus determinantur ex dictis principiis, veritatemque ideo habent, in genere sic dictam; deest tamen oculo sua perfectio. Verum ergo cum perfecto non confundendum esse liquet. Regeris forte: *Omne ens est perfectum, quia habet consensum plurium in uno, & omne verum, quod partialium notionum dicit ordinem, est ens.*

ens. Ergo omne verum est perfectum. Coincidunt idcirco veritatis & perfectionis ideæ. Largior, omne ens esse essentialiter perfectum, verum quoque, hoc ergo & illud idem involvere materialiter; inde tamen non sequitur veritatem cum perfectione coincidere formali, uti loqui amant, sensu: nam per diversas a se mutuo distinguuntur notiones, quas suis jam tradidimus locis. De cetero ubi diximus dari in entibus sine perfectione veritatem, sermo nobis est non tam de perfectione essentiali, quæ quatenus omni inest enti, a veritate ejusdem separari nequit materialiter, quam potius de accidentali, quæ salva entis veritate Metaphysica, ei deesse potest. Unde quia perfectio accidentalis sub perfectione in genere comprehenditur, recte asseruimus dari casus, in quibus veritas sine perfectione obtinet.

§. 767.

Perfectionis simplicis & compositæ definitiones.

Si ratio determinans perfectionis unica fuerit, *Perfectio* dicitur *simplex*. Si vero rationes determinantes plures fuerint & a se mutuo diversæ, *Perfectio composita* adpellatur.

Quamvis in rebus naturalibus & finitis nulla, accurate loquendo, detur perfectio simplex, concipiuntur tamen in rebus Geometricis simplices perfectiones. Ita perfectionem circuli judicamus non ex pluribus sed hac unica ratione determinante, quæ æqualitatem infert omnium linearum, quæ a centro ad peripheriam ejus ducuntur, ita ut si vel unica linea ab hac ra-

ratione deflectat, perfectum non censeamus circulum. Exhibet ergo circuli perfectio aliquod simplicis perfectionis exemplum. Perfectio autem fenestrarum in aedificio composita est, ex quadruplici enim pendet ratione determinante 1;o) *illuminatione* conclavis, 2;o) *commoditate prospectus*, 3;o) *symmetria totius aedificii*, 4;o) *commoda conclavis inhabitatione*, aëris cursu (vulgo drag.) per fenestras & januas non impedita. Pari modo perfectio studiorum curriculi composita est: Ex pluribus enim pendet illa capitibus. Debent actiones studiosi eo collimare, ut fiat doctior, melior, seu, in virtute crescat, ut minimo tempore, labore, sumtu, in utroque proficiat.

§. 768.

Propositio enuncians determinationem realitatum, rationi determinanti perfectionis conformem, *Regula perfectionis* audit. *Regula perfectionis definitur.*

Sic salus & securitas publica est ratio determinans perfectionis reipublicae, unde varias deducere solent Politici propositiones, ad quarum tenorem determinant qualitates tum officialium tum nutrientium, tum etiam omnium in republica agendorum. Hae ergo omnes regularum Politicarum nomine veniunt, ex quibus perfectionem civitatis dijudicare solemus.

Differt regula ordinis a regula perfectionis; ex illa pendet ratio cur cuilibet plurium determinatus adsignetur locus (§. 695.); haec, ex ratione determinante perfectionis deducta, non modo inservit determinando cujuslibet plurium

loco, sed & qualitati & quantitati earum constituendis, quum per hanc intelligatur, cur quæ perfecto insint ita se potius habeant quam aliter, hæc & tanta potius sint quam alia (§. 763. 762.); hæc perfectionem infert, illa non semper (§. 765.), hæc includit illam (§. 764.), in illa autem hæc non continetur (§. 765.). Altera ergo cum altera non est confundenda.

§. 769.

Regulæ perfectionis quando inter se non pugnant.

Regulæ perfectionis, ex unica ratione determinante perfectionis deductæ, inter se pugnare nequeunt. Quoniam enim ex unica ratione determinante pendent, seu, determinantur hæ regulæ (per hypoth.), posita ratione determinante, quælibet earum simul ponitur (§. 196.). Altera ergo alteri neque contrariatur, neque contradicit (§. 424.), seu, quod idem est: altera cum altera non pugnat. Aliter. Ponamus regulas istas inter se opponi, habebunt ergo oppositam rationem sufficientem (§. 427.), seu, determinantem. Sed agnoscunt nonnisi unicam rationem determinantem (per hypoth.), quæ sibi ipsi opposita esse nequit (§. 53.). Non ergo inter se oppositæ sunt regulæ ex unica deductæ ratione determinante.

Ex. gr. Diximus modo unicam esse perfectionis circuli rationem determinantem, quæ absolvitur æqualitate omnium ejus radiorum. Derivantur hinc regulæ 1:o) Circulum talem esse

figu-

figuram, ut si in illa ductæ fuerint duæ rectæ, sese mutuo secantes, rectangulum, comprehensum sub segmentis unius, æquale sit ei, quod sub segmentis alterius continetur rectangulo El. III. p. 35. 2:0) Quod omnis figura quadrilatera, cujus anguli oppositi sunt æquales duobus rectis, possit circulo inscribi El. III. p. 22. 3:0) Quod perpendicularis ex quolibet peripheriæ puncto ad diametrum ducta sit media proportionalis inter segmenta diametri El. VI. p. 8. Hæ & aliæ regulæ, ex unica illa perfectionis circuli ratione determinante deductæ, eo minus secum invicem pugnant, quo certius est illas omnes de quolibet circulo locum simul habere.

§. 770.

Regulæ perfectionis, ex diversis rationibus determinantibus derivatæ, inter se pugnare possunt. *Quando inter se pugnare possunt.*

Quoniam enim diversæ sunt rationes determinantes, quibus nituntur regulæ perfectionis (per hypoth.), & hæ ex illis determinantur (§. 768.); non potest non illarum disconvenientia harum quoque inferre diversitatem (§. 405.), quæ cum oppositione, seu, pugna (§. 424.), conjuncta esse potest (§. 429. 430.). Regulæ ergo perfectionis, ex diversis rationibus determinantibus derivatæ, inter se pugnare possunt.

Ex. gr. Rationes determinantes perfectionem fenestrarum variæ sunt, ut antea indicavimus, (§. 767.). Locum inter has obtinent major con-

clavis illuminatio, & commoda ejusdem inhabitatio. Ex priori fluit hæc regula: *Quo plures & majores constituuntur fenestræ, eo magis illuminatur conclave.* Ex posteriori autem derivatur alia, huic contraria: *Quo plures & majores collocamus fenestras, eo magis impedita & minus salutaris redditur conclavis inhabitatio.* Quia ergo ab esse, uti loqui amant, ad posse valet consequentia, facile agnoscis possibilem esse pugnam regularum, quæ ex diversis pendent rationibus determinantibus.

§. 771.

Exceptionis definitio. Pugna vel collisio regularum *Exceptionem* parit, quæ est determinatio regulæ contraria ob regularum, simul observandarum collisionem facta.

Ex. gr. Si Cajus, navigio vectus, procellosa ita premitur tempestate, ut nisi merces in mare projiciat, vitam conservare non possit, duplex adest regula, ei observanda, altera jubet vitæ, altera bonorum conservationem. Utrique in dato casu simul satisfacere nequit, quia vero merces minoris sunt æstimandæ quam vita, hanc conservat cum illarum in mare projectione, h. e. cum determinatione regulæ, quæ jubet bonorum conservationem, contraria, ob collisionem regularum, in hoc casu simul observandarum factam.

§. 772.

Nullus igitur in perfectione simplici locus est exceptioni, sed in perfectione composita habere potest locum. Unica adest ratio determi-

minans in perfectione simplici (§. 767.). In hac ergo nulla locum habere potest regularum pugna, seu, collisio (§. 769.), nullaque, per consequens, exceptio (§. 771.). Q. E. U.

At in perfectione composita diversæ dantur rationes determinantes (§. 767.). Regulæ igitur, inde pendentes, inter se pugnare possunt & collidi (§. 770.). Quam ob rem, quia ex collisione regularum oritur exceptio (§. 771.); in perfectione composita locum habere potest exceptio. Q. E. A.

Ex. gr. Perfectio auris est composita, & duplicem agnoscit rationem determinantem, prior exigit, quod possit percipere sonos dissitos & debiles, posterior, quod propinquos & fortes. Illa postulat nervorum & tympanæ nimiam subtilitatem, hæc crassitiem. Utraque ergo simul observari nequit regula, quare ab alterutra facienda est exceptio. Idem in republica locum habet, cujus perfectio valde composita censetur, non licet in illa simul obtinere totius felicitatem, & singulorum ejus membrorum eodem ubique gradu. Alterutrum ergo principium aliquam subire debet exceptionem. In studiorum curriculo uberior rerum addiscendarum doctrina, cum minori temporis & sumtuum dispendio comparanda, compositam exhibet rationem determinantem. Quo plura addiscis, eo perfectior redditur tua eruditio, sed quo plures tractas res, eo aut diutius illis inhærebis, aut tumulturarie circa illas versaberis, utrumque detrahit alteri parti rationis com-

positæ. Exceptio igitur est facienda vel ex amplitudine rerum addiscendarum, vel celeritate absolvendi studiorum cursus, vel denique solidiori rerum cognitione.

§. 773.

Quo sensu exceptio imperfectionem generet.

Exceptio infert imperfectionem remotive talem. Quoniam exceptio est determinatio, regulæ contraria, ob exortam regularum, simul observandarum, collisionem (§. 771.), posita exceptione, ponitur determinatio regulæ contraria, seu, quod idem est, detrahitur rei, in qua locum habet exceptio, aliqua realitas, quæ ob regularum contrarietatem simul inesse nequit (§. 424.). Sed si rei deest realitas, quæ inesse poterat, generatur imperfectio remotive talis (§. 761.). Generat ergo exceptio hujus generis imperfectionem.

Conspicitur hoc in exemplo, mox allato, & ex perfectione curriculi studiorum desumto. Si exceptionem facis ab amplitudine rerum cognoscendarum, deerit tibi hujus vel illius rei notitia; si a tempore absolvendi studiorum cursus, deerit desiderata celeritas & concitatior in republica promotio ad aliquod officiorum genus; si à solidiori rerum cognitione, deerit tibi notitia connexionis rerum cum ultimis suis principiis. Ubique & in omni casu involvit, de qua loquimur, exceptio defectum alicujus realitatis, &, per consequens, imperfectionem remotive talem.

§. 774.

§. 774.

Exceptio nullam gignit imperfectionem contrarie talem. Est exceptio determinatio regulæ uni contraria, sed alteri adhuc conformis, quum utrique ob collisionem satisfieri nequeat (§. 771.). Collisionem itaque regularum impedit exceptio, tollitque adeo tendentiarum pugnam, seu, contrarietatem, nullamque proinde imperfectionem, contrarie talem, infert (§. 761.).

Quo sensu exceptio imperfectionem non generet.

Scilicet in omni composita perfectione, in qua locum habet exceptio (§. 772.), adest aliquod ultimum perfectionis principium, seu, generalis quædam ratio perfectionis determinans (§. 762.), cui reliqua omnia particularia subordinantur principia, omnesque inde derivatæ regulæ. Exceptio igitur, ex collisione harum regularum oriunda, si non admitteretur, nullus obtineri possit consensus cum generali isto principio (§. 735.), nulla perfectio (§. 737.). Potius itaque inservit exceptio consensui & perfectioni obtinendis, quam dissensui & imperfectioni excitandis.

In republica, cujus ultimata perfectionis ratio salute & securitate publica absolvitur, æquali perfectionis gradu singulis frui non licet civibus, quia dissensus inde oriretur cum salute totius, exceptio igitur in partibus est facienda, quæ proinde nullam imperfectionem contrarie talem reipublicæ infert, sed summam potius, quæ obtineri poterit, conservat & promovet perfectionem.

Exceptionis a peccato diversitas.

Ne verissimam, quam evicimus, thesin in abusum trahas, quasi ex illa sequeretur malum morale, quod exceptionis nomine haud raro venit, nullam contrarie talem gignere imperfectionem, nullumque cum fine ultimo, qui in Gloriæ Divinæ manifestatione ponitur, parere dissensum; sollicite teneas nos heic agere de exceptione, quæ α) *oritur ex collisione* regularum, ex rei veritate conditarum, non autem hominum opinione & libertatis abusu fictarum; β) *Quæ ergo evitari nequit* ne quidem a sapientissimo, ob operis constituendi qualitatem, cujus perfectionem plura ingrediuntur principia, eodem gradu & modo simul haud obtinenda γ) *Quæ fit in ea parte* eoque modo, ut summæ totius perfectioni possibili, nihil detrahatur, sed δ) *quæ ei obtinendæ* potius inservit. Malum igitur morale, ex abusu libertatis, contra Dei legem, quæ observari & potest & debet, ortum, nullam necessitatem habet, quæ evitari nequit, multumque detrahit perfectioni hominis, nihil ergo cum hac, quam loquimur, exceptione habet commercii, nec valet ab hac ad illud colligere. Et quid miri? Ipsa exceptionis notio manifestum a malo morali, quod peccati venit nomine, indicat discrimen. Illa continetur determinatione, regulæ contraria, ob regularum *simul observandarum* collisionem, facta, hoc absolvitur determinatione Legi Divinæ contraria, ob nullam regularum, quæ observari debent, collisionem, sed per merum libertatis abusum introducta.

§. 775.

§. 775.

Determinationem regulæ contrariam defectum diximus (§. 702.), in ea nimirum re, in qua locum habet determinatio. Defectus, qui evitari non potest, *Apparens* vocatur; qui vero evitari poterat, *Verus* adpellatur. *Defectus est vel apparens vel verus.*

Notetur apparentem defectum non opponi nulli, sed vero, nam re ipsa est defectus, licet evitari non possit, in illo scilicet, in quo datur, ente. Sic defectus facultatis intelligendi in anima humana non est nullus, quatenus tamen salva manente animæ essentia evitari nequit, non veri, sed apparentis venit nomine, verus autem foret si posset anima majorem, quam habet, possidere intelligendi perfectionem.

§. 776.

Exceptio gignit defectum, non tamen verum, sed apparentem tantum. Involvit exceptio determinationem, regulæ contrariam (§. 771.), &, per consequens, defectum (§. 775.). Quia tamen exceptioni locus non est, nisi ubi regulæ colliduntur, seu, ubi una alteri repugnat (§. 771.), impossibilis est determinatio, utrique simul in dato casu satisfaciens regulæ (§. 53.), utcunque, absolute loquendo, & in se spectata sit possibilis. Exceptio igitur, determinationem involvens, regulæ uni contrariam, in casu collisionis regularum, defectum parit, qui evitari nequit, & per consequens non verum, sed apparentem (§. 775.). *Exceptio qualem gignit defectum.*

V. gr.

V. gr. In auri regulæ ex perceptione sonorum dissitorum & debilium, tum & propinquorum fortiumque derivatæ, sibi mutuo contrariantur, ita ut obscurior reddatur perceptio remotorum & debilium, si clare & distincte percipiuntur propinqui & fortes. Utrique ergo regulæ simul satisfieri nequit; quare exceptio a priori facienda, non verum, sed apparentem gignit defectum, quum auris, rebus propinquis, ob propiorem earum in vita communi usum, clare & distincte percipiendis, potius sit destinata, quam remotis & debilibus, quæ memorata vi & efficacia destituuntur, eodem celeritatis gradu sentiendis.

§. 777.

Quæ ex defectu imperfectio. Evicimus modo (§. præc.) exceptionem gignere defectum, non verum, sed apparentem. Efficit vero exceptio imperfectionem remotive talem (§. 773.), non autem contrarie talem (§. 774.). *Ubicunque ergo locum habet defectus non nisi apparens, ibi nulla contraria, sed solum remotiva obtinet imperfectio.*

Illustrationis gratia adhiberi possunt exempla, mox adducta ad §.§. 773. 774. 776. aliaque his similia. Liquet de cetero, quod mox adnotavimus (§. 775.), defectum apparentem, quia ponit imperfectionem, remotive talem, non esse nullum, vel merum imaginationis fœtum, sed absolute loquendo aliquam involvere imperfectionem, licet in hoc vel illo ente in specie vel individuo, quod, quoad totam suam considera-

tum

tum complexionem perfectius esse nequit, nullius realitatis, quæ inesse poterat, carentiam inferat, & hoc respectu, ut nullus æstimetur.

§. 778.

Quæ imperfectio oritur ex defectu vero.

Defectus verus imperfectionem parit contrarie talem. Est enim defectus determinatio regulæ contraria, & quia verus ponitur, determinatio eidem regulæ conveniens fieri poterat (§. 775.). Ubi igitur verus est defectus, ibi determinationes quædam contrariantur regulæ, rationique proinde determinanti perfectionis (§. 768.), aliis eidem convenientibus. Datur ergo inter illas dissensus (§. 739.). Consequenter in re, cui determinationes istæ insunt, oritur imperfectio contrarie talis (§. 761.).

Ex. gr. Ratio determinans perfectionis horologii est motus indicis, motui solis respondens. Si ergo talis fuerit horologii structura, ut post unam vel alteram indicis revolutionem, vel deficiat a motu solis, vel eundem excedat uno vel aliquot minutis; vero defectu laborat horologium, atque eatenus imperfectum merito censetur.

§. 779.

Gradus in perfectione.

Constituitur respectiva perfectio consensu realitatum respectivarum (§. 757.). Duo igitur in illa considerare debemus, consensum nimirum & realitates ipsas. Absolvitur consensus tendentia plurium ad idem aliquod actuandum (§. 735.), quod rationem determinantem perfectionis ad-

adpellavimus (§. 763.), ex qua regulæ perfectionis determinantur (§. 768.). In omni ergo perfectione, ſaltem reſpectiva conſiderari debent plures determinationes, regulis convenientes. Hæc multitudo convenientiarum determinationum entis quantitatis nomine venit (§. 666.), quæ, abſolute loquendo, augeri poteſt & minui (§. 686.). Fandem conſiderationem ſubit reſpectiva perfectio, quoad realitates, quas poſſidet reſpectivas, quarum quælibet aliquo compoſſibilis laborat defectu (§. 743.); qui omnis quantitas eſt (§. 484.); proindeque augeri poteſt & minui (§. 686.). Exſurgunt hinc varii entium reſpective perfectorum ordines, quorum alter altero eſt præſtantior. Scilicet ſi duo A & B fuerint reſpective perfecta, *A dicitur perfectius quam B*, 1:o) ſi major eſt multitudo convenientiarum determinationum ejus cum regulis, per quas perfectio explicatur, 2:o) ſi minor eſt defectus realitatum reſpectivarum, in τῷ A occurrentium, quam earum, quæ in B locum habent. Unde facile intelligitur quid in *ſuo genere ſit perfectiſſimum*, illud ſcilicet, quod poſſidet realitatum reſpectivarum ſummum, quantum datur, conſenſum, cum minimo, quantum ſalva rei idea generali fieri poteſt, defectu, & qua quamlibet realitatem, & qua earum numerum.

§. 780.

§. 780.

Sua veluti sponte hinc fluit ens in suo genere perfectissimum nullo vero laborare defectu, sed apparente tantum. Indicavimus modo (§. praec.) in ente in suo genere perfectissimo dari aliquem defectum, qui aut verus est, aut apparens (§. 775.), si verus, daretur in illo ente imperfectio contrarie talis (§. 778.), dissensusque idcirco realitatum (§. 761.) quod per naturam entis in suo genere perfectissimi (§. 779.) implicat. Non ergo nisi apparens est defectus in ente in suo genere perfectissimo, qui datur. *Qualitas perfectionis entis in suo genere perfectissimi.*

Sic si respublica in suo genere est perfectissima, veri in illa non conspiciuntur defectus & nævi, sed apparentes tantum, qui non tollunt, sed promovent potius consensum omnium ejus partium, cum ultimo perfectionis ejus principio.

§. 781.

In ente igitur in suo genere perfectissimo nulla datur regulæ vel regulis perfectionum contraria determinatio, quæ evitari poterat (§. 775.).

Hinc si in republica v. gr. dantur determinationes, regulis perfectionis ejus contrariæ, quæ evitari & poterant & debebant, veluti si plus justo evehitur & promovetur commercantium ordo, cum depressione ordinis res manuarias exercentium, nequit illa respublica esse in suo genere perfectissima.

§. 782.

Exceptionum varius modus. *Exceptiones vario, absolute si loquamur, fieri possunt modo.* Nulla enim locum habet exceptio, nisi ubi datur plurium regularum collisio (§. 771.). Sint ergo duæ solum regulæ A & B inter se pugnantes. Facienda jam est aliqua exceptio, seu, determinatio regulæ contraria (§. cit.). Non repugnat quamdiu absolute de exceptionibus agimus, sumere determinationem vel regulæ A contrariam, salva manente regula B; vel etiam regulæ B contrariam, immutata persistente regula A, vel ex utraque simul sed partialiter & æqualiter; vel etiam inæqualiter, ex una scilicet minus, ex altera magis. Quatuor ergo hinc oriuntur possibiles modi constituendarum exceptionum. Si vero tres pluresve fuerint regulæ, inter se pugnantes, longe major oriretur numerus possibilium exceptionum.

Non heic fusius ingredior, quod artis combinatoriæ proprium est munus, quum nemo vel parum in illa exercitatus ignoret in modica rerum multitudine magnum in numerum crescere variationum possibilium modos. Potius adnotabo exemplum, rei, quam loquor, illustrandæ accommodatum. Nemo nescit rempublicam constitui variis civium ordinibus, ex quorum singulorum perfectinoe, totius oritur felicitas. Sic ordo datur, ut alios taceam plures, mercatorum, eorum, qui artem manuariam exercent, Agri-

colarum, metallifoſſorum. Horum omnium & ſingulorum, quatenus unius negotia alterius plus vel minus ingrediuntur partes, ſumma dari nequit perfectio: quantum enim auges mercantium perfectionem, tantum fabricantium ordini detrahis. Et viciſſim, ſi eousque auges fabricantium commoda ut nihil hac parte perfectionis relinquatur commercantibus, his multum derogaretur perfectionis. Simili modo declaratur res circa reliquos ordines. Faciendæ ergo ſunt aliquæ exceptiones, quæ diverſiſſimo plane poſſibiles ſunt modo: *Vel enim* totus mercantium ordo tolli poteſt; *vel imminui* poſſunt ejus privilegia, reliquis non mutatis ordinibus, eorumque privilegiis non imminutis, ſed auctis potius; vel fabricantium deprimi poteſt felicitas, iterum vel ex toto, vel ex parte, ſalvo, quod expetunt, Mercatores commodo; vel his ſalvis ordinibus, mercatorum ſcilicet & fabricantum, tolli poteſt vel imminui unus alterve ex reliquis, idque etiam diverſa ratione, varioque inſtituto. Non heic expono quæ exceptiones ceteris ſint optabiliores magisque ſaluti totius reipublicæ inſerviant, ſed quæ absque hoc reſpectu, abſolute & in ſe ſint poſſibiles.

§. 783.

Ratio determinans perfectionis ultima, vel, ſi placet, *Principium perfectionis ultimum* eſt, cui reliqua omnia particularia ſubordinantur principia: Ad quod ergo conſtituendum & actuandum hæc conſentire & conſpirare debent; quum prin- *Perfectionis ultimum principium.*

ci-

Exceptionis a peccato diversitas. Ne verissimam, quam evicimus, thesin in abusum trahas, quasi ex illa sequeretur malum morale, quod exceptionis nomine haud raro venit, nullam contrarie talem gignere imperfectionem, nullumque cum fine ultimo, qui in Gloriæ Divinæ manifestatione ponitur, parere dissensum; sollicite teneas nos heic agere de exceptione, quæ α) *oritur ex collisione* regularum, ex rei veritate conditarum, non autem hominum opinione & libertatis abusu fictarum; β) *Quæ ergo evitari nequit* ne quidem a sapientissimo, ob operis constituendi qualitatem, cujus perfectionem plura ingrediuntur principia, eodem gradu & modo simul haud obtinenda γ) *Quæ fit in ea parte* eoque modo, ut summæ totius perfectioni possibili, nihil detrahatur, sed δ) *quæ ei obtinendæ* potius inservit. Malum igitur morale, ex abusu libertatis, contra Dei legem, quæ observari & potest & debet, ortum, nullam necessitatem habet, quæ evitari nequit, multumque detrahit perfectioni hominis, nihil ergo cum hac, quam loquimur, exceptione habet commercii, nec valet ab hac ad illud colligere. Et quid miri? Ipsa exceptionis notio manifestum a malo morali, quod peccati venit nomine, indicat discrimen. Illa continetur determinatione, regulæ contraria, ob regularum *simul observandarum* collisionem, facta, hoc absolvitur determinatione Legi Divinæ contraria, ob nullam regularum, quæ observari debent, collisionem, sed per merum libertatis abusum introducta.

§. 775.

§. 775.

Determinationem regulæ contrariam defectum diximus (§. 702.), in ea nimirum re, in qua locum habet determinatio. Defectus, qui evitari non potest, *Apparens* vocatur; qui vero evitari poterat, *Verus* adpellatur. *Defectus est vel apparens vel verus.*

Notetur apparentem defectum non opponi nulli, sed vero, nam re ipsa est defectus, licet evitari non possit, in illo scilicet, in quo datur, ente. Sic defectus facultatis intelligendi in anima humana non est nullus, quatenus tamen salva manente animæ essentia evitari nequit, non veri, sed apparentis venit nomine, verus autem foret si posset anima majorem, quam habet, possidere intelligendi perfectionem.

§. 776.

Exceptio gignit defectum, non tamen verum, sed apparentem tantum. Involvit exceptio determinationem, regulæ contrariam (§. 771.), &, per consequens, defectum (§. 775.). Quia tamen exceptioni locus non est, nisi ubi regulæ colliduntur, seu, ubi una alteri repugnat (§. 771.), impossibilis est determinatio, utrique simul in dato casu satisfaciens regulæ (§. 53.), utcunque, absolute loquendo, & in se spectata sit possibilis. Exceptio igitur, determinationem involvens, regulæ uni contrariam, in casu collisionis regularum, defectum parit, qui evitari nequit, & per consequens non verum, sed apparentem (§. 775.). *Exceptio qualem gignit defectum.*

V. gr.

V. gr. In auri regulæ ex perceptione sonorum dissitorum & debilium, tum & propinquorum fortiumque derivatæ, sibi mutuo contrariantur, ita ut obscurior reddatur perceptio remotorum & debilium, si clare & distincte percipiuntur propinqui & fortes. Utrique ergo regulæ simul satisfieri nequit; quare exceptio a priori facienda, non verum, sed apparentem gignit defectum, quum auris, rebus propinquis, ob propiorem earum in vita communi usum, clare & distincte percipiendis, potius sit destinata, quam remotis & debilibus, quæ memorata vi & efficacia destituuntur, eodem celeritatis gradu sentiendis.

§. 777.

Quæ ex defectu imperfectio.

Evicimus modo (§. præc.) exceptionem gignere defectum, non verum, sed apparentem. Efficit vero exceptio imperfectionem remotive talem (§. 773.), non autem contrarie talem (§. 774.). *Ubicunque ergo locum habet defectus non nisi apparens, ibi nulla contraria, sed solum remotiva obtinet imperfectio.*

Illustrationis gratia adhiberi possunt exempla, mox adducta ad §.§. 773. 774. 776. aliaque his similia. Liquet de cetero, quod mox adnotavimus (§. 775.), defectum apparentem, quia ponit imperfectionem, remotive talem, non esse nullum, vel merum imaginationis fœtum, sed absolute loquendo aliquam involvere imperfectionem, licet in hoc vel illo ente in specie vel individuo, quod, quoad totam suam considera-

tum

tum complexionem perfectius esse nequit, nullius realitatis, quæ inesse poterat, carentiam inferat, & hoc respectu, ut nullus æstimetur.

§. 778.

Defectus verus imperfectionem parit contrarie talem. Est enim defectus determinatio regulæ contraria, & quia verus ponitur, determinatio eidem regulæ conveniens fieri poterat (§. 775.). Ubi igitur verus est defectus, ibi determinationes quædam contrariantur regulæ, rationique proinde determinanti perfectionis (§. 768.), aliis eidem convenientibus. Datur ergo inter illas dissensus (§. 739.). Consequenter in re, cui determinationes istæ insunt, oritur imperfectio contrarie talis (§. 761.). *Quæ imperfectio oritur ex defectu vero.*

Ex. gr. Ratio determinans perfectionis horologii est motus indicis, motui solis respondens. Si ergo talis fuerit horologii structura, ut post unam vel alteram indicis revolutionem, vel deficiat a motu solis, vel eundem excedat uno vel aliquot minutis, vero defectu laborat horologium, atque eatenus imperfectum merito censetur.

§. 779.

Constituitur respectiva perfectio consensu realitatum respectivarum (§. 757.). Duo igitur in illa considerare debemus, consensum nimirum & realitates ipsas. Absolvitur consensus tendentia plurium ad idem aliquod actuandum (§. 735.), quod rationem determinantem perfectionis *Gradus in perfectione.*

ad-

adpellavimus (§. 763.), ex qua regulæ perfectionis determinantur (§. 768.). In omni ergo perfectione, saltem respectiva considerari debent plures determinationes, regulis convenientes. Hæc multitudo convenientiarum determinationum entis quantitatis nomine venit (§. 666.), quæ, absolute loquendo, augeri potest & minui (§. 686.). Eandem considerationem subit respectiva perfectio, quoad realitates, quas possidet respectivas, quarum quælibet aliquo compossibilis laborat defectu (§. 743.), qui omnis quantitas est (§. 484.); proindeque augeri potest & minui (§. 686.). Exsurgunt hinc varii entium respective perfectorum ordines, quorum alter altero est præstantior. Scilicet si duo A & B fuerint respective perfecta, *A dicitur perfectius quam B*, 1:o) si major est multitudo convenientiarum determinationum ejus cum regulis, per quas perfectio explicatur, 2:o) si minor est defectus realitatum respectivarum, in τῷ A occurrentium, quam earum, quæ in B locum habent. Unde facile intelligitur quid in *suo genere sit perfectissimum*, illud scilicet, quod possidet realitatum respectivarum summum, quantum datur, consensum, cum minimo, quantum salva rei idea generali fieri potest, defectu, & qua quamlibet realitatem, & qua earum numerum.

§. 780.

§. 780.

Sua veluti sponte hinc fluit ens in suo genere perfectissimum nullo vero laborare defectu, sed apparente tantum. Indicavimus modo (§. praec.) in ente in suo genere perfectissimo dari aliquem defectum, qui aut verus est, aut apparens (§. 775.), si verus, daretur in illo ente imperfectio contrarie talis (§. 778.), dissensusque idcirco realitatum (§. 761.) quod per naturam entis in suo genere perfectissimi (§. 779.) implicat. Non ergo nisi apparens est defectus in ente in suo genere perfectissimo, qui datur. *Qualitas perfectionis entis in suo genere perfectissimi.*

Sic si respublica in suo genere est perfectissima, veri in illa non conspiciuntur defectus & naevi, sed apparentes tantum, qui non tollunt, sed promovent potius consensum omnium ejus partium, cum ultimo perfectionis ejus principio.

§. 781.

In ente igitur in suo genere perfectissimo nulla datur regulae vel regulis perfectionum contraria determinatio, quae evitari poterat (§. 775.).

Hinc si in republica v. gr. dantur determinationes, regulis perfectionis ejus contrariae, quae evitari & poterant & debebant, veluti si plus justo evehitur & promovetur commercantium ordo, cum depressione ordinis res manuarias exercentium, nequit illa respublica esse in suo genere perfectissima.

§. 782.

§. 782.

Exceptionum varius modus. *Exceptiones vario, absolute si loquamur, fieri possunt modo.* Nulla enim locum habet exceptio, nisi ubi datur plurium regularum collisio (§. 771.). Sint ergo duæ solum regulæ A & B inter se pugnantes. Facienda jam est aliqua exceptio, seu, determinatio regulæ contraria (§. cit.). Non repugnat quamdiu absolute de exceptionibus agimus, sumere determinationem vel regulæ A contrariam, salva manente regula B; vel etiam regulæ B contrariam, immutata persistente regula A, vel ex utraque simul sed partialiter & æqualiter; vel etiam inæqualiter, ex una scilicet minus, ex altera magis. Quatuor ergo hinc oriuntur possibiles modi constituendarum exceptionum. Si vero tres pluresve fuerint regulæ, inter se pugnantes, longe major oriretur numerus possibilium exceptionum.

Non heic fusius ingredior, quod artis combinatoriæ proprium est munus, quum nemo vel parum in illa exercitatus ignoret in modica rerum multitudine magnum in numerum crescete variationum possibilium modos. Potius adnotabo exemplum, rei, quam loquor, illustrandæ accommodatum. Nemo nescit rempublicam constitui variis civium ordinibus, ex quorum singulorum perfectinoe, totius oritur felicitas. Sic ordo datur, ut alios taceam plures, mercatorum, eorum, qui artem manuariam exercent, Agri-

cola-

colarum, metallifoſſorum. Horum omnium & ſingulorum, quatenus unius negotia alterius plus vel minus ingrediuntur partes, ſumma dari nequit perfectio: quantum enim auges mercantium perfectionem, tantum fabricantium ordini detrahis. Et viciſſim, ſi eousque auges fabricantium commoda ut nihil hac parte perfectionis relinquatur commercantibus, his multum derogaretur perfectionis. Simili modo declaratur res circa reliquos ordines. Faciendæ ergo ſunt aliquæ exceptiones, quæ diverſiſſimo plane poſſibiles ſunt modo: *Vel enim* totus mercantium ordo tolli poteſt; *vel imminui* poſſunt ejus privilegia, reliquis non mutatis ordinibus, eorumque privilegiis non imminutis, ſed auctis potius; vel fabricantium deprimi poteſt felicitas, iterum vel ex toto, vel ex parte, ſalvo, quod expetunt, Mercatores commodo; vel his ſalvis ordinibus, mercatorum ſcilicet & fabricantum, tolli poteſt vel imminui unus alterve ex reliquis, idque etiam diverſa ratione, varioque inſtituto. Non heic expono quæ exceptiones ceteris ſint optabiliores magisque ſaluti totius reipublicæ inſerviant, ſed quæ absque hoc reſpectu, abſolute & in ſe ſint poſſibiles.

§. 783.

Perfectionis ultimum principium. *Ratio determinans perfectionis ultima*, vel, ſi placet, *Principium perfectionis ultimum* eſt, cui reliqua omnia particularia ſubordinantur principia: Ad quod ergo conſtituendum & actuandum hæc conſentire & conſpirare debent; quum principi-

cipium A principio B subordinari dicatur, si ex B intelligitur & determinatur A.

Ex. gr. Ultimum perfectionis reipublicæ principium est salus & securitas ejus publica, cui conservandæ & promovendæ subservire debent omnia particularia, cujuscunque in illa ordinis, ejusque perfectionis principia; sine illo ultimo seorsim non valitura.

§. 784.

Quomodo ad obtinendam perfectionem in suo genere maximam facienda est exceptio.

Si perfectio, in suo genere maxima, obtineri debet, ita instituenda est exceptio, ut, hac admissa, consensus cum principio ultimo remaneat. Perfectio esse potest in suo genere summa, etiamsi in illa dentur defectus apparentes (§. 780.), ex exceptione oriundi (§. 776.). Non ergo impedit exceptio, quominus obtineatur perfectio in suo genere summa. Sed, absolute loquendo, diversimode fieri potest exceptio (§. 782.), &, per consequens, ita institui, ut cum principio ultimo conspiret, ad quod constituendum reliqua omnia particularia consentiunt (§. 783.). Hoc consensu nihil desideratur amplius ad constituendam perfectionem in suo genere maximam, quum consensu absolvatur realitatum respectivarum, quantum fieri potest, summo (§. 779.). Ad obtinendam ergo hanc perfectionem, ita instituatur

tur

tur exceptio, ut, hac admissa, remaneat consensus cum principio ultimo.

Ex. gr. In structura oculi ex principiis Optico-Dioptricis fieri nequit, ut 1:o) remotissima, 2:o) minutissima, 3:o) modice dissita & magna, 4:o) omniaque hæc distinctissime videat. Facienda ergo est aliqua exceptio (§.771.), quæ, absolute loquendo, multis modis ex his principiis est possibilis (§. 782.); Quoniam tamen ultimum perfectionis oculi principium exinde merito desumitur, quod cautelæ datus is sit corpori organico, anima juncto, evitandi noxia, &, facta in mente perceptione, appetendi proficua, quorsum propiora magis quam remotiora, mediocria & magna magis quam minutissima pertinent; si in suo genere perfectissima desideratur oculi structura, talis instruatur necesse est exceptio, ut remotissima lateant & minutissima, conspiciantur vero distincte mediocriter remota & propinqua, eademque corpori afficiendo proportionata.

§. 785.

Quando ratio perfectionis totius & principium ultimum coincidunt.

Si plura simul constituunt unum perfectum, ratio perfectionis totius est principium ultimum perfectionis ejus. Etenim si plura simul unum constituunt perfectum, datur ratio quædam generalis, ex qua intelligitur, cur hæc potius entia, quam alia unum illud ingrediantur (§. 762.). Quia vero singula hæc entia, ceu partes, ad totum per-

fectum constituendum concurrentes (per hypoth.), suam quoque habent perfectionem; singulis, cur his & non aliis minoribus constituantur partibus, sua etiam conveniet ratio perfectionis (§. cit.). Rationes itaque perfectionis partium determinantur ex ratione generali totius (§. 194.). Illæ igitur huic subordinantur (§. 783.). Hæc ergo constituit principium ultimum perfectionis totius (§. cit.).

Ex. gr. Respublica est unum quoddam ex pluribus compositum ordinibus, quorum singulis sua competit perfectionis ratio, suum perfectionis principium. Quia tamen totius reipublicæ perfectio æstimatur ex modo, quo singulæ ejus partes ad salutem & felicitatem ejusdem tendunt; salus & felicitas totius reipublicæ est principium perfectionis ejus ultimum, cui principia perfectionis partium subordinari debent.

§. 786.

Quomodo in perfectione composita faciendæ sunt exceptiones.

Quam ob rem, quia non in perfectione simplici, sed composita, locum habent exceptiones (§. 772.), & in composito, ex pluribus conflato, ratio perfectionis totius est principium ultimum perfectionis ejusdem (§. 785.); *ad constituendum compositum in suo genere perfectissimum, exceptiones ita instruentur; ut, illis admissis, consensus remaneat cum perfectione totius* (§. 784.). Seu, quod idem est, aliæ nullæ admittendæ sunt exceptio-

ptiones, quam quæ ex ratione perfectionis totius determinantur.

Illustrationis gratia maneamus in exemplo, quod de reipublicæ perfectione mox attulimus. Annotatum modo est summam cujuslibet in civitate ordinis perfectionem haud subsistere posse cum summa totius, eamque ob causam exceptiones esse & necessarias, & vario modo possibiles (conf. not. ad §. 782.); quia vero in sapienti & condigna reipublicæ constitutione desideratur perfectio ejus, in suo genere maxima, determinandæ sunt exceptiones istæ ad tenorem principii perfectionis ejus ultimi (§. 784.), quod in civitate est salus & felicitas communis (§. 785.). Nullæ igitur aliæ in partibus ejus admitti debent exceptiones, quam sine quibus salus & felicitas communis obtineri haud possent.

§. 787.

Exceptiones quando perfectionem maximam, tollant, vel minus.

Absit itaque putemus aliquod compositum non esse in suo genere perfectissimum, si in illo dantur exceptiones. Modo enim determinentur ex principio perfectionis, totius ultimo, non solum salvam relinquunt perfectionem totius maximam (§. 786.), sed & ei promovendæ & constituendæ inserviunt (§. 774.). *Negari tamen nequit exceptiones vel plane non, vel non decenter ad principium perfectionis ultimum determinatas multum detrahere perfectioni totius, eamque in*

ſuo genere maximam non relinquere ſalvam. Determinari enim ad principium perfectionis ultimum, & ad idem non determinari ſunt ſibi invicem oppoſita (§. 424.), de quibus nonniſi oppoſita valent (§. 426.). Quam ob rem, quia exceptiones, ad principium perfectionis ultimum determinatæ, ſalvam relinquunt totius perfectionem, in ſuo genere maximam (per. dem.); non poſſunt non exceptiones ad idem principium vel plane non, vel non decenter determinatæ tollere perfectionem in ſuo genere maximam, eandemque impedire.

Ex. gr. Si in ordinibus, ex quibus tanquam partibus componitur reſpublica, inſtituuntur exceptiones, modo, quem non exigunt ſalus & felicitas ejus communis, ſi ſcilicet, vel tollitur, vel enervatur ordo, v. gr. fabricantium, qui plus utilitatis civitati adfert quam alius, v. gr. cum exoticis mercibus commercantium; exceptiones non inſtituuntur juxta ultimum perfectionis civitatis principium, ſed ei potius difformiter, unde non poſſunt perfectioni integræ civitatis multum detrahere; inferunt enim hoc caſu exceptiones diſſenſum cum principio ultimo (§. 739.), veramque proinde imperfectionem contrarie talem (§. 761.).

Putas fortaſſis hoc repugnare modo oſtenſis in §. 774. ubi evicimus exceptiones nullam gignere imperfectionem contrarie talem. Sed ſcias nos eo loco agere de exceptionibus uti eſſe debent, ſecundum momenta ibi adnotata: Hoc autem loco ſermo nobis eſt de exceptionibus, non-

non prout esse debent, sed prout ab hoc vel illo constituuntur, principio perfectionis ultimo difformiter. Vera igitur inter præcedentem & hanc præsentem positionem non datur pugna. Unde si placet exceptiones, de quibus impræsentiarum differo, non exceptiones, sed defectus veros adpellare, per me licebit, certum enim est has exceptiones gignere defectum non apparentem, sed verum, eoque nomine multum distare ab exceptionibus, quarum in antecedentibus facta est mentio.

§. 788.

Coëxistentia imperfectionis remotivæ, & maximæ in uno.

Exceptiones, veri scilicet nominis, gignere imperfectionem non contrarie talem (§. 774.), sed remotivam (§. 773.), easdemque in partibus decenter admissas non impedire quominus totum compositum sit in suo genere perfectissimum (§. 787.), mox ostensa luculenter ante oculos ponunt. ***Potest ergo aliquod compositum esse in suo genere perfectissimum, etiamsi in illo dentur imperfectiones remotive tales, in partibus ejus occurrentes.***

Quamlibet rem creatam, absolute si loquimur, esse in suo genere perfectissimam, nemo facile inficias iverit, etiamsi non destituatur illa imperfectionibus, remotive dictis: Quatenus enim creata est res, eatenus non gaudet nisi realitatibus respectivis, quæ semper cum aliquo defectu ulterioris sunt conjunctæ (§. 743.), imperfectionem remotive talem generantes (§. 761.). Ut adeo abunde pateat hoc imperfectio-

num genus, decenter admissum, non impedire quominus aliquod compositum possit esse in suo genere perfectissimum.

Qui cum *Leibnitio* defendunt præsentem mundum esse omnium possibilium perfectissimum, etiamsi in illo detur infinita & horrenda multitudo malorum moralium, quæ finibus in hac rerum serie, a Deo intentis, ita implicari credunt, ut eorundem & finis ultimi subordinatio, eo, quo nunc modo, iisdem ablatis, non amplius fieri possit, mala ergo tam physica, quam moralia facere ad manifestationem Sapientiæ Divinæ, & proinde constituere conditionem mundi perfectissimi sine qua non; qui talia, inquam, sentiunt, multum sibi præsidii in præsenti, quam tuemur, adsertione habere arbitrantur. Sed immerito: agit enim hæc de imperfectione remotive tali, oriunda ex veri nominis exceptionibus, quarum classi non accensendum esse malum morale hujus ab illis discrimen ostendit, perbrevi expositione mox indicatum (§. 774.).

§. 789.

Ex præsentia imperfectionis remotivæ non tollitur perfectio in suo genere maxima.

Ad denegandam ergo enti alicui perfectionem in suo genere maximam, non sufficit ostendisse partes ejus obnoxias esse exceptionibus, & imperfectionibus remotive talibus, quas habere potest licet ens illud in suo genere nihilo secius sit perfectissimum (§. 788.).

Ens absolute perfectum diximus (§. 752.), cui omnes realitates absolutæ insunt, & quod pro-

in-

inde omnem plane respuit defectum, & qua quamlibet realitatem, & qua earum numerum, quare, quia omnes exceptiones & imperfectiones defectum gignunt (§. 776.), si in aliquo ente adesse demonstraveris exceptiones partium, probas illud non esse ens absolute perfectum, nondum autem demonstrasti illud in suo genere non esse perfectissimum, quod varias admittit exceptiones, sed veri nominis & legitime institutas, salva sua perfectione in suo genere maxima (§. 787.). Recte vero evicisti compositum aliquod in suo genere non esse perfectissimum, si demonstrare potueris laborare illud vero defectu (§. 780.), vel qua realitates ipsas respectivas, vel qua earum consensum (§. 779.), et per consequens, in eodem composito exceptiones occurrere, vel plane non, vel non decenter ad ultimum perfectionis ejusdem principium determinatas (§. 787.).

§. 790.

In comparatione duorum imperfectorum potest alterum altero esse perfectius.

Si A & B fuerint entia ejusdem generis vel speciei potest A plures habere imperfectiones in partibus occurrentes, vel remotive, vel contrarie sic dictas, quam habet B, & tamen ipso B esse perfectius. Si perfectiones partiales, in A occurrentes, vel quà consensum cum principio perfectionis, vel quà realitates respectivas, subtractis imperfectionibus, majores fuerint & plures quam in B. Quia enim supponuntur entia ejusdem generis vel speciei; perfectiones in illis occur-

rentes, ejusdem ſunt indolis & naturæ (§. 563. 547.). Inter ſe ergo comparari poſſunt. Sunt perfectiones, in A occurrentes, vel quà conſenſum cum principio ultimo, vel quà realitates reſpectivas, majores & plures quam in B. (per hypoth.), h. e. major datur in A quam in B vel multitudo convenientiarum determinationum ejus cum principio perfectionis, vel minor reſpectivarum realitatum defectus. Eſt ergo A perfectius quam B (§. 779.). Nec obſtat quod poſuimus plures in ente A occurrere imperfectiones vel remotive, vel contrarie ſic dictas, h. e. vel majorem multitudinem diſconvenientiarum determinationum ejus cum principio perfectionis, vel majorem defectum reſpectivarum realitatum (§. 779.), non obſtat, inquam, quum iterum poſuerimus, ſubtractis his imperfectionibus, plures in A quam in B reſtare perfectiones.

Huic poſitioni haud parum accedit lucis ſi cum *Bülfingero* in Tract. de O. & P. Mali §. 103. & ſeq. numeris determinamus cum perfectiones, tum imperfectiones in toto obviæ. Dubium non eſt privationes & negationes æſtimari per oppoſitam quantitatem realium, ſeu, poſitivorum (conf. not. ad §. 282.). Si jam e centum perfectionibus, quibus aliquod A componi poteſt, adſint 70; tum imperfectiones remotivæ communi judicio æſtimabuntur per reliquas triginta, quæ abſunt. Quare ubi de una hac re eſt ſermo, perfectiones præſentes ſunt ad abſentes ſeu imperfectiones remotive dictas, ut 70 ad

30,

30, seu, ut 7 ad 3. Hæ autem ad summam omnium in illo ente possibilium perfectionum, ut 30 ad 100, h. e. ut 3 ad 10. Sit ejusdem generis vel speciei cum ente A, aliud ens B, cujus summa possibilis perfectionis adscendat ad millenarium. Perfectiones in illo præsentes exprimantur numero: octingentæ, ergo imperfectiones remotivæ ducentis denotabuntur. Quam ob rem perfectiones τῦ A sunt ad perfectiones τῦ B, ut 70 ad 800, seu, ut 7 ad 80. Imperfectiones vero illius sunt ad imperfectiones hujus ut 30. ad 200. seu, ut 3 ad 20. Quamvis itaque in B plures sint imperfectiones remotivæ quam in A, quia tamen subtractis his utrinque imperfectionibus, plures in summa totius B præsto sunt perfectiones, quam in A; Ens B perfectius merito judicatur ente A. Eandem inferre licet conclusionem, si & A & B imperfectionibus contrarie dictis laborant, hoc tamen pluribus & exstantioribus, illud vero paucioribus & minoribus. Sed in juniorum gratiam loquamur magis facilia. Ponamus avaro, qui nihil præter divitias expetit, offerri diversas hæreditates, in una numerat ultra octoginta aureorum millia, sed in illa debitum est triginta millium, in altera ex millibus nonnisi quinquaginta atque septem aureorum est debitum: Priorem sane judicabit hac perfectiorem, illamque huic præferet, etsi in illa plures, quam in hac dentur imperfectiones contrarie dictæ.

§. 791.

Perfectionem, quam in genere hactenus explicuimus, in *Essentialem* & *Perfectio essentialis*

& acciden-talis. & *Accidentalem* distinguere solent. *Illa* continetur consensu realitatum, seu, determinationum essentialium: *Hæc* absolvitur consensu realitatum, seu, determinationum accidentalium.

Aristotelicis, generalem, seu, Metaphysicam, perfectionis notionem tradituris, placet in perfectione essentiali subsistere, quam possidere dicunt ens, cui nihil deest eorum, quæ ad ipsius essentiam requiruntur. Quia vero enti præter essentiam, & quæ hinc pendent attributa, insunt quoque accidentia (§. 372.), ad generalissimam eorum, quæ enti conveniunt, determinandam perfectionis notionem, non sufficit ad sola attendere essentialia, accidentalibus exclusis. Notionem igitur perfectionis generalem exposituri, non debuimus, cum Aristotelicis, intra arctos essentialium limites eam constringere, sed ad accidentia quoque extendere, indeque duplicem inferre perfectionem, alteram essentialem, accidentalem alteram. Scilicet, quia secundum nostram Philosophandi rationem, perfectio, generalissime accepta, consistit in consensu realitatum in uno (§. 737.), ipsæque realitates, seu prædicata, quæ rei insunt, vel essentialia cum attributis sint, vel accidentalia (§. 372.); non potest non perfectio, generalissimo accepta sensu, in essentialem & accidentalem abire. Discrimen hoc obvia loquuntur exempla. Ex. gr. perfectionem habet homo essentialem, quatenus anima constat rationali & corpore organico, in functionum negotio & operationum, amice inter se conspirantibus. Acciden-

cidentalem vero possidet homo perfectionem, eandemque moralem, si liberæ ejus actiones cum agendi norma & regula, quam Lex exprimit, consentiunt, quo ipso non possunt non sibi mutuo quoque esse harmonicæ.

§. 792.

Omne ens essentialiter est perfectum. Determinationes entis essentiales sibi mutuo non repugnant (§. 320.), & ad intrinsecam entis possibilitatem constituendam tendunt (§. 324.). Determinationes ergo essentiales, quæ omni conveniunt enti (§. 329.) inter se consentiunt (§. 735.). Sed consensu harum determinationum absolvitur perfectio essentialis (§. 791.). Hæc igitur omni competit enti. *Entis essentialis perfectio demonstratur.*

Trita est apud veteres regula: *Omne ens est perfectum,* quam qui accuratius Philosophantur, de essentiali, non autem accidentali intelligendam esse monent, ut ergo cum sua determinatione determinate exprimeretur præsens regula, maluimus non quamvis, sed essentialem modo perfectionem omni attribuere enti.

§. 793.

Imperfectionem, perfectioni oppositam, definivimus per absentiam perfectionis (§. 759.). Est ergo *Imperfectio essentialis*, absentia perfectionis essentialis. Quem ad modum *Imperfectio Accidentalis* est absentia perfectionis accidentalis. *Imperfectio essentialis & accidentalis.*

§. 794.

§. 794.

Imperfectionis essentialis contradictio. Quia omne ens essentialiter est perfectum (§. 792.), essentialis imperfectio, quæ absentiam perfectionis essentialis involvit (§. 793.), de nullo prædicari potest ente, adeoque nonnisi de non-ente (§. 265.), & nihilo (§. 261.). hoc est, *nulla datur imperfectio essentialis.*

Si imperfectio essentialis sumitur pro absentia perfectionis, quæ huic vel isti enti inesse nequit, absolute tamen loquendo est possibilis, seu, si accipitur pro absentia perfectionis absolute summæ, præsentia vero perfectionis respectivæ; quodlibet ens finitum essentialiter imperfectum esset. Sed est hæc acceptio imperfectionis essentialis, stilo quidem Leibnitiano conveniens, valde tamen impropria, quum essentialis imperfectio vi vocis denotet absentiam essentialis cujusdam requisiti, quod si defuerit, neque essentia, neque ens in salvo amplius erunt.

§. 795.

Perfectionis & imperfectionis essentialis & accidentalis affectiones. Essentias rerum constantes esse (§. 329.), absolute necessarias (§. 609.), & immutabiles (§. 610.), accidentia autem inconstantia esse (§. 366.), contingentia & mutabilia (§. 616. 618.), palam faciunt prius demonstrata. *Essentialis igitur perfectio*, quia consensu determinationum essen-

tia-

tialium absolvitur (§. 791.), constans *est*, *absolute necessaria*, *& immutabilis*. *Accidentalis vero & perfectio & imperfectio*, quia circa accidentia versatur (§. 791-793.), *inconstans est*, *contingens & mutabilis*.

Facili hinc patet negotio de qua perfectionis specie intelligendi sint veterum canones: *Perfectio non recipit magis vel minus*: *Perfectio nihil potest accedere aut decedere*. Valent de perfectione essentiali, non autem accidentali, quæ ob contingentiam & mutabilitatem sui varios admittit gradus, variasque incrementi & decrementi vicissitudines, essentiali perfectioni, ob absolutam ejus immutabilitatem, haud tribuendas.

§. 796.

Definitio Bonitatis evolvitur.

Perfectionis perbrevem explanationem, quam hactenus instituimus, excipit consideratio bonitatis in genere. In eo facile convenimus omnes & uno quasi ore fatemur, id nobis bonum esse quod tendit ad nostram perfectionem, ideoque quod consentit cum fine & scopo, quem nobis propositum & præfixum habemus. Nec intellectu est difficile perfectionem quamvis partialem rei ad perfectionem totius aliquid contribuere, quum hæc sine illa minor alioquin foret; sic Ex. gr. intelligendi facultas in homine, ceu perfectio, entis hujus, partialis, aliquid omnino confert ad perfectionem ejus totalem: ea enim sublata haud parum reali-

alitatis & perfectionis in homine desideraretur. Singula hæc in unum collecta & conjunctim considerata, talem nobis, remotis removendis, exhibent generalem boni ideam: *Bonum* est, quod habet perfectiones, quibus vel ad sui, vel aliorum perfectionem aliquid confertur, vel conferri potest. Hinc abstractum *Bonitas*, non nisi in perfectionibus consistit, quibus vel ad sui vel aliorum perfectiones aliquid ab ente confertur, vel conferri potest. Quod si cuidam displiceat in definitione boni bis adhiberi vocabulum perfectionis, dicat priori loco realitates, quum res tamen eodem recidat. Hoc itaque modo dicat *Bonitatem* absolvi realitatibus, quibus vel ad sui, vel aliorum perfectiones aliquid ab ente confertur, vel etiam conferri potest.

In designanda ratione formali bonitatis Metaphysicæ diu multumque sudarunt Philosophi, quorum *alii*, cum *Hervæo*, *Vasquezio*, *Arriaga*, aliisque Scholasticorum, ex Cartesianis *Claubergio*, ex recentissimis vero, Illustri *Wolfio*, existimant *bonitatem Metaphysicam cum sola entis perfectione coincidere*. Fateor, uti etiam initio hujus capitis fassus sum, admodum cognatas esse ideas bonitatis & perfectionis, nihilo tamen secius dari quandam inter illas differentiam, sollicitum utriusque ostendit examen: Perfectionis enim notio absoluto semper sumitur sensu, non vero ad alias res, quas perficiat, relato. Bonitatis autem idea relativa est, dicitque relationem

nem vel ad alias res, ad quarum perfectionem contribuit quid, vel unius rei ad se ipsam, quatenus possidet realitates, quarum quælibet confert quid ad perfectionem ejus totalem. Alii ponunt bonitatis ideam in *Conformitate rei cum appetitu.* Facem huic opinioni prætulêre *Plato* & *Aristoteles*, Ille in *Hiparcho* ait, in *hoc consensimus bonum omnes semper velle*. Hic L. I. Eth. cap. I. *Bonum esse*, ait, *id, quod omnia appetunt.* Hinc *Mendoza* Disp. 6. Met. L. 4. §. 45. collocat formale bonitatis in *perfectione entis in suo genere, connotante actum appetitus, a quo denominatur amabile.* Mendozæ consensum præbent *Philippus a S. Trinitate* P. III. Summ. Phil. qu. 3. art. 3. & *Melchior Cornæus* Disp. 2. Met. L. 3. d. 1. p. 371. Sed ut taceam hanc bonitatis notionem collocatam in conformitate rei cum appetitu, non esse adeo fœcundam, nec consectariorum adeo feracem, ut opus est, ubi ad specialia fiet descensus; certum est eam esse appetitus naturam, ut in bonum cognitum semper feratur. Bonum ergo, ut prius, se habet ad appetitum, non vero, ut posterius. Alii cum *Abrah. Calovio* in script. Phil. p. m. 350. *Mejero* in Metaph. Usuali Div. p. 110. contendunt formalem bonitatis rationem esse collocandam *in conformitate rei cum voluntate Divina.* Nullum est dubium bonum esse, quicquid voluntati convenit Divinæ; Quia tamen voluntas Divina sine ratione se nunquam determinat, quæ, pro nostro concipiendi modo, prior est ipsa determinatione recteque æstimatur ex mensura bonitatis, cuivis adjudicata rei; ut prius concipiamus opportet aliquod esse bonum, quam di-

cere

cere possimus illud esse voluntati Divinæ conveniens. Alii Bonitatem consistere ajunt in *nuda convenientia*, non determinantes quæ & qualis convenientia in censum heic speciatim veniat; sed hoc non tam explicat bonitatis indolem & naturam, sed eam potius obscuriorem reddit. Alii iterum putant bonitatem consistere in *convenientia unius cum altero*: non quidem male, modo hic etiam constaret, qua in re consisteret illa convenientia, quum non quælibet bonitatem inferat. Neque præterea hanc notionem, de bono relativo præcipue formatam, admittunt, qui generalem bonitatis desiderant ideam. Alii dicunt bonitatem denotare *internam rei præstantiam, nobilitatem vel excellentiam*; Alii convenientiam perfectionis rei ad se ipsam; alii aliter. Verum omnes & singulas Philosophorum diversas circa hanc rem enumerare & excuttere sententias, non vacat, nobis dixisse sufficiat bonitatem absolvi realitatibus, quibus vel ad sui vel ad aliorum perfectiones aliquid ab ente confertur, vel conferri potest. Esse hanc bonitatis notionem justæ latitudinis & extensionis docebunt ejus, quas proponere solent Metaphysici, divisiones, jam jam explicandæ.

§. 797.

Bonum absolutum & relativ: definiuntur. Bonum in genere diximus (§. præc.), quod habet pefectiones, quibus vel ad sui vel aliorum perfectionem aliquid confertur, vel conferri potest. Duplex ergo recte constituitur Bonum, aliud *Absolutum*, aliud *Relativum*. Illud est, quod gaudet perfectionibus, ceu partia-

tialibus, ad sui perfectionem, ceu totalem, conferentibus: Hoc vero dicitur, quod ad aliorum perfectionem promovendam tendit. Hinc quid bonitas absoluta & relativa, utpote boni absoluti & relativi abstracta, sint, haud obscure intelligitur.

Hac ratione, Deus non solum absolute est bonus, quatenus possidet omnes perfectiones absolute summas, sed & relative bonus est, quatenus cujusvis, a se creati, perfectionem promovere intendit. Sic etiam cibus aliquis absolutam habet bonitatem, si perfectionibus gaudet, quæ, ut partiales, requiruntur, ad totalem constituendam, vel, ut veteres loqui amant, si nanaturalem habet perfectionem inesse debitam: relativam autem bonitatem eidem cibo eatenus attribuimus, quatenus vitæ sustentandæ & sanitati promovendæ inservit.

§. 798.

Boni absoluti Divisio.

Perfectiones, quæ enti conveniunt, sunt vel essentiales, vel accidentales (§. 791.). Est autem absolute bonum, quod habet perfectiones partiales, ad constituendam totalem concurrentes (§.797.). Quod ergo absolute est bonum, in *Essentiale* & *accidentale* recte dispescitur. Illud collocatur in perfectionibus, quibus essentia rei absolvitur. Hoc autem in perfectionibus consistit, quibus accidentalis rei perfectio constituitur. Seu *Essentialiter bonum* est, quod realitates habet, ad perfectionem essentialem constitu-

endam requisitas. *Accidentaliter* vero *bonum* dicitur, quod realitates possidet, ad perfectionem accidentalem constituendam requisitas.

§. 799.

Nexus entis & bonitatis tam essentialis, quam accidentalis. Perfectionem essentialem, non autem accidentalem, cuivis attribuendam esse enti, ostendunt mox demonstrata (§. 792. 795.). *Recte ergo inferimus omne ens essentialiter esse bonum, non autem accidentaliter* (§. 798.).

Sic homines, in quantum essentiam debitam habent, boni sunt, in quantum vero vitiorum lue infecti existunt, boni, sensu accidentali, dici nequeunt. Pari ratione Diaboli, quatenus sunt substantiæ Spirituales completæ, essentialem habent bonitatem, sed accidentali destituuntur: carent enim concreata justitia & sanctitate.

De bono igitur essentiali, non autem accidentali valet *Aristotelis* enunciatum L. I. Eth. Cap. VI. το ἀγαθὸν ἴσα ὡς λέγεται τῷ ὄντι. Idem illud bonum respicere videtur *Augustinus*, dum enarratione in Psalmum CII. *Omnes*, inquit, *creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ & perfectionis naturæ suæ*. Nec non L. 83. Quæstion. 24. *Omne ens, quod est, in quantum est, bonum est*. Eodem sensu scribit *Boëthius* Libr. de Hebd. Cap. 2. *Quicquid est, in eo quod est, bonum est.*

§. 800.

Ab essentiali Quia posita rei essentia non statim

tim ponuntur ejus accidentia (§. 565.), & essentialis bonitas circa perfectionem rei essentialem versatur, accidentalis vero perfectione accidentali continetur (§. 798.); *posita essentiali bonitate non statim ponenda est accidentalis*, seu, *ab illa ad hanc non valet conclusio.* *ad accidentalem bonitatem non valet conclusio.*

Pessime igitur ageret, qui ab essentiali vel hominum vel angelorum bonitate, ad eorum colligeret accidentalem, quum illi ob originalem corruptionem, non quidem essentia, natura tamen sint filii irae, variisque proh dolor! peccatis suam prodant accidentalem malitiam. Horum autem quidam a perfectissimo, in quo creati erant, statu defecerunt, facti Dei & hominum aperti hostes.

§. 801.

Perfectionem aliam esse absolutam, in possessione omnium realitatum absolutarum collocandam, aliam respectivam, in consensu realitatum respectivarum ponendam, antea exposuimus (§. 752. 757.). Bonum itaque, quod circa perfectiones versatur (§. 796.), eadem ratione recte dividitur in *Bonum simpliciter tale*, vel, *absolute summum*, quod absolutam possidet perfectionem; et in *bonum secundum quid tale*, seu, *respectivum*, quod non nisi respectiva gaudet perfectione. *Bonum absolute summum & respectivum.*

Explicabis hinc verba Christi Matth. XIX. 17.

 ὐδεὶς

ὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός. Deus scilicet, cui soli convenit absoluta perfectio, est bonus absolute & simpliciter talis, ipsaque hinc bonitas & benignitas salutatur, cujus sensu abreptus cum Psalte exclamet: *Quam pretiosa est bonitas Tua, O! Deus*. Ps. XXXVI. 8. Reliqua autem omnia entia nonnisi respectivam tenent bonitatem, quam etiam non sibi, sed Deo acceptam debent, ut singulas creaturas compellare liceat verbis Apostoli, ad homines, sui æstimio inflatos, directis: τί ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες; Quid habes quod non acceperis? I. Cor. IV. 17.

§. 802.

Bonitatis respectivæ & essentialis harmonia in uno. Involvit quidem perfectio respectiva, quia consensu realitatum respectivarum continetur (§. 757.), aliquem ulterioris realitatis defectum (§. 743.), & ideo bonitas respectiva eidem subjacet legi (§. 801.); hoc tamen nihil detrahit bonitati essentiali ejus, quod respective est bonum: nam præterquam quod mox ostendimus, omne ens essentialiter esse bonum (§. 799.), perspicuum arbitror defectum, cujus jam facta est mentio, quia cuilibet respective perfecto essentialiter adhæret, esse æque ac essentiam ipsam, absolute immutabilem & inevitabilem (§. 610.), & idcirco nonnisi apparentem (§. 775.), qui non impedit quo minus ens sit in suo genere perfectissimum (§. 780.), habeatque omnes perfectiones

nes essentiales, sibi inesse debitas, hoc est, bonitatem essentialem (§. 798.).

§. 803.

Bonum, quod respectivum, seu, secundum quid tale diximus, quia non nisi respectiva gaudet perfectione (§.801.), æque ac hæc respectiva perfectio, varios admittit gradus & ordines (§. 779.), quorum alter alterum bonitate superat. Hinc A *melius* τῷ B censetur, si illud hoc est perfectius, ubi ex fundamento, antea posito (§. 779.) majorem minoremve æstimamus perfectionem. *Melius quid?*

Est quidem omne ens ita bonum (§. 799.) ut in statu suo naturali spectatum, bonitatis sibi debitæ & essentialis habeat gradum summum, ob essentiæ absolutam necessitatem, mutari nescium; nihilo tamen minus ubi alterum cum altero comparatur ente, gradus bonitatis observare licet, & quidem multum differentes. Sic anima πλεῖόν ἐστι longe præstantius quid est cibo, & corpus vestimentis. Homo quoque volucres cœli & aves velligeras multum præstantia superat. Ipso Christo judice Matth. VI. 25, 26. X. 31. XII. 12. Ita quoque stella stellam superat I. Cor. XV. 41.

§. 804.

Bonum, quod re ipsa tale non est, sed esse tamen videtur iis, qui illud anhelant & sectantur, *Apparens* dici solet. *Bonum* autem *Verum* vocatur, quod genuinam & non fucatam innuit & involvit *Bonum apparens & verum.*

perfectionem, seu, quod veram habet bonitatem.

Sic vere bonum recte pronunciamus omnem virtutem, omne Dei donum Jacob I. 16. & humiliter ambulare cum Deo suo, omnem suam dignitatem & meritum abnegando, Mich. VI. 8. E contra bonum apparens sunt, otium intempestivum, voluptas illicita, ebrietas, vindicta privata, aliaque vitia moralia, quæ corruptæ concupiscentiæ arridere solent, juxta illud Prov. I. 11, 15. ubi perditorum hominum illecebræ proponuntur.

§. 805.

Hæc boni divisio quo in casu locum habeat?

Hanc boni divisionem in verum & apparens, non afficere bonitatem Metaphysicam & essentialem, luce meridiana clarius est, sed, posita intellectus & inclinationis humanæ corruptione, locum habere circa bonum relativum. Omne ens, Metaphysico acceptum sensu, verum est (§. 71[illegible]) essentialiter perfectum (§. 792.), & bonum (§. 799.). Oppido igitur constat, implicare & sibi invicem contrariari, aliquid essentialiter bonum esse, & tamen verum bonum non esse, sed solum apparens.

Posita vero corruptione intellectus & inclinationis humanæ: potest homo circa id, quod sibi bonum judicat; h. e. relativum bonum, errare, potest etiam vera statuere. Hoc igitur respectu, non autem illo, dispescimus bonum in verum & apparens.

Re-

Recte inquam; Non eo tamen sensu ac ipsum bonum ejusmodi admitteret distinctionem, cujus jam evicimus contrarium, sed solum in relatione ad appetentem. Est itaque non nisi vocis æquivocæ in sua æquivocata divisio: apparentia enim heic sumitur cum exclusione veritatis, ideoque apparens bonum, quà tale, revera non est bonum saltim eo in casu, & ei, qui illud appetit.

§. 806.

Quo sensu omne bonum sit appetibile.

Solent Metaphysici in doctrina de bono duas potissimum formare regulas, quarum altera affirmat, *omne bonum esse appetibile*, altera; *omne bonum esse sui communicativum*. Prior in Pneumaticis potius, exposita appetitus natura, quam Metaphysicis excutti & proponi debet, ut tamen illis quoque inserviam, qui in evolvendis veterum scriptis desudant, quædam, sed non nisi summatim adferre placet, quæ genuinum hujus regulæ concernant sensum. Monent dictæ regulæ defensores illa non indicari, quod actu secundo omne bonum appetatur, sed quod ea sit boni natura, ut actu primo appeti possit, seu, quod in se sit appetibile, posito subjecto, appetitu gaudente. Addunt quoque regulam valere de omni bono & vero, sive absolute, sive respective spectetur, & apparenti. Eam esse appetitus indolem docet Psychologia, ut nonnisi in bonum cognitum feratur, est ergo hoc ratio appetibi-

litatis, quare hæc viciſſim per illud determinatur. Recte ergo ſtatuitur omne bonum, in ſe ſpectatum, nullo habito ad ſubjectum appetens reſpectu, eſſe appetibile, licet pro diverſitate ſubjecti, cui competit appetitus, modo longe diverſiſſimo. Deo namque omne verum bonum eſt appetibile, ſed appetitu, uti loquuntur, *complacentiæ*, qua non propriam modo naturam in ſe abſolute optimam, adprobat, ſed & hac mediante Ei placent omnes rerum eſſentiæ, quatenus realitatem & perfectionem involvunt, in Ejus infinito intellectu fundatæ & formatæ. Conſtat præterea, Deum res cunctas, a ſe productas, conſervando, velle ea omnia, quæ creaturarum conſervationi & veræ perfectioni obtinendæ inſerviunt. Notum quoque eſt Eum velle omne, quod ſanctiſſimæ ſuæ naturæ conveniens eſſe judicat, modo igitur eminentiſſimo appetere omne verum bonum, ſive ſit abſolutum, ſive relativum. Hominum autem longe alia eſt ratio: Illi enim non appetunt bona, niſi facta quadam ad ſe relatione, quatenus illis & fini, ab iis intento vel vere vel apparenter ſint convenientia. Id vero hic obſervandum eſt, bonum apparens, quum re ipſa ſit malum (§. 804.), per ſe & in ſe nullam arguere appetibilitatis rationem, ut adeo, canone ad verum bonum reſtricto, contendamus omne verum bonum, in ſe & abſolute loquendo, hoc eſt, ut mox di-

diximus, nullo ad subjectum appetens habito respectu, esse appetibile.

§. 807.

Succedit alter canon, quem, ut ei sua constet universalitas, ita determinandum esse censeo: *Omne bonum relativum est sui communicativum, si non semper actu, semper tamen potentia.* Sui communicativum, quod de bono heic prædicatur, nihil involvit aliud, quam ex sua perfectione alias perficere res. Quare quum bonum relativum eam possideat perfectionem, qua alias res perficere potest (§. 797.); omne bonum relativum vel actu, vel saltem potentia est sui communicativum, & proinde quo præstantius est bonum, eo latius se communicare valet. *Quomodo bonum sit sui communicativum.*

Quivis itaque intelligit hanc regulam, recte, uti diximus, determinatam non esse nisi definitionis bonitatis relativæ immediatam consequentiam; verissimam ergo esse & certissimam. Solent quidam extendere præsentem regulam ad bonum quoque absolutum, quod dicunt esse communicativum sui κοινωνίᾳ κατ' ἀλλοποίησιν, communicatione effectiva, idque vel necessario vel libere (sed tamen prout subjectum illius fuerit capax), si non actu, saltem potentia. Inde ita inferunt Deus est bonus, ergo creaturis suam bonitatem, quantum quidem de eadem illæ participare possunt, pro liberrima sua voluntate communicat. Eruditio hominis est bona, i-

deo & ſui ad diſcentem communicativa. Stella lucida eſt bona, itaque & lucis ſuæ communicativa. Et alia ejusmodi. Obſervandum vero duplex eſſe abſolutum bonum, aliud eſſentiale, aliud accidentale (§. 798.), illud de omni ente (§. 799.), & per conſequens de mere poſſibili (§. 228.) valet: eſſe vero communicativum ſui involvit vel actum perficiendi alios ex ſua perfectione, vel ſaltem id præſtandi aptitudinem (§. 207.), mere poſſibili non attribuendam (§. 204.). Ratione ergo poſiti prædicati, quod τῷ communicativo in dicto canone abſolvitur, *univerſaliter ſtatuere non licet omne etiam eſſentialiter bonum eſſe communicativum ſui*. Neque omne exiſtens, eſſentiali licet bonitate inſtructum, ſui eſt communicativum. Diabolus enim eſſentialiter bonus eſt, aliorum tamen veræ perfectioni promovendæ nunquam intentus, neque ergo aliis bonus. Deinde de eſſentiali bono, abſolute accepto, alia ratione prædicari nequit eſſe ſui communicativum, quam ut vel prædicata ſua eſſentialia, vel attributa aliis communicet, quod tamen ob eſſentialium incommunicabilitatem fieri nequit. Non ergo ſtatuere licet eſſentialiter bonum, quà tale, niſi idem ut relativum ſimul ſpectari queat, eſſe ſui communicativum. Non tamen hinc ſequitur omne eſſentialiter & ſimul relativum bonum ſtatim & actu ipſo communicare aliis ſuam bonitatem. Deus enim ab æterno bonus eſt, neque tamen ab æterno ſe creaturis communicavit. Sufficit ergo bonum, ſi non actu, ſaltim potentia eſſe ſui communicativum.

Quod accidentaliter eſt bonum, abſoluto tamen

ad-

adhuc sensu consideratum, secundum notionem prius positam (§. 798.), qua diximus illud possidere realitates, ad perfectionem accidentalem constituendam requisitas, hactenus tamen sine ulla ad alias, quas perficiat res, relatione. Quod, inquam, hoc sensu accidentaliter est bonum dici nequit sui communicativum, quum hoc prædicatum relationem ad aliud semper involvat. Neque ergo de accidentaliter bono, nisi quatenus ut relativum spectetur, enunciari potest idem prædicatum Habes itaque rationem, si quid intelligo, sufficientem, cur præsentem veterum canonem, de bono quovis enunciatum, non nisi ad bonum relativum restringamus.

Hactenus ex ipsis boni absoluti & relativi notionibus sensum canonis nostri elicuimus. Alia vero est quæstio *an detur, seu, existat, aliquod absolute bonum, quod non simul sit relativum, & per consequens, sui communicativum?* Melius, quam ex consideratione, quæ existunt, rerum decidi nequit hæc quæstio. Quæ existunt entia, sunt vel Infinita, vel finita. Illud, quod Dei veneramur nomine, esse relative bonum & sui communicativum ostendit infinita ejus bonitas, ad creaturas relata, quæ creatione, conservatione, concursu & gubernatione, spiritualium quoque donorum collatione, immensum in modum se exserit. Entia autem finita, quorum existentiam ratio, sibi relicta, perspicit, sunt vel animæ humanæ vel corpora: illas omnes relativam possidere bonitatem multifaria ostendunt documenta. Taceo actionem mutuam, quam quævis anima exercet in corpus organicum, sibi adjunctum, extra omnem est controversiam animæ

mæ eas competere facultates & intelligendi & volendi, quæ accidentali, uti decet, instructæ perfectione, multum conferunt tum ad aliorum hominum sigillatim, tum conjunctim ad integræ societatis robur, emolumentum & felicitatem. Corpus unum alteri inservire & utile esse, cuivis adeo est notum, ut vel vulgari rerum naturalium cognitione instructus, ultro largiatur, intimius vero perspiciat, qui Physicorum circa hanc nobilem materiam evolvit scripta. Mutuum partium in microcosmo, seu, homine, influxum usumque valde illustrant verba Apostoli *Pauli*. I. Cor. XII. 14- 27. ubi ex pluribus colligit *non posse oculum dicere manui: te mihi opus non est; aut rursum caput pedibus, non est mihi vobis opus. Immo multo potius, quæ videntur membra corporis infirmissima, necessaria esse.* Adplicat hæc deinde Apostolus ad unitatem & mutuam opem membrorum corporis Christi mystici. conf. Eph. IV. 15. 16. Hinc nunquam non laudata sanctorum surgit communio, quam ore omnes, opere pauci testantur, male memores verborum *Johannis* I. Epist. III. 18. Filioli mei ne diligamus verbo, neque lingua solum, sed opere & veritate.

Tandem notemus Fanaticos valde abuti hoc, quem explicatum dedimus, canone, dum inde communionem omnium bonorum, in genere humano introducendam esse volunt, & promiscuas pariter exercendas libidines. Agit Canon de bono, quod semper se diffundit, vel diffundere potest in aliorum commodum & usum, non tamen ultra decorum, atque usum legitimum, neque ultra debitum. Sic uxor, ancilla, ser-

servus, tametsi aliquo modo aliis, quâ χρῆσιν, in officiis aut servitiis vel usu præstando, se exercentem, communicabiles sint, minime tamen gentium simpliciter & omni modo, ut putant fanatici, qui sine dubio ex *Platone* hanc suam hausêre opinionem: dixit enim ille maximum esse civitatis bonum, si uxorum, liberorum, & facultatum omnium esset communio, adjecta ratione, quia hoc civitatem faceret maxime unam. Sed regerit *Aristoteles*, quæ maxima cogitari potest unitas (ea vero est, si abolita pagorum primo, deinde familiarum, ultimo & personarum multitudine ad unicum hominem res abeat), ea civitati non est bona, sed mala potius: non enim servat civitatem, sed destruit: unus quippe homo nihil est minus, quam civitas.

§. 808.

Bono opponitur *malum*, quod ergo consistit in defectu vel carentia perfectionum, quibus vel ad sui, vel ad aliorum perfectiones conferre quid posset. *Mali definitio.*

Fateor doctrinam de malo, proprie si loquar, non ad Metaphysicam pertinere, ut mox ostensurus sum plenius, & recte observat *Scheiblerus* L. I. Cap. XI. Metaph. n. 70. addita ratione, quia in privatione consistit malitia, privationes autem, quia non entia sunt (§. 282.), per se nullam admittunt scientiam (§. 266.); quatenus tamen in Metaphysica de privationibus est agendum (conf. not. ad §. 283.), eatenus etiam de malo in genere nonnulla tradere decet, præsertim ut doctrina boni, juxta notissimam regulam:

lam: *opposita juxta se posita, magis elucescunt* (§. 428.), eo majori clareat luce.

§. 809.

Divisio mali. Quem ad modum bonum (§. 797.) ita & malum vel *Absolute* vel *relative* accipi solet. Priori sensu denotat defectum perfectionis, quæ inesse debet, vel, carentiam perfectionis cujusdam partialis, quæ ad totalem subjecti, cui illa deest, constituendam requiritur. Posteriori autem acceptione malum est, quod alteri imperfectionem adfert, seu, alterum quocunque modo deterius reddit.

Hoc modo absolute, seu, in se malum est, quodvis peccatum, lege Divina prohibitum, juxta illud Jer. II. 19. *Malum & amarum est deserere Jehovam Deum suum.* Absolute etiam hoc sensu malus dicitur artifex, qui vel peritia, vel habitu, ad opus artis suæ perficiendum necessariis, destituitur. Pertinet huc quoque omnis alius defectus, etiam naturalis, debitam tollens perfectionem, ut cæcitas, surditas, & morbus qnicunque, unde tali defectu laborantes dicuntur *κακῶς ἔχοντες*, Matth. IV. 24. IX. 12. & miser ipsorum status *κακοπάθεια* vocatur. Respective autem malum est v. gr. *acetum dentibus & oculis fumus* Prov. X. 26. Eodem sensu malum est vinum febricitanti, & cibus quivis, quatenus hunc vel illum in homine excitat morbum.

§. 810.

§. 810.

Malum, abſolute ſpectatum, in *eſſentiale* & *accidentale* diſtinguere ſolent, quorum illud in defectu perfectionis, quæ ad eſſentiam rei requiritur: Hoc autem in defectu perfectionis, quæ ad accidentalem rei perfectionem requiritur. *Mali abſoluti diviſio.*

Ad ſimilitudinem boni (§. 798.), obſervata oppoſitorum indole, explicamus quid ipſi ſignificant termini: *Eſſentialiter & accidentaliter malum*, mox inquiſituri an & quousque eis aliqua reſpondeat realitas, vel potius, an & quousque detur vel dari poſſit, eſſentialiter & accidentaliter malum.

§. 811.

Nihil eſt vel eſſe poteſt eſſentialiter malum. Si enim daretur, vel dari poſſet, ens, eſſentiali laborans malitia, deſtitueretur illud perfectione eſſentiali, ſeu, quod idem eſt, non haberet omnia eſſentiæ ſuæ requiſita (§. 810.). Sed deſtitui nequit ullum ens eſſentiali ſua perfectione, quum quodvis ſit eſſentialiter perfectum (§. 792.), ipſæque rerum eſſentiæ abſolute ſint neceſſariæ (§. 609.), & immutabiles (§. 610.). Non ergo datur neque dari poteſt ens eſſentialiter malum. *Eſſentialiter malum negatur.*

Brevius. Eſſentialiter malum dicitur, quod eſſentiali laborat imperfectione (§. 810.), ſed hæc de nullo prædicari poteſt ente (§. 794.).

Ne-

Neque ergo de ullo ente prædicari potest essentialis malitia.

Facile hinc quorundam veterum magorum de duplici coæterno & æque independente principio, altero bono, altero malo, confutatur somnium, quod ex *Thoma Hydeo* commemorat *Brückerus* in Hist. Crit. Phil. T. I. p. 175. 177. Nam statuere principium independens & æternum & tamen sua natura malum, quum independentia & æternitas absolutam inferat perfectionem, malitia autem imperfectionem, aperta laborat contradictione, facitq; unum idemq; essentialiter bonum, & simul essentialiter malum. Voluit quidem *Zoroaster*, Persarum sapiens, emendare hanc veterum magorum opinionem, affirmans duo poni debere principia, unum *Oromasden*, lucis atque boni auctorem, alterum *Arihmanium*, tenebrarum atque mali fontem; non tamen coæterna, & a nullo alio principio dependentia sed a Summo Deo, quem *Mithram* vocabat, genita. Voluit inquam, quatenus tamen putavit mali naturam non in sola privatione, etsi ex lucis privatione originem traxerit, consistere, sed positivum quid esse, seu, esse ens quoddam, eatenus in præsentem, quem stabilivimus, canonem, vehementer impingit. Taceo Zoroastrem genesin mali a Summo & Optimo Deo pessime derivare, causamque mali efficientem & positivam inepte ponere, quæ tamen omnis est deficiens & negativa. Ab his discessit quidem *Manes*, a quo Manichæi originem traxêre, non nisi unum verum Deum statuens, simul tamen finxit aliquod principium malum, luce, vita & bonitate destitutum, ideoque ali-

liquod essentialiter malum, quod tamen per demonstrata dari nequit.

§. 812.

Quia omne absoluto sensu malum dicitur, illud vel essentiale, vel accidentale esset (§. 810.). Ens vero essentialiter malum non datur nec dari potest (§. 811.). *Quodcunque ergo ens malum dici meretur, non nisi accidentali laborat malitia, & essentialiter existit bonum* (§. 799.) *Accidentaliter malum datur.*

Recte hinc observat *Claubergius* §. 176. Ontosoph. nullum inveniri malum sine bono, nec dari malum sine admixtione boni, saltim essentialis. Licet detur bonum, scilicet absolute summum, sine ulla cujuscunque mali mixtura, quale ens Deum esse demonstrat Theologia Naturalis.

§. 813.

Enti nonnisi actuali competunt accidentia (§. 368.); malum autem, quod de ente enunciari potest, non est nisi ejus accidens (§. 812.). *Nullum ergo ens nisi actuale malum esse potest.* *Nonnisi actualibus tribui potest malitia.*

Absit tamen putes omne actuale esse malum: nam existit ens absolute bonum, ab omni imperfectione omnique malo, longissime remotum.

§. 814.

Quoniam ens, quod Metaphysices est considerationis, ea sumi- *Mali Metaphysici con-*

traditio. tur latitudine, ut & actualia & potentionalia comprehendat (§. 295.); de ente autem non nisi actuali, neque de eo omni enunciatur malum (§. 813.). *Malum ergo universale entis Metaphysici prædicatum esse nequit*, seu, quod idem est, *malum Metaphysicum non datur.*

Idem sic ostenditur: Essentia omni convenit enti (§ 329.), & posita essentia, ponitur ens (§. 332.). Quam ob rem si daretur malum Mataphysicum, esset illud essentiale; sed dari nequit malum essentiale (§. 811.). Neque ergo dari potest malum Metaphysicum.

§. 815.

Leibnitii triplex malum. Triplex constituit Illustris *Leibnitius* malum, scilicet *Metaphysicum*, quod in rerum etiam non intelligentium imperfectione, seu, limitatione originaria collocat. *Physicum*, quod ei est incommodum & perpessio creaturarum, sensu & intellectu præditarum, quo malum pœnæ refert. *Malum morale* in actione & omissione constituit libera, legi inimica, quo malum culpæ refert. Conf. Theod. §. 21. Causa Dei assert. §. 30. 31. 32. Scilicet ut mentem Illustris Viri clarius exponam. Recte statuit omnem creaturam, etiam in statu meræ possibilitatis suæ, ex essentia sua, originalem habere limitationem: nam quod limitatione caret, non creatu-

tura sed Deus est. Limitata autem dicitur creatura, quia perfectionis suæ habet terminos. Hanc ipsam limitationem malum vocat Leibnitius Metaphysicum, quod ergo ad mentem ejus recte explicat *Hanschius* D. 161. Princip. *per nudam absentiam perfectionum in entibus creatis, quarum recipiendarum, per essentiam suam, sunt incapacia.* Infert ergo hoc malum defectum perfectionis absolutæ, quæ creaturæ incommunicabilis manet, ponitque præsentiam perfectionis respectivæ, ita tamen ut defectus iste, quo cujuslibet creaturæ essentialis perfectio distat a perfectione absoluta Ipsius Dei, & qui defectus, salva manente creaturæ essentia, suppleri absolute nequit, Malum Metaphysicum Leibnitio audiat. In hoc malo, quod absolute necessarium statuit, ultimato & qua possibilitatem suam fundari existimat malum morale, ob quod oritur Physicum, etsi non semper in iisdem subjectis, sed hæc tamen, quæ videri possit aberratio, cum fructu corrigitur, ut innocentes nollent passi non esse.

Quousque hæc Leibnitiana Platonis conveniant, vel disconveniant sententiæ, qua ille de origine mali acturus, illud in imperfectionis Physicum & morale distinguit, præsentis non est instituti examinare & discuttere. Magna obscuritate laborant Platonis circa præsentem materiam edicta, ut de genuino illorum eruendo

sensu haud parum inter se disputent Critici. Id solum uno alterove verbo observare convenit, malum, quod Platoni est imperfectionis, si non plenam, ei tamen proximam cum Leibnitii malo Metaphysico habere similitudinem: Ita enim illud malum ex Timæo Platonis explicat *Moshemius* in Not. ad System. *Cudworthi* Intellect. p. 242. *Plato quoniam Deum existimabat ex instituto & sapienter res alias perfectiores & meliores aliis condidisse, quo æquabilis totius universitatis concentus nasceretur, multas incommoditates & mala ex ipso statu rerum & naturarum derivavit.* Mala hæc, ex statu rerum, Sapienter a Deo collocatarum, derivata, aliud denotare non videntur, quam imperfectiones, quas salva sua essentia & natura, salvo etiam totius operis concentu, transcendere non potuerunt creaturæ. Hactenus ergo Platonicis similia videntur Leibnitiana.

§. 816.

Malum Metaphysicum Leibnitii bonitati essentiali non derogat.

Malum Metaphysicum Leibnitii entibus, quibus convenit, nihil essentialis bonitatis detrahit. Denotat enim malum Metaphysicum Leibnitii absentiam perfectionis in entibus creatis, cujus recipiendæ per essentiam suam sunt incapacia (§. 815). Bonitas vero essentialis collocatur in perfectionibus, quibus essentia rei absolvitur (§. 798.), quarum ergo recipiendarum res quævis per essentiam est capax. Malum itaque Metaphysicum

ficum Leibnitii, entibus, quibus convenit, nihil essentialis bonitatis derogat.

Nemo negaverit entia creata & finita aliquo essentialium suarum defectu laborare, quem Leibnitius malum Metaphysicum appellare voluit. Si hoc itaque finitis rebus aliquid essentialis detraheret bonitatis, omnia entia finita destituerentur minimum parte aliqua essentialis suæ bonitatis, relicta altera parte essentialiter mala. Sed nequit ullum ens, ullo modo, esse essentialiter malum (§ 811.). Malum itaque Leibnitii Metaphysicum non tollit essentialem rerum bonitatem.

§. 817.

Malum ergo Metaphysicum Leibnitii non est aliquod essentialiter malum. Quod enim essentialiter est malum consistit in defectu perfectionis, quæ ad essentiam rei requiritur (§. 810.). Malum autem Metaphysicum Leibnitii non consistit in defectu ullius perfectionis, quæ ad essentiam rei requiritur: absolvitur enim defectu, qui salva manente rei creatæ essentia, suppleri absolute nequit (§. 815.). Malum ergo Leibnitii non est aliquod essentialiter malum.

Malum Leibnitii Metaphysicum non est malum.

Nihil quippe essentialis bonitatis detrahit rebus, quibus competit hoc Leibnitii malum (§. 816.), non ergo confundendum est cum essentiali malo, quod veteribus Metaphysicum appellari solet, & quod rebus omnibus recte denegatur (§. 811.).

811.). Erraret igitur, qui ex hac veterum notione mali Metaphysici negare vellet malum Leibnitii ejusdem nominis, quod titulo solum cum illo convenit, re autem, ut ita loquar, ipsa a se invicem quam maxime distant. Haud negaverim Leibnitium potuisse, immo, certo sensu, debuisse, omnis confusionis vitandæ gratia, abstinere a mali Metaphysici adpellatione, quum ad defectum perfectionis, cujus per essentiam recipiendæ incapacia sunt entia creata, denotandum omnino suffecerit *limitationis* titulus, veteribus perquam familiaris. Taceo, retenta generali, quam dedimus (§. 808.), mali definitione, statui haud posse malum Metaphysicum Leibnitii, tanquam speciem sub illa contineri; absolvitur enim malum in genere defectu perfectionum, quibus vel ad sui, vel ad aliorum perfectionem conferri quid posset. Malum autem Metaphysicum Leibnitii in defectu perfectionum consistit, quibus nihil ad sui perfectionem conferri potest manente eadem essentia (§. 815.), quæ hujus quoque augmenti plane est incapax (§. 612.). Comprehendi ergo nequit malum hoc Leibnitii sub malo in genere, & proinde, proprie loquendo, malum non est. Sane si malum esset hoc Leibnitii malum, quod non relativo, quasi aliis imperfectionem adferret, sed absoluto sumitur sensu, vel essentialiter vel accidentaliter tale dici deberet (§. 810.), non illud, per mox demonstrata, neque hoc, quia limitatio rerum originaria, quæ mali Metaphysici nomine Leibnitio venit, non accidentalis est, sed essentialis, ut suo demonstrabitur loco. Omnis ergo vitandæ confusionis

gra-

gratia a mali Metaphysici Leibnitiani adpellatione abstinemus.

CAPUT X.

DE

MENSURA ET MENSURATO.

---

§. 818.

Ratio est mutua quantitatum relatio, qua adtendimus, quoties altera alteram continet, vel altera in altera continetur. Identitas rationum *Proportio* vel *analogia* dicitur. *Rationis definitio.*

Mathematicis duce *Euclide* El. V. D. III. usitatissima est hæc rationis acceptio, non confundenda cum ratione, qua unum ex altero intelligitur (§. 82.). Illius generis ratio est v. gr. relatio numeri ternarii ad senarium, qua attendimus quoties hic illum continet, vel quoties ille in hoc continetur.

§. 819.

Rationem ergo inter se habere nequeunt quantitates nisi fuerint homogeneæ. Ratio est illa quantitatum habitudo, qua una alteram continet, vel una in altera continetur (§. 818.); quantitas vero una in altera comprehendi, vel altera alteram comprehendere nequit, nisi in *Quantitatum, quæ sint in ratione affectio.*

priori casu ut pars alterius, tanquam totius, in posteriori ut totum, alteram, tanquam partem complectens, spectetur (§. 672.). Sunt vero partes vel aliquotæ, vel aliquantæ (§. 680.), & tam illæ quam hæ sunt suis totis homogeneæ (§. 681.). Rationem ergo inter se habere nequeunt quantitates nisi fuerint homogeneæ.

Hinc est quod *Euclides* El. V. def. 5. contendat rationem dari inter magnitudines, quæ possunt multiplicatæ se mutuo superare, i. e. quæ inter se sunt homogenæ (§. 679.).

§. 820.

Mensuræ & mensurati definitiones. Si quantitatem aliquam pro unitate assumimus, & alterius ad eam determinamus rationem, illam *Metiri* dicimur. Quantitas illa, quæ pro unitate sumitur, *Mensura*. Altera vero, cujus ad hanc determinatur ratio, *Mensuratum* dici solet.

Ex. gr. ad metiendam hanc vel illam longitudinem, ulnam assumere solemus, tanquam unitatem, & investigare quoties hæc in data longitudine contineatur. In metiendis planis, ulnam quadraticam, tanquam unitatem assumimus, hocque modo exprimimus, quot ejusmodi quadraticæ ulnæ in dato plano comprehendantur.

§. 821.

Mensuræ & mensurati Quoniam in metiendo rationem mensurati ad mensuram determinatur

terminare debemus (§. 820.); ratio autem determinata, ut per se patet, dari nequit nisi inter quantitates determinatas; & *Mensura & mensuratum determinatam habent quantitatem.* *determinata quantitas.*

Sic in metiendo panno, & illius & ulnæ, ceu mensuræ, determinatam postulamus quantitatem, quum fieri alioquin haud posset, ut determinata inter pannum & ulnam investigaretur ratio, ad vagam vero & indeterminatam in metiendo non attendimus, neque attendere possumus.

§. 822.

Determinata quidem gaudent quantitate tam mensura, quam mensuratum (§. 821.), quia tamen mensurati quantitatem inquirere ac determinare conamur adhibita mensura (§. 820.), quia etiam incognitum per æque incognitum detegere non valemus, ut quivis sua sponte largitur; *mensura, saltem nobis, notior esse debet mensurato.* *Mensura notior mensurato.*

Sic panni v. gr. longitudinem inquisituri, ulnæ adhibemus & applicamus mensuram, ut nobis perspectam & animadversam, sine qua panni longitudinem non detegeremus. Post adplicatam mensuram, æque hanc ac mensuratum intelligimus, ante tamen, quam illam applicuimus, magis determinatam possidemus illius, quam hujus cognitionem: spectatur enim, hoc casu, mensurandum, haud aliter ac incognitum quid,

cujus determinatam cognitionem, adhibita mensura, nobis acquirere studemus.

§. 823.

Mensuræ & mensurati homogeneitas. *Mensura mensurato homogenea esse debet.* Nam mensura ad mensuratum determinatam habet rationem (§. 820.). Mensura ergo mensurato est homogenea. (§. 819.).

Sic quia linea lineæ est homogenea, ideoq: lineam semper sumimus ad metiendam magnitudinem cujusvis lineæ. Sed est linea superficiei heterogenea, nam illa, vel infinities sumta, superficiem quamcunque datam superare nequit. Quare lineam nunquam adhibemus ad mensurandam superficiem, sed aliam superficiem mensuræ loco assumimus.

§. 824.

Quod metiri licet. Siquidem metiri est quantitatis rationem determinare ad aliam datam (§. 820.), illud omne metiri licet, quod quantitatem habet, quod vero quantitate destituitur, nullam admittit mensuram.

Habent quantitatem non modo omnia extensa, quorsum pertinent spatium & omnia corpora, sed simplicia quoque, quatenus limitatas habent qualitates, immo & omnia illa, in quibus partes distinguere licet, totum constituentes, quorsum spectant, calor, frigus, densitas, raritas, refractio luminis, gravitas corporum, effectus & vires caussarum naturalium, aliaque innumera: Hæc itaque singula certæ subjici posse

posse mensuræ quivis, vel me tacente, fatetur.

§. 825.

Graduum mensura. *Liquet hinc omnem gradum mensurari posse per alium homogeneum, pro unitate assumtum.* Est enim omnis gradus quantitas (§. 486.), eum ergo metiri licet (§. 824.). Debet mensura esse mensurato homogenea (§. 823.). Gradum igitur metiri non licet nisi per alium homogeneum, quem pro unitate assumere decet (§. 820.).

Sic si perspectum nobis habemus quousque se exporrigat facultas intelligendi in Gracco, quæ homogenea est facultati intelligendi, quæ Sempronio convenit; hujus gradum per illius determinare & metiri possumus, (confer quæ diximus ad §. 481.). Gradus vero in attendendo & vociferando non sunt homogenei, quia non circa qualitates easdem versantur, illum ergo per hunc, vel hunc per illum metiri non licet.

§. 826.

Respectivæ perfectionis mensurabilitas. *Respectiva perfectio est mensurabilis.* Constituitur enim respectiva perfectio consensu realitatum respectivarum (§. 757.). Sunt vero realitates respectivæ cum aliquo realitatis compossibilis defectu, seu, limite (§. 743.), qui quantitatem infert (§. 484.). Admittit ergo respectiva perfectio quoad realitates

suas,

suas, mensuram (§. 824.), immo etiam quoad consensum, qui in respectiva perfectione involvit multitudinem tendentiarum, & proinde quantitatem (§. 779.), mensuræ semper capacem (§. 824.). Respectiva igitur perfectio, tum quoad realitates, tum quoad earum consensum, hoc est, quà totam suam indolem (§. 757.), est mensurabilis.

Hinc veteres dixêre Philosophi dari *mensuram perfectionis*, quæ gradum perfectionis determinat, quare etiam mensura graduum adpellari potest: non enim mensura hæc consideratur ut quantitas vel continua, vel discreta, quæ perfectioni, quà tali, homogenea non est, sed ut quantitas quædam virtutis, h. e. perfectio quædam, certis circumscripta limitibus, quæ aliquoties repetita, hoc est, cum multiplicato gradu considerata, exprimit quam habeat illa rationem ad alterius perfectionis homogeneæ gradum. Ex. gr. Quia facultas intelligendi in homine & Angelo est limitata, seu, certum gradum essentialem habet, licet in hoc majorem, quam in illo, nihil est dubii quin, absolute loquendo, sit possibile exprimere rationem, quam habet illius facultas intelligendi ad hujus, & per consequens hanc per illam metiri, quamvis mihi vel tibi, vel cuivis hominum non sit possibile ejusmodi instituere mensuram. Sed in Metaphysica tradimus non tam quod respectivam, quam potius quod absolutam habet possibilitatem. Sufficit

er-

ergo nobis hoc loco absolutam perfectionis respectivæ mensurabilitatem demonstrasse.

§. 827.

Ens absolute perfectum metiri non licet. Enti absolute Perfecto insunt omnes realitates absolutæ (§. 752.), Sed nulla harum quantum quid est (§. 746.), nec præter realitates absolutas omnes, adhuc continere potest aliquas respectivas (§. 751.). Nullum ergo quantum datur in ente absolute perfecto. Est ergo immensurabile (§. 824.). *Ens abs. perfectum metiri non licet.*

Neque dari heic potest aliqua mensura, quoniam enim illa debet esse homogenea mensurato (§. 823.), & in ente absolute perfecto nihil præter realitates absolutas, continetur (§. 751. 752.), deberet illa esse realitas quædam, & quidem, ex indole mensuræ, determinata gaudens quantitate (§. 821.), & per consequens, nonnisi respectiva quædam realitas (§. 743. 484.). In mensurando itaque ente absolute perfecto exprimi deberet ratio, quam habet realitas hæc respectiva ad realitatem absolutam (§. 820.), consequenter illa esset huic homogenea (§. 823.), proindeque illa, aliquoties repetita hanc superaret (§. 679.). Est vero illa, utcunque repetita, semper cum aliquo defectu conjuncta (§. 743.), nunquam ergo superare potest hanc, quæ omni destituitur defectu (§. cit.). Illa igitur nequit esse mensura,

sura, neque alia dari potest (per dem.). Nullam ergo admittit Ens absolute perfectum mensuram.

§. 828.

Immensum & immensitas definiuntur. *Immensum* dicitur ens, quod nullam admittit mensuram, seu, quod ita est comparatum, ut metiri ipsum non detur. Hinc abstractum. *Immensitas* illam affectionem denotat, qua ens omnem respuit mensuram.

Immensitatis vox licet vi etymi negationem mensuræ importet, fecit tamen in loquendo inconstantia, ut nunc usurpetur pro magnitudine & longitudine, cujus mensuram nos instituere non valemus, quo sensu dicimus distantias stellarum fixarum a tellure esse immensas; nunc pro ipsa infinitate sumitur, nunc cum omnipræsentia confunditur. Sed Philosophi, qui fixum & determinatum vocabulorum sensum adsumere tenentur, non est huic in loquendo inconstantiæ morem gerere. Potius itaque, quum nulla distantia, utcunque magna detur, quæ omnem respuit mensuram, quum etiam ad ceteras affectiones, quæ sub infinitatis & omnipræsentiæ titulo veniunt, denotandas, alia adsint vocabula magis usitata, potius, inquam, eum immensitati tribuit sensum, qui ex ejus sequitur etymo, usuque recepto est comprobatus.

§. 829.

§. 829.

Quoniam ens absolute perfectum & quælibet, quæ ei inest absoluta realitas, seu, absoluta perfectio (§. 755.), omnem plane respuit mensuram (§. 827.); Est illud Ens immensum, & quælibet ejus absoluta perfectio immensa (§. 828.). *Entis absolute Perfecti immensitas.*

Hinc immensitatem Dei, Qui unicum est ens absolute perfectum, agnoscimus, in Theologia Naturali sigillatim commonstraturi immensitatem cujuslibet Dei attributi.

§. 830.

Quodcunque est imensum, id absolutam habet perfectionem. Nam immensum esse, seu, immensitas convenit enti absolute perfecto (§. 829.), cui insunt omnes realitates absolutæ (§. 743.), sine ulla realitatum respectivarum mixtura (§. 751.). Quicquid ergo enti absolute perfecto inest, est absoluta realitas, & per consequens, absoluta perfectio (§. 755.). Immensitas ergo non potest non absolutam inferre perfectionem. *Immensi & absolute perfecti identitas.*

Excipis *immensitatem involvere negationem mensurabilitatis, & ideo negativum quid esse, non autem positivum, non ergo inferre realitatem absolutam nec absolutam perfectionem.* ℞. Involvit quidem immensitas negationem mensurabilitatis, sed quid quæ-

quæso infert mensurabilitas? an realitatem quandam absolutam? minime; quicquid enim mensurabile est determinatum & limitatam possidet quantitatem (§. 821.), & per consequens conjunctum est cum defectu ulterioris cujusdam compossibilis, vel qualitatis, vel quantitatis. Absolutam ergo dicere nequit mensurabilitas realitatem; sed respectivam tantum. Infert itaque immensitas negationem realitatis respectivæ. Sed negatio realitatis respectivæ nihil involvit aliud quam positionem realitatis absolutæ. Vides ergo ex tuis præmissis non sequi, quod intendebas, vides simul immensitatem, utut per vocabula Grammatico sensu negativa explicetur, in se tamen nihil involvere negativi.



IN-


INDEX

Capitum in hoc Tomo contentorum.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ.

2. *Cor*



INDEX

Rerum & Verborum, in quo Numeri paragraphos indicant.

A.

 Au-

Con-

E.

Gene-

G.

H.

I.

Idem

K.

L.

M.

N.

neces-

P.

N.

Ordo

P.

est

R.

S.



Candi-

Candide Lectôr,

Mendas, quæ ob Auctoris absentiam irrepsere, ita emenda.

			Exstat.	*Lege.*
Pag.	10. lin.	14. 15.	*poteft.* Effentia	*poteft ens.* Effentia.
	33.	18	actiones quo et	actiones ergo et.
	35	32, 33.	infermali	infernali.
	38	6, 7.	actualitas ac-accidentium	actualitas accidentium.
	55	8, 9.	competit omni homini, sed	competit, sed
	ib.	26.	& Porphylio	& Porphyrio.
	69	21.	quia testo	quia teste.
		28.	pontifici	pontificii.
	71	14.	possidere latera	possidere latera æqualia.
In margine	85	23.	intrinseca	extrinseca.
	97	25,	quod α σίζειν	quod a σίζειν.
	111	30, 31.	modalit	modalis
	134	27, 28.	hac hæ non	hac non
	142	31.	abundo	abundanti
	152	27.	æquali	æquale.
	163	8, 9.	ulteriolis	ulterioris.
	172	31.	allo	alio.
	194	13.	hæc	illa.
	ib.	15.	illa	hæc.
	225	16	διαφέρει, ὐτέν, ὔτιν	διαφέρει ὖθεν· ὖτιν.
	260	24.	oommunes	communes.
	270	8. 9.	quodve	quoque.
	285	19.	ἔδος ποιεῖ	εἶδος ποιεῖ.
	295	4.	quædum	quædam.
	297	25.	mea scripto	mea scriptio.
	302	5.	(ἀναγκαῖνον	(ἀναγκαῖον).
	337	2.	essentiam	essentiale.
	440	24	essentia	existentia.
	343	3.	essentiam entis	existentiam entis.

Pag.	lin.	Extat.	Lege.
355	19.	te ipsa	re ipsa.
295	9.	quem hoc	quam hoc.
399	27.	humines	homines.
403	12.	que	quæ·
406	20.	intelligitur	intelliguntur.
412	4.	enormen	enormem.
430	18, 19.	homegenea	homogenea.
ib.	20.	minimum	minimam,
in margine 431	16.	additione	ablatione
437	9.	habet unde	habet, unde.
452	11.	neqgit	nequit.
ib.	25.	qnæ	quæ.
457	4, 5.	verietati	veritati.
459	2.	illo remote dari	illo remoto dari.
467	22.	( )	(74).
490	6.	hacm undi	hac mundi.
491	13.	unitatem.	bonitatem.
498	22.	hactemus	hactenus.
ib.	29.	megtales	mentalis.
534	27.	deeerit	deerit.
536	30	hoc	hæc.
542	31.	perfectinoe	perfectione.
561	15. 16.	na-naturalem	naturalem.
564	12.	ἐλαβες	ἔλαβες·
565	22.	exstat aves.	oves.
591	15.	est imensum	immensam.

